IOH. FRID. HORNI POLITICORUM PARS...

Johann Friederich Horn






JOH. FRID. HORNI
POLITICORUM
Pars Architectonica
De
CIVITATE.
TRAJECTI AD RHENUM,
Typis Wilhelmi Klerck. A°. 1664.


BIBLIOTECA NAZIONALE



MAXIMO PRINCIPUM,

FRIDERICO III.

DANIAR. ET NORVAGIAR.

MONARCHÆ,

PIO, AUGUSTO, MAGNANIMO,

FELICITATEM!



eipublicæ compagem, & genuinam regnorum figuram; tum illud maximè divini potentatus ſpecimen

ac imitamentum, Majeſtatem, natalibus ſuis atque efficaciis ſacroſanctam ubique, & verè auguſtam, delineatam præſenti opuſculo, devotiſſima pietate, offero Tibi, & conſecro, AUGUSTISSIME FRIDERICE. MONARCHÆ. MAXIMO. DOCTISSIMOQUE. AC. SAPIENTISSIMO. REGUM. Quos titulos ubi exilis, & ſublimi materiæ imparis ſcriptionis conſcius animus recogitat, ob ingens auſum perfunditur horrore: placido tamen illo, qui venerantium eſſe ſolet, quando ſacra formido præſentis Numinis modeſtam religionem facientibus ſubjecit. Reputanti ſanè, quà licet, magnitudinem tuam, DOMINE, & muneris divinitatem: à Deo, cujus perſona venis æſtimandus, ſecundus ſedes: Regis, cui ſolutiſſima omnia ſunt, pulcherrimum inſtar. Quoties in poſterum illibatam, & ſuis auſpiciis unicè valentem poteſtatem circumſpicient ac requirent aliqui: Te, nullis exceptionibus, nullo precario jure parendi, imperantem, oſtentabit regia doctrina. gratulabunda, tum ſibi

de

de præclaro exemplo, quod veri & illimitati Monarchæ nomen, nec imaginariam ideam, nec sævam tyrannidem sinit esse; tum felici reipublicę, cujus salutem, intempestiva subditorum intercessione non impediendam, actuosi imperii libertas maturat. Tanti Numinis pulvinari aliquid non magnum apponere, proximum audaciæ videri queat. Accedit huic fastigio æqualis, sapientię immensa profunditas, omnis divini humanique juris intelligentiâ circumfusa; tot pragmaticis doctrinis firmata penitissimè, & graviori illâ civilium experimentorum eruditione suffulta. Cujus instructu non tantum eleganter complecteris omnes imperatorias artes, regendi morosum illud animal, hominem; & verissimo itinere, per apertum ac promtum justitiæ campum, procedendi ad ea consilia, quæ sine obliquis supplementis, sine injuria, civitatem habere docent, solidamque ac propriam utilitatem publico spondent: sed introrsum pergis, Te, ac imperium tuum capis; quid sit Monarcham esse, intelli-

gis; penitum ac reconditum omnium regiorum actuum fontem, Majeſtatem, noſti: ejus ortum, ingenium & vigorem, pauciſſimis ſuis poſſeſſoribus intellecta nomina, callentiſſimè aſſecutus. Anceps ideò magis quidem, ac dubia cauſſa mea eſt: verendumque valdè habeo, ne in tam abſtruſa re compertus erroris, temeritatis fiam manifeſtus. Sed non idem indignum eſt regali ſceptro, quod faſtigio hujus fortunæ inferius eſt. Ipſa tenuitas, quò à faſtu longius abeſt, pleniorem meretur gratiam. Lallantium puellorum inconditos & infantes hymnos, propitia aure ſuſcipit, & in deliciis habet Deus. Simplicitas nempe, vel rudior, divinitati gratiſſima eſt. Illa quoque celebrata omnibus humanitas, qua Auctoris Tui bonitatem æmularis ſtrenuè, non hic ſiſtet, Clementiſſime Rex, ubi hominis peregrini & exteri hilarum confidentemque acceſſum, interpretari habet ad publicum teſtimonium piiſſimi Tui principatus. Adhæc quæ fiduciam promovet & attollit, ſublimitas argumenti eſt: vel

gra-

gratiam conciliatura, vel veniam. Satis ſe Tibi, Maxime Heros, commendabit hæc meditatio, ſi deprehendes, Principum cauſſam, & in hâc publicæ tranquillitatis, agi. Non aliena eſt à regiâ benignitate, quæcunque regnatricem poteſtatem memorat commentatio. In qua ſi labi continget, communi ſorte excuſabimur. Admonuit omnes ſuæ humilitatis grande hoc cœli depoſitum, ut quantum eſt ubique doctiſſimorum, & Majeſtatis reverentium hominum, qui hanc partem civilis ſapientiæ attigerunt, dormitaverint aliquando; & nemo ſit, qui non deprehendatur aliquid humani paſſus. Abſolvet me denique una propoſiti rectitudo: cui pulchrè conſtare exiſtimabitur ratio, ubi intelligent lectores, me non ſubterfugiſſe judicium Principis optimi; & ſcientiſſimi ſimul jurium ſuorum. Documento id erit; non me, in pręcipitia aſſerta impulſum ambitione, aliquid dediſſe regiis auribus. Nam nec opus habet ſceptrum Tuum liberrimum vanis blandimentis: & providentiſſimus animus deprehenderet

 com-

compositam personam, & sanctissimi mores detestarentur. Una Veritas est, in bonum commune eruptura, quæ me stimulavit, ut sacra summi imperii religiosa mente cognoscerem, cognita publicè panderem, & quorumcunque subditorum animis inculcarem cum reverentiâ: simul pestilentissimum auctorum genus, monarchomachos, Majestati, quieti civili, Deo denique ipsi inimicum & infensum, tanquam professos humani generis hostes, arguerem, convincerem, damnarem. Videbor summam destinationis meæ consequutus, ubi probaveris, ad indulgentiam Tuam pertinere hunc conatum. Miscet suas preces Politica, maximè indiga regii favoris & auctoritatis: ut coërceatur illa ab inferis oriunda secta, & prævaleat, ac frequens fiat rectior sententia. Facile poteris exorari, Pientissime Princeps: eoque majorem animi tui fiduciam habeo, quò arctiori complexu litteræ, præsertim civiles, à Te foventur. præcipua nempe solicitudinis regiæ pars, nec minus fœcunda inclutarum laudùm seges, Majestatis intelligentissimos

ſimos efficere cives, & alios populos Tuorum exemplo: id verò opus eſt, & pulchritudine ſua ac utilitate conveniens ſeculo; æternitate famæ ac gloriæ, Tua magnitudine dignum. Sumet animos ac vires indignè habita à tortoribus ſuis Politica, & Te regalium ſtudiorum Aſſertore ac Vindice, in priſtinam dignitatem collocata, exſeret lacertos: ac ubi generoſa ingenia, quæ, tanquam inſtrumenta imperiorum, magnis uſibus præparantur, bonis opinionibus, & vero Monarchiæ ſenſu imbuta, occupaverit ſalutariter; felici contagio in populum mox propagata latiſſimè & diffuſa, Tuo beneficio, triumphabit. Quam clementiam grato ac prolixo munere, Tui agnitione, penſabit. Nolint poteſtatem ſuam publicè agnoſci, eamque potius libertatis popularis involucris obnubant, qui inanibus ſimulachris & ſpectris illudunt gentibus, quibus vivendi arbitria eripuerunt. Legitimi imperii notitia, firmiſſimum coagulū civitatis eſt: arctius continens multitudinem, quàm ubi in terrorem compoſita omnia ſunt; ubi impe-

 ran-

rantes & subditi metuunt invicem, & metuuntur. Non tot horrenda regicidia, tot seditionum turbamenta, aut defectionum perjuria, nostrum & superiora secula infamassent: modò ex Majestatis amplitudine, obsequii sui nexum voluissent metiri, qui in parendi sortem nati erant; aut, ut pensi haberent, olim fuissēt edocti. Pluribus meticulosis machinamentis, & sumtuosis artibus carebunt regna, quando parendi necessitatē civium conscientia assequetur. Fretus imperii sui tutelâ, quam vix hodiè præstat innocentia, Princeps, inermis etiam, credet securè caput suis. Qui de Majestatis vi certiores, prisca illa solemnia vota, quibus Imperatori domum securam, senatum fidelem, populum probum & quietum, precabantur, ignominiæ sibi ducent, tanquam suspectantia fidem, cujus integritatē supplicationibus expetendam censebant: remittentes pudendam nuncupationem hominibus nequam, quorum perfidia eas meliorum preces excitavit; ipsi ultrò pii, decora contentione certabunt, quis Majestati obsequentiorem se probare

cu-

cupiat. Hinc reverentia, & amor, & promptus atque alacer in omnia obsequia, & tantum de imperantis salute, cui omnium felicitatem inniti novit, solicitus animus, tranquillitatem communem firmabit; & blando irritamento pleniorem provocabit indulgentiam Principis: qui, sponte memor sui muneris, multiplici, & paterno affectu enitetur, ne sui paratiores sint beneficia promereri, quàm ipse conferre. Tum multitudine solùm à familiâ lenissimi patris, nihil conjunctissima necessitudine distabit Respublica. Dabis nobis, optime Princeps, divino munere, beatissimam hanc civitatem: impetrandam Tua pietate, quam profanis non contigit adipisci. Interea Tuorum precibus conjungunt suas etiam dissiti populi, quibus incomparabilis bonitas piissimi Principis cordi & admirationi est. Commendantes Deo Serenissimam Conjugem, & omnem illam Heroum Propaginem, sincera pro incolumitate Tua suscipiunt vota: ac Tibi, religionis & fidei tutori, eruditarum artium asylo; civium amori, delitioque humani ge-

generis, vitam prolixam, domum felicem, lætos regiarum cogitationum eventus, florentem rempublicam, imperium gloriosum, & qvantum ubique magnis regibus in votis esse solet ac debet, quod omne, super ingentes plurimasque virtutes, præcipua sanctitate consequi mereris, ab eodem Tuo Auctore se impetraturos, confidunt animosè. Annuat bonorum pietati, & Te Sanctissime Heros, servet Deus!

MAJESTATI TUÆ

dicatissimus

JOH. FRID. HORN.
Brigâ-Silesius.

Benevole Lector,



I intentioni meæ diffiderem ipse, eamque tibi suspectam fore arbitrarer, obliquis delinimentis propitiandus esses: nunc quia corruptione nulla opus est, tribunal tuum rectis oculis subibo, postquam de candore tuo, & libertate censendi, mihi satis est prospectum. Ipsam quidem susce pti laboris operam ultrò absolves: ut ut interdicto videatur indigere ingens multitudo libellorum, quos Politicas *appellant.* N*am si non alio argumento vincerem, morem scripturientium allegarem: qui cum publicus sit hodie, à te facile impetrarem, ut culpam meam, seculum diceres.* Propior *autem ratio, non una exscribendi libido, quæ vulgo regnat, me tuebitur.* Notissimum est, *Systematum,* Compendiorum, Institutionum, *Doctrinarum civilium, quæ prostant, iniri numerum vix posse: sed istud simul latet neminem, his iisdem copiis discentium delectum conturbari, & pauca admodum esse; quæ normæ suæ tractandæ respondeant; conscripta eo ordine, eaque accuratione, quam*

rei-

reipublicæ natura postulat. Qui hæc studia serio coluisti, ipse experimentum capisti, scio, quàm impeditißimum iter sit ingresso hanc sylvam. Ita consilia, jura privata, singularia instituta patriæ civitatis, indigestè compacta, frequenter se ingerunt nomine Politicæ, ut misturam inveneris tetriorem eâ, quæ Poëtarum chaos confudit. Aliqui ex his præclaris doctoribus, adeo peregrinantur, & hospites sunt, ut suæ professionis argumentum ignorent. Alii infesto regibus animo acceßerunt, eaque sub Politicæ, & civilis doctrinæ titulis promulgarunt, quæ civitates ordinatas in turbas, seditiones, ruinas præcipitare consueverunt. In propatulo sunt ejusmodi damnandæ opiniones, & moderata censenda foret horum ducum imperita malitia, si veneno suo pauciores, qui his litteris animum applicuerunt, infecisset. In cæteris quoque rectioribus, aliquando stabiles rationes, continuum integri operis ordinem, semper mecum desiderabis, Erudite Lector. Ut enim de universi operis, quo civitas temperanda regendaque est, continentiâ dicam nihil; quam vix unus, aut alter Systematum scriptor suis numeris deli-

lineavit: paucißimos nominabis, qui partem illam principem, quæ Objectum explicat, ad leges nativæ methodi tradiderit. Quod hactenus tolerabile videatur. Sed ubi Majestatis veram originem, vim, ac perpetuum jurium contextum declarare debebant, altum silentium esse, minimè ignoras. Non inficiabor, peculiaria scripta summorum hominum exstare, quæ pleraque jura Majestatica singulatim docuerunt: libellos autem methodicos, qui exactam tractationem contineant, non adeò multos habebis; qui autem continua serie fontem, & jurium derivationem, cui tutò queamus fidere, exhibeant, fortean nondum videris. Ego certe deprehendens ejusmodi lacunas, hiulcâ traditione auctorum haud potui acquiescere: sed pertinaci commentatione indaganda mihi decernebam, quæ animum tandem tranquillarent, & concinnam dispositionem promoverent. Id si molirer, non pœnitendam conjiciebam operam futuram; sed multa simul innovanda, & in plurimis, ab antiquis recedendum fore, prævidebam. Non me præteribat, invisum esse Novitatis vocabulum: & ipse vanitatis coarguebam homines, qui ostentandi

in-

ingenii, & aucupandæ gloriolæ caussa, inaudita monstra procudunt; damnabam vero ut maledicos, qui hoc unicè agunt, ut reprehendendo veteres, materiam famæ quærant. Neque nunc aliter censeo. Illam vero servilem superstitionem, quæ omnia veterum dicta, tanquam oracula adorat, & in eorum tutelam, tanquam pro aris & focis pugnat, omni tempore horrui: & in præsenti conatu me remorari passus non sum. Cæca & inconsulta veneratio est, quæ in veritatis indagandæ opere aliorum inventa miratur adeo, ut insulsè credat, universa ex tripode dicta. Homines fuerunt, quibus solemne est, errore aliquo duci. Damnarent ipsi, qui tantopere coluntur, præposteram reverentiam, & fœdum serviendi genus, & ad suum exemplum revocarent. Contradicit subinde Platoni Aristoteles, ut aliquibus æmulatio, invidia, & ægritudo animi in suspicionem veniat: ego autem nihil pravi aut maligni subesse puto; sed planè pro philosopho egisse Stagiritam, quoties à meritissimo præceptore divertit. ingenuè quippe professus erat, se veritatis caussa vel propria asserta deleturum. Et animosa illa censura, qua priores

tra-

tractaverat, ostendit satis, quo jure uti, qua libertate à cordatis legi & examinari, non detrectaret. Ita quidem generosi animi, qui illa ætate, aut Romanorum tempore, civiles litteras sectabantur, incedebant, ut nomen viri ubique honori, nunquam offendiculo esset. Postquam insolentiam ac fastum Græciæ, Italiæque, victrix barbaries castigavit; & hæc iterum felicibus Germanorum armis pulsa, studiaque elegantiora reducta sunt: in Aristotelis scripta inciderunt homines mediocres, qui ingenio & acrimoniâ philosophi perculsi, nihil quicquam secius positum occurrere, falsò sibi persuaserunt. Hi crudeli imperio homines ingenuos, quos discipulos nacti erant, coëgerunt, ingenti veritatis damno, in verba auctoris jurare. Prorsus affirmandum est, virum capacissimæ indolis, & industriæ simul actuosissimæ, observasse in descriptione rerumpublicarum plura notatu digna, & datura imperantibus salutaria consilia: sed istud simul edisseram intrepide, universi operis politici structuram mancam esse ac mutilam; materiam juris ac legum ferè intactam mansisse, si generalissimos discursus excipiam; quin ea vestigia

stigia superare, quæ sanæ rationi adversantur. qualia de abortu licitè procurando, de exponendo partu monstroso, de legitimo bello in barbaros, ex caussa naturalis servitutis, & pleraque similia. In constituenda civitate quàm aptè cohæreant dogmata ejus, interpretum altercationes docent. Præcipuum momentum in Majestatis doctrina ponendum erat: cui videtur iniquior, dum absolutum regnum, invidioso ubique dicterio, barbaricam tyrannidem appellat. Unde non immerito Commentatori suo doctißimo observatus est perplexè loquens, quoties de imperio sermonem instituit: ne ab altera parte Alexandrum, ab altera suos Græcos offenderet, aut irritaret. Hæc talia animadvertens, Aristotelem unicam regulam civilis sapientiæ non existimabo, & aliunde supplendum potius censebo, quicquid in veterum scriptis ad summam Politicæ deest. Candidè fateor, me ex Græcia, aut florente Roma, doctrinam de imperio civili haud petiturum. quod scriptores, dulcedine libertatis popularis inebriati, sinisteritatem judicii manifestè prodant, quando ad definiendam regum potestatem ventum est. Periculosa illa

tali-

talium auctoritas, cui in præjudicium politicæ prudentiæ innisi sunt, quotquot religioni duxerunt, ab antiquorum sententiis vel latum ungvem decedere, ita occupavit terrarum orbem, ut erectis ingeniis anceps sit & difficile, unam alteramve sententiam emendare. Illustris Bodinus, cum discerptæ Majestatis fictum & monstrosum fœtum, mistam rempublicam, ex ditione civili relegaret, quot latratibus, quot incursibus ab alieni erroris mancipiis impetitus fuit? hostis nimirum humani generis judicatus, in quem agmine facto tendendum sit, quod sacrosanctam philosophi dictaturam minus obsequiose esset veneratus. Sed fremat impotentia vulgi: liberiora capita nunquam absterrebit à concinnandis studiis. Æternis dubiis torqueri, intolerabile est, ad solidiora aspiranti: & istis non medebitur, nisi removeas incompta, componas confusa, veriora adjicias, præstruas firmiora. Murmurent plebejæ animæ: sua sufficientia & tranquillitas, & doctiorum consensus solabitur animum, pro communi bono audentem. His & aliis, cum viderem jura Majestatis, quæ disjecta, scopis dissolutis similiora passim jacebant, non posse concinnari, multo minus integrum corpus

po-

politicum in suum orbem, & naturalem situm reponi, sine multiplici conversione; obfirmavi animum: & salva veterum & recentiorum fama atque auctoritate, illa asserui, quæ singulas potestates imperatorias derivarent ex uno capite; cætera vero omnia civilia exunciata in unam consonantiam ordinarent. appositis ubique solidissimis firmamentis rationum; sine quibus in publicum prodire erubuissem. Ita interim à recepta vulgo methodo & opinione recessi, ne alicui insultarem; sed potius haberem, simplicibus verbis & innoxiis, mea proposuisse. Hoc temperamento sincerè servato, commendabis moderatum ab usitatis, sed minus rectis, secessum: & spero, me tibi, tam facili negotio, ipsius commentationis rudiorem formam, & inæqualem exponendi mensuram excusaturum. Utrique nimirum probabilis sua defensio superit. Quamvis enim civilem materiam splendidus ornatus maximè deceat; & grande illud majestatis argumentum dignum characterem cupiat: attamen oratori de tanto axiomate verba facienti, æterna lex erit, magnificâ dictione aures implere; in ordinando compendio dogmatico, ad usum tyronum politicæ, nunquam

quam

quā fuerim solicitus de elegantia loquelæ. Incedant figurarum phaleris, & speciosa lingva lenocinentur turpitudini suæ, qui verba dare instituunt, qui plebi persuadere conantur, quod ipsi haud probant. Veritas, etiam nuda, placet. Egregii & validi sensus, etiamsi barbaro prolati ore fuerint, afficiunt abundè doctrinalibus rebus intentum lectorem. Civitas nimirum præ manu est, non Grammatica. Compendium autem exhibeo, non universæ Politicæ; sed principis saltem partis, quam Architectonicam voco: propter expositionem objecti civilis, cujus præcipuum membrum, Imperium majestaticum, basin substernit operi politico, & instar fundamenti est integræ Administratoriæ Prudentiæ. Quam in Proœmialibus, ubi distribuenda erat Politica, saltem nominavi; præsenti tractationi non confundendam. Nisi quod uno, aut altero loco, brevis digreßio formanda erat in forum Juris Gentium: quæ paucißimis peracta, cum indicio peregrinæ operæ, ne quis transitum in aliena jure culparet. Cæterum instituti memor, brevitati sedulam operam navavi; id summa contentione agens, ut jurium majestatis de-

ductio-

testatis. Interim præcipua capita munienda erant, contra vim etiam apertam: unde prolixior disputatio, & plurium, quæ objiciebantur, plenius examen. In quibus si difformis illi adstrictæ tractatio appareat, inæqualitas tribuenda erit diversæ qualitati summorū principiorum, & sponte nascentium sequelarum. Illis tota moles instruitur: illis subvertendis imminent adversarii: contra quos & firmari & muniri debent. Incredibile dictu est, quantis malis affecerit plurimas gentes ignorata caussa Majestatis. Non tuta fuit Germania, Galliaque ante, quam solemnibus comitiis sanciretur, Deum esse solam caußam Majestatis: qui aliter doceret, castigandum deportatione. Majestatis realis monstrum plurimis civitatibus crudelißimas clades intulit. Tam perniciosis erroribus toto corpore incumbendum, & valida manu in ipsa vitalia figendum premendumque ferrum est; non retrahendum à vulnere, donec nulla palpitantis nequitiæ signa, fidem fecerint exstinctæ. Hic labor, cum uno ictu haud expediatur, Majestatis munimenta quandam desiderabant amplitudinem. Non censenda igitur est nimis prolixa dissertatio, quæ saluti regnorum prolixè cavet. Vnum restat

ductionem ex uno fonte & capite, concisa, qua possem, dilucidatione absolverem. In imperii civilis, & ejus partium efficacia demonstranda, potentissimam vim, quousque ascendere possit, respexi. verbi gratia, imperium in personam eò validum deprehendi, ut caput subditum præsenti periculo objici, corpus tradi, vita eripi possit. Dominium in res privatas ad occupationem usque valere, animadverti. Non quasi promiscue in hæc extrema juste semper tendat Majestas; sed quod reliquis circumstantiis, talia urgentibus, jure suo tanta moliri queat. Illas particulares factorum figuras, quibus attemperanda est imperii usurpatio, omisi: propterea, quod prolixiores sint, & justis commentariis debeantur. In plurimis æquitas boni Principis potens est, quæ rigorem imperii paterne moderatur: sed nec illius mentionem feci. quod partem faciat officii rectorii, cujus doctrinam Consultatoria Prudentia sibi vendicat; & videam, occasionem errandi fuisse nonnullis, qui crediderunt imperite, valorem imperii, ultra clementiæ officium & benignitatem protensum, injuriosum esse. Satius igitur erat, peregrina non attendere, valitura, legentium vitio, in detrimentum veræ po-

testa-

ſtat monendum. Quoties diſſentientes examinavi, illos etiam adduxi, qui in pleriſque recti ſunt, & magnam operam ſtudio civili contulerunt: quales Arniſæus, Barclajus, Grotius. non ut inſultarem clariſsimis viris: ſed ne ſimpliciores, horum auctoritate in cæteris commodè uſi, in præcipitia ducerentur. Ejusmodi loca obiter notavi, ne tyrones, protecturi ſe tali ſententiâ, nudatum obvertant monarchomachis latus. Liberè hîc verſatus ſum; quod nunquam ad injuriam pertinere cenſui, ingenuam oſtenſionem alicujus nævi: modò livor, & reprehendendi libido abſit. Fidelem admonitionem à te quoque, Erudite Lector, quantis poſsum precibus expeto: maximopere rogitans, digneris benevolè ſuggerere, quæ transformanda in hoc opuſculo judices. Ego, quam nunc invito, actis publicè gratiis, humanitatem tuam collaudabo. Hac benevoli judicii tui æquitate ad elaboranda, quæ huic operi cohærent, me excitabis. Tibi interea incolumitatem precor, & laboribus, quos reipublicæ impendis, fauſtiſſimos ſucceſsus.

IOHANNIS FRIDERICI HORNII,

DE

CIVITATE,

PROOEMIALIA,

De

Conſtitutione Politicæ.

CAPUT I.

DE

Vocabulo Politicæ, & Politici.

1. *Habituum tractatio duplex.*
2. *Politicæ Derivatio, & Homonymia.*
3. *Synonymon Latinum.*
4. *Politicum, & Politicus.*



Ivitatum indolem explicaturi in ſequentibus, præparatoria quędam in anteceſſum habemus declaranda, de Civilis Doctrinæ eſſentiâ. Ne illotis manibus in ipſam rem deſcendamus ante, quàm naturam ejus fuerimus contemplati: tum ut futura Tractatio ſuis partibus legitimè abſolvatur. Ita enim creditum hactenus ab Eruditis eſt, quamlibet concinnam habituum Traditionem, duobus membris abſolvi, *Doctrinâ Proœmiali*, quā *Extraeſſentialem* vocant; & *Eſſentiali*. *Hæc*

 peni-

penitam exponendæ rei eſſentiam delineat; nec citra diſpendium, aut detruncationem integræ doctrinæ, omitti poteſt: *illa*, quod ad primariam contemplationem haud requiratur, neglecta, mutilam quidem non relinquit objecti ſui declarationem; cæterùm dilucidandæ facilitandæque diſciplinæ cum plurimum conferat, ſine incommodo diſcentis vix inſuper habebitur. Quamobrem, quum in morem communiter receptum, & inſtitutum minimè damnandum abierit iſta ratio, ut principi tractationi præmittatur ipſius Habitus compendioſa delineatio: non deerimus conſuetudini: ſed *Definitionem* Politicæ ac *Diviſionem*, quæ futuram ſubſtantiam eſſentialis operis præclare juvat, in limine intuendas proponemus, poſtquam de nomine Politicæ nonnulla erimus præfati.

II. *Politicam* Græcum vocabulum eſſe, ἀπὸ τῆς πόλεως, *à Civitate*, circa quam occupatur, habens originationē, notius eſt, quam ut dici debeat. Quare ut in hâc derivatione multis immoremur, & oſtendamus per ambages, quomodo id cum aliis habitibus, qui ab Objectis nomen ac titulum conſecuti ſunt, commune habeat, parum attinet. Multiplicem vero hujus vocis ſignificatum vulgò annotant, qui *Moralem Philoſophiam* ab ARISTOTELE vocari *Politicam* contendunt. lib. I. *Nicom. c.*I. ubi doctrinam de moribus πολιτικὴν appellare dicitur: quod *primo Magn. Moralium* repetit, *partem Politicæ* iſtam ſtatuens. Apertius lib. 1. *Rhetoricorum* c. II. πολιτικὴν nominat

nat. Sive adstruamus hanc sententiam, sive refutemus; nihil quidem refert magnopere: vix puto tamen citatis locis Hómonymiam latere: quod *principio Nicomachicorum*, non *Ethica*, sed *ea*, ad *quam* hęc ordinatur, vocetur Politica; in fronte quoque *Magnorum Moralium*, expresse τὸ ἦθος, sive *Morem*, & doctrinam de moribus, *partem Politicæ*, non *Politicam* vocet. quod quomodo accipiendum sit, infra dicemus. In Rhetoricis quidem, *Traditionem de Moribus*, *Politicam* appellat: sed tum non *substantivè*, pro habitu Politicæ sumendum est nomen; verùm *adjectivè*, ut civile quid inferat, ad civitatem quocunq; modô spectans. Rationẽ hanc habet interpretatio, quod in eâdem lineâ similis conditionis habetur Rhetorica; quam Politicæ personam subire, ibidem Philosophus testatur: non aliam ob caussam, quàm quod administrationi civili mirè conducat. Qui ad Homonymiam referunt distinctionem, quâ Politica sumitur *Systematicè*, vel *habitualiter*, minus eruditè sentiunt. Nemo ex universâ antiquitate adeò proprietatis vocum negligens fuit, qui *Politicæ* nomine designaverit librum. Hesternum inventum est, quod aliqui minus accurati, aut palàm absurdi auctores, nobilissimas quasque scientiarum in volumina compegerunt; & habituum naturas, proprium humanæ mentis bonum, non sine prolixâ confusione, Typographi litteris, & compactoris ligaturâ miserè circumscripserũt. Quare, cum apud Græcos, à quibus Politicæ nomen accepimus, inveniatur nusquam ea lo-

quendi formula, quæ vocabulum, intellectui debitum, chartis adsignet librarii: opus non est, ut errorem paucorum hominum, evolutione homonymiæ vel excusemus, vel confirmemus. Illud in confesso est, strictius capi Politicæ vocem à Philosopho lib. VI. *Ethicorum*, cap. VIII. quando dividitur civilis prudentiæ ambitus, in *partem Architectonicam*, seu Nomotheticã, & legislatoriam, quæ universam Remp. certis juribus ordinat atque constituit; & partem illam prudentiæ, circa singula versantis, quæ *commune ac generale nomen retinet*, ut ad modum totius audiat *Politica*. Quâ omnem administrationem civilem denotari, manifestum est ex sequentibus, ubi eandem subdividit in Dicasticen & Buleuticen, *Iudiciariam & Senatoriam*: quarum prior Judiciorum formam disponit; altera consilia & deliberationes, de Republica feliciter administranda. Caussam adjecit illam in principio capitis; quod actionem civilem soli videantur expedire Judices & Consiliarii. *Quapropter Rempublicam administrare hos tantummodo dicunt: soli enim agunt isti, tanquam artifices*. Quæ ratio, cum in prudentia Senatoriâ, seu Consultatoriâ, inprimis obtineat: partem hanc per excellentiam quandam totius titulô non præter rem honestabis, & merito vocabis Politicam.

III. Æquipollens nomen, quo Civilis hæc Prudentia nominetur, & exprimatur una Græcæ vocis decor ac vigor, apud Romanos non invenio. credo defuisse congruum vocabulum

lum, quod dignitatem ac sublimitatem rei satis exæquaret. In cujus interim locum substituemus Politicæ vocem: quæ usu & doctorum consuetudine, civitatem Romanam adepta est. FABIUS tamen QUINCTILIANUS, l. II. Inst. Or. c. XVI. p. m. 127. *Civilitatem* dixit. *Plerique credunt eum in hac esse opinione*; (de Platone loquitur) *ut Rhetoricen non artem, sed peritiam quandam gratiæ ac voluptatis existimet, & alio loco* Civilitatis *particulæ simulachrum, & quartam partem adulationis, quod duas partes* civilitatis *corpori assignat &c.* quam appellationem *pag.* 129. repetit. Satis concinnè excogitatum id est; verùm ab usu non approbatum. Vidi, qui varios titulos librorum congererent, eosdemque pro *Synonymis* Politicæ venditarent. Quando nimirum Auctores scripta sua diversimodè insigniunt; & alius de *Republica*; de *doctrinâ civili* alius format titulum: hic *Sphæram civitatis*; ille tractatum *de Regno*; iste aliud schema fronti præfigit: creditum est, *Synonyma* Politicæ adesse, cùm Satura & farrago inscriptionum esset collecta.

IV. Agnatum vocabulum *Politici* est. quod non eadem notione usurpatum Scriptoribus legitur. ARISTOTELES brutis animantibus id epitheton adscripsit, duplici quidem significatione. alibi enim *laboris ejusdem communionem*; alibi *congregationem* indigitat. Sic *Hist. ani.* L. I. c. I. Civiles *appello animantes*, quę labori communicant eidem. *quod non omnibus gregalibus competit. Civilis generis est homo, apis, vespa, formica, grus.* Quæ animantes ob

congregationem alibi id nomen sustinent: quo sensu homo quoque *animal Politicum* vocatur I. Pol. cap. II. *hominem esse civile animal magis, quàm quamvis apem, aut aliud congregabile animal, manifestum est.* Et subest hîc denominationis caussa: nam à congregata multitudine πόλις quoque dicitur, in quâ homines πολλοῦσιν, versantur. Ad præsens institutũ magis accommodatum est dicendi genus, quô Politicum nominamus, *omne civile*, ad civitatem quacunque ratione referendum. ita *Ius Politicum*, quod civile nobis est, Naturali opponitur. Strictiori significatu ARISTOTELES I. Pol. c. I. Politicum appellat *civem Reipublicæ liberæ, vel* democraticæ. *quando secundum rationes scientiæ hujus partim regit, partim regitur,* Politicum *dicunt*. Quod ipsum inde oritur, quod species popularis Reipublicę *Politia* vocatur. Neque hæc acceptio Latinis incognita est, qui *incivilia, plusquam civilia* dicunt, quoties designant machinamenta, quæ libertati Reipublicæ popularis fraudi sunt: & contra *civilem animum*, de studioso popularitatis, aut clementiæ, quæ pristinam libertatis faciem permittit civibus, ponunt. Hac notâ *civilem animum* Cæsari SUETONIUS concedit, *cap.* LXXV. & TACITUS de *Germanico* I. *An.* XXXIII. n. 4. *Nam juveni civile ingenium, mira comitas, & diversa à Tiberii sermone, vultu, adrogantibus & obscuris.* Item II. *An.* 81. n. 3. *Displicere regnantibus* civilia *filiorum ingenia.* Sic *Nervam* EUTROPIUS civilissimum Principem appellat. Nimis quoque arcta est usurpa-

usurpatio *Politici*, quando in Imperio Germanico Status dividuntur in *Politicos*, seu seculares, & *Ecclesiasticos*. Ingens vero abusus augusti nominis est, quoties desperatissimæ malitiæ homines, qui honestatem, fidem, religionem, Deum, juxta æstimant, tam sublimi titulo indignissimè vulgò insigniuntur. GRAMONDI, Historicæ Gallicanæ lib. v. p. 313. ista sunt: *Hæc sectarii, hæc Catholici, quos à contemptu religionis dixere* Politicos. Et iterum pag. 322. *Ast, ut* Politica gens, *sectarii, ne primi bellum denunciasse videantur, dissimulandæ contumaciæ, nova Regi delegatione illudunt.* Eodem libro, p. 289. *Imminere casum hæsitanti, nec fidem datam, nec religionem spectandam, iis momentis, quæ saluti decretoria sunt. Hæc* Politici, *pessimum genus hominum, quibus plerumque Deus & religio pro nihilo sunt.* Quos suis coloribus depingit celeberrimus BOECLERUS, in com. ad Nep. p. m. 58. *Hi sunt hodie, qui se* Politicos *vocant, homines sine bonâ mente, & ad exemplum Callicratis apud* Nostrum, *sine ullâ religione ac fide,* callidi interim & ad fraudem acuti: *nihil illis nefas, quod quæstum; nihil infame, quod commoditatem aliquam promittit: cœlum, jura, leges, fœdera, divina, humanaque omnia, nec sancta, nisi ex usu; nec timenda, nisi per simulachrum. Contra ea parricidia, incestus, injuriæ, cædes, inter artes & speciosa nomina, & sacra tuendi status jactantur.* His propudiis regię scientiæ meritò detrahitur à cordatis viris larva, ne sub ementito nomine imponant simplicioribus, &

in odium atque invidiam genuinæ Politicæ ſtudium adducant. Vix Græcorum beneficio nomen hoc tenemus: & ideo tuendum illud magis eſt. quo amiſſo, non habebimus aliud, ad exprimendam regendæ civitatis artem.

CAPUT II.

DE

Genere Politices.

I. P*olitica eſt* Prudentia.
II. *Non eſt* Syſtema; *nec* Doctrina, *aut* Diſciplina; *non* Ars.
III. *Non* Scientia; *nec* Pars Philoſ. Practicæ.
IV. *An* Sapientia.



Nos miſſis omnibus ambiguis ſenſibus, Politicum verum appellamus & conſummatum, qui præditus eſt illà civitatem tuendi ac conſervandi prudentiâ, quam genuinam Politicam vocamus. Hujus naturam propiùs nunc intuebimur. Num definiri poſſit Politica, diſquirant illi, qui in hoc argumento non reperiunt, quod ſeriò quęrant. Nos ſine hæſitatione eandem ſic deſcribimus: Politica eſt PRUDENTIA CIVITATEM REGENDI. P*rudentiam* eſſe Politicam, definitio *prudentiæ* docet. Inter activos enim referendus omnino habitus noſter eſt: & cum in *actione*, quam propriiſſimâ notione Praxin

Praxin dicimus, verſetur; non poterit non Prudentiæ nomen mereri. Eſt enim *habitus intellectualis practicus, cum recta ratione actibus.* Adhæc Prudentiæ indoles latius patet, & Morali, Domeſticæque adſcribitur. ARISTOTELES illud quoque diſcrimen notavit; *Politicam* publica; *Prudentiam* etiam privata curare. Poſtquam enim in VIII. cap. lib. VI. *Nicomachicorum* aſſeruerat; *Politicam & Prudentiam unum eandemque habitum eſſe*, quoad generalem ſcilicet naturam Prudentiæ, quæ in Politicâ, tanquam ſpecie conſpicitur: ſubjungit ſtatim; *eſſentiam*, contractam ſcilicet ad ſpeciem civilem, *non eſſe eandem. Eſt autem & Politica & Prudentia idem quidem habitus, eſſentia verò non eadem ipſis.* Eamque differentiam pluribus illuſtrat. *Ac videtur, qui ea, quæ circa ipſum ſunt, novit, & in ipſis verſatur prudens eſſe: Politici verò negotioſi, ſeu variis intenti actionibus ſunt.*

II. Vulgus Politicorum miſerè affligit Politicam, quidvis potius aliud, quàm verum genus adducens. Alii, *Syſtema* nominant habitûs noſtri genus. Quærunt nimirum rei intellectualis, & omnis materiæ expertis, naturam in libro, in chartis: infelices, & omnino imprudentes futuri, ſi litterarum, aût typographiæ beneficium non eſſet inventum. Per Syſtema enim collectionem Præceptorum, in chartam conſignatorum, intelligunt. Quaſi vero Pragmaticus vir prudentis titulum non mereatur, niſi ex præceptis notitiam hauſerit? Litteræ ſigna ſunt rerum, res ipſæ non ſunt.

Et fuerit Politica oportet ante, quàm litteris consignaretur: nisi enim exstitisset, quomodo scripta fuisset. Quale igitur genus tunc habuit, quum præceptorum collectio nulla esset? Sunt qui per *Doctrinam*, vel *Disciplinam* finiunt: iterum minus accuratè. Doctrina cujuscunque habitûs est, quando docetur; disciplina, quando addiscitur. Respectiva igitur hæc nomina sunt, quæ absolutam essentiam minimè explicant. Confundimus, non illustramus rei definitionem, quoties relativum genus aptamus definito, quod naturam simplicem & absolutam habet. Nec illud advertunt hujus generis auctores, doceri, discere, præsupponere existentem jam rem. nihil docemus, nihil discimus, quod non exstiterit prius in mente docentis. quippe natura cujusque rei præcedit operationes & affectiones. Est utique Politica perfectissimus habitus, quamvis nec doceatur, nec addiscatur. Accidentaria hæc munia sunt, quæ essentialem indolem Politicæ non declarant; quæ citra destructionem ejusdem abesse possunt. Verbo, doctrina, disciplina faciunt ad *comparandam* Politicam, non ad *definiendam*. Non minus errant, qui *Artis* nomen huc adducunt. Est quidem habitus practicus Ars, idque cum Prudentia habet commune, quod in actione consistit: cæterum differentia specifica in utraque diversa est. Genere quippe remoto Politica cum arte convenit, cum sit habitus intellectualis practicus: sed hanc communem naturam arctat propria definitio, quæ Politicam ab Arte separat. Ars efficit opus, quod

quod post se relinquit: Prudentia nullius operis, quod sensus feriat, effectrix est. Ars mechanicorum habituum est, quæ manualem effectum producunt. Prudentiæ operatio subtilior est atque sublimior, quam ut sensu deprehendi queat. Superat enim omnium sensuum sagacitatem hoc mentis lumen, & à sibi simili tantùm gaudet observari. Benè faciunt, qui ad obstruendam errori ac confusioni viam, distinguunt actiones intellectuales, ut alia sit *speculatio* seu Theoria, alia *actio*, alia denique *effectio*. Intellectus *speculativi*, qui abditas res & penitissimas rerum caussas, sed necessarias scrutatur, propria est Theoria. Intellectus Practicus, qui *Prudentiâ* instructus est, *actionē* sibi vendicat: quem Græci Praxin vocant, & in morum genere ponunt. Quotiescunque verò intellectus ad *artem* se accingit, *Effectio* dicitur ea opera, quam Græci ποίησιν, appellant. Quę distincta vocabula distinctissimas res notant, & citra absurditatem nunquam confundendas.

III. Multò magis removenda hinc est *Scientia*: utpote quæ toto genere distat à Politica, cùm speculativis habitibus annumeretur. Doctissimo PICCARTO non assisto, quando in *Prolegom. comment.* in Politic. Aristotelis, pag. 3. & 4. duplicem facit modum Politicam considerandi; unum *quatenus docetur*, & certis veluti præceptis inclusa est; alterum *quatenus habitus* est, per quem cognitio illa acquiritur, partim doctrinâ, partim usu in hominem introductus. Posteriori considerandi modo ad

prudentiam omnino referendam censet: priori *theoretici aliquid* in se habere, & ad *scientiam* referri posse, tradit. Verùm Politica secundum naturam suam, quam in Definitione vestigamus, perpetuò est habitus: quare per prudentiam ubique describenda. Accidentalis ille doctrinæ respectus, genus, quod essentiale semper est, innovare nequit. Nec tum includit theoriam Politica, quando docetur: cognitio quidem & notitia præcedit; nulla Theoria, quæ speculativum intellectum sequitur. Nihil turbat, quod ARISTOTELES sæpissimè ἐπιστήμην *scientiam*, de Politica pronunciet. *Principio Nicomachicorum* de Morali Philosophia solicitus, quærit, τίνος τῶν ἐπιστημῶν, *cujus Scientiarum subordinata sit*? mox respondet ad Politicam esse referendam. Et mox *scientiam Practicam* apertè vocat. χρωμένης δὲ ταύτης ταῖς λοιπαῖς πρακτικαῖς τῶν ἐπιστημῶν. *Quod utatur Politica reliquis Practicis Scientiis.* & Lib. VI. *Ethic.* c. VII. *si quis scientiam civilem.* Plura loca sunt apud *Eundem*, & PLATONEM: quibus nomen Scientiæ, Politicæ adsignatur. Verùm ingens discrimen est Definitionis, & reliquæ orationis. In definitione nunquam licet peregrinum genus ponere; quod nec fecit ARISTOTELES: extra illam quodlibet figuratum nomen tolerabo. & ipse in sequentibus, extra definitionem, nec à Scientiæ, nec artis, nec doctrinæ vocabulis abstinebo. In eo autem culpandi planè sunt Aristotelis Sectatores, qui quodlibet prædicatum ab illo teme-

rè

rè positum, pro genere suscipiunt & amplexantur. Non admittimus alteram *Piccarti* descriptionem; quod per *genus remotius* definita Politica, sit P*ars* P*hilosophiæ* P*racticæ*. Partis nomen imperfectionem notat: quam exulare oportebat Architectonico habitu. Eodem jure singularum Theoreticarum genus *partem* constitues: quod nemo accuratior admiserit. Ut taceam P*hilosophiæ* P*racticæ* P*artem* nusquam in serie prædicamentali occurrere. Nam proximum genus, ipsis fatentibus, est P*rudentia*: hujus genus est *habitus intellectualis practicus*; hujus genus, *habitus intellectualis*. Hic subjicitur *habitui*; qui proximè surgit ex *Qualitate*. hæc ad *Accidens* refertur. Ita nusquam invenitur in hâc classe, Pars Philosophię Practicæ. Ut illud quoque prætercam, P*artem*, non esse in prædicamento, nisi reductivè: & hîc absolutè describimus Politicam. Neutiquam igitur admittendum est, quod P*olitica sit pars Specialis* P*hilosophiæ* P*racticæ*, *Ethica generalis*. Repugnat enim natura Partis generalis & specialis. In speciali omnia debent applicari, quæ in generali tractata sunt: sed quid nobis cum liberalitate, magnificentia, fortitudine, & reliquis virtutibus, ubi de Republicâ, de Juribus Majestatis, de subditis agimus. Illud inauditum est, in parte speciali diversum dari Objectum, quod in generali nõ contineatur. Civitas enim nunquam sub Ethices Objecto latuit. Quod tamen necessarium erat: cum pars generalis latissimo ambitu omnes species ejusdem Objecti contineat. Pars quoque specialis semper participat de-

de prædicatis partis generalis. Politica verò in ſuis Eſſentialibus Conſtituentibus commodiſſimè tractatur, ne facta quidem mentione Ethicæ.

IV. Romanus JCtus alibi Juriſprudentiam vocat *Civilem Sapientiam*. l. 1. §. 5. *De Ex. cog.* Quicunque hoc elogium univerſæ Politicæ adſcriberet, non me haberet adeò contradicentem. Nam ſi contenderet; munia Sapientiæ eſſe, Prima Principia complecti, & ſimul concluſiones ex iiſdem deducere; nuſquam verò alibi quàm in Politicis, Principia Conſiliorum, Juris, & quæ ex imperii doctrinâ emergunt, cum derivatis inde Concluſionibus, obſervari: id equidem negare haud poſſem. Conjunctam enim tractationem Principiorum & Concluſionum, ſapientiam producere, vulgò creditum eſt. Non unam ſaltem eſſe ſapientiam, quam Philoſophiam primam vocant, innuere ſatis videntur illi, qui habitum Principiorum partim Theoreticis, partim Practicis adſignant. Ut enim ex copulâ Principiorum Theoreticorum cum ſuis concluſionibus, ſurgit ſapientia; ita Principia practica, cum ſuis concluſionibus producent alteram ſpeciem. Illud quoque inficiari haud poſſum, Politicam in nudis conſultationibus minimè conſiſtere. Pars enim Architectonica præter communiſſima Principia aliqnot de Imperio, illas format concluſiones, quæ neceſſariam & immutabilem ſequelam continent, & conſultationi nulli ſunt obnoxię. Hoc ipſum opus licet theoreticum non ſit, conſultatio interim

terim non eſt. Hoc autem morari poſſit titulum *Sapientiæ*, quod hactenus inter habitus Theoreticos unanimi conſenſu relata eſt: noſter verò habitus Speculativus minimè eſt, ſed Practicus manet: quum toto genere diſſentiens nomen eidem imponi poſſe, non videretur ſatis congruens. Et huic tamen difficultati occurreret talis ſententię auctor, exemplo uſus Theologiæ, quæ Sapientia ſalutatur à pleriſque, licet Praxeos in ſe contineat plurimum: diceretque fortean, numerum habituum ampliandum eſſe, ut objectis ſufficiant habitus, conſtituendamque, vel *ſapientiam practicam*, vel adinveniendum congruum vocabulum, quod illa generalia munia ſapientiæ, conjunctionem ſcilicet Principiorum & concluſionum complectatur, & alienum eſſet interim à Theoria, quam ſapientia fovet. Hoc inquam argumentum ſubtiliter & ſatis ſpecioſè diſſeri poſſet ab homine, cui animus eſſet, his pluribus immorari: ego iſta ut penitus non damno, ita hactenus à prudentia nondum decedo, uſque dum ad liquidum deductus fuerit Politicus iſte habitus.

CAPUT III.

DE

Objecto Politicæ.

I. *Objectum adæquatum Politicæ* Civitas.
II. *Non ſola multitudo; nec Reſpublica abſtracta.*
III. *Non*

III. *Non mores hominis, civiliter informandi.*

IV. *Modus considerandi Civitatem.*



HÆc de Genere: *Differentiam*, per quam genus prudentiæ restringimus, ab Objecto sumimus CIVITATE. quo nomine non tantùm *materiale Subjectũ*, seu Multitudinem; nec *Rempublicam* tantum: sed *utramque*, uno complexu conjunctum, accipimus. Quicquid in Politica occurrit universâ, reduci potest ac debet ad alterutrum, *Societatem* & ejus constitutionem; aut ad *imperium* civile, quod Rempublicam introducit. Ex duobus igitur conjunctis efficitur Objectum adæquatum Politicæ. Facile autem probatu est, Civitatem esse verum & sufficiens Objectum, ex omnibus conditionibus generalibus Objecti. Repræsentat enim menti nostræ certum aliquem conceptum: ne vagetur hinc inde animus, & in diversa dilabẽs, fluctuet dubiâ varietate. Propria tantum & domestica objicit nobis Civitas, non quæ ad peregrinos habitus pertineant: & in necessariis, ad Politicam pertinentibus, non deficit. Nam adæquatum est, quod nec abundat alienis, nec destituitur suis. Evidentissima verò nota est, quod hoc objectum in nullâ disciplinâ aliâ, vel *principium* sit, vel *affectio*, vel *species*, vel *modus*. Et adeo proprium est Politicæ, ut nullus alius habitus objectum hoc, vel materialiter sumtum, sine modo considerandi, qui in Regimine civili consistit, tractet.

II. Hinc arbitrari citra negotium licet, ma-

lè

lè pro Objecto venditari *Civitatem* in sensu *materiali*, quatenus pro *Societate*, seu multitudine sumitur. excluditur enim princeps membrum quod in Republicâ consistit. Quod illi quoque faciunt, qui Societates humanas huc trahunt. inducti tali ratione: quod *in illas agat Politica, finem introducendo*, Rempublicam. legitimum verò disciplinarum practicarum Objectum esse, in quod operantur, cuique finem ingenerant. Non urgebo, Societates humanas vario significatu accipi; quod æquivocum loquendi genus vitiat Objectum: id saltem moneo, latitudinem objecti veri, societatibus humanis non includi, aut terminari. Immutabilis proprietas Objecti est, ut sit *adæquatum*: ut omnia quæ ullibi occurrunt in disciplinâ, illuc respiciant. Præter societates simplices & compositas, tantum non omnis cura Politicæ in *Imperio*, & huic respondente *Obsequio* consumitur: quæ sub vocabulo *societatis* latere, ego nunquam affirmaverim. Regula illa, *Objectum practicum esse, in quod agit habitus, finem tantum introducendo*, quin falsa sit, nullus dubito. Ita forsan hodie nullam habebimus Politicam, aut nullum objectum ejusdem; cum finis, qui secundum illos est *Respublica*, non demum introducatur; sed Respublica constituta administretur. Non est Politicæ opus introducere Rempublicā non existentem: quæ cum in primariâ specie imperium majestaticum includat, nulla prudentia constituitur. Et decepti omnino sunt promiscuâ usurpatione vocis *Subjecti*, quod pro Objecto interdū ponitur. Societates *Subjectum* sunt

Reipu-

Reipublicæ: non *objectum* Politicæ. Quod si illud *agere*, non per introductionem finis; sed administrationem interpretemur: non tamen Societates objectum constituent. Quod non exhauriant, ut modò dictum, considerationem Politicam; cum administratio non tam Societatum, quam Imperii conditionem sequatur. Accipiamus generaliter axioma; Objectum Politicæ est, in quod Politica agit: & applicabimus commode ad Civitatem. In hanc enim per Imperium, in subjectum materialis societatis introductum, constitutam, agit Politica, regendo ac conservando. Similiter rejicienda est eorum opinio, qui *Rempublicam* obtrudunt pro objecto. quam sententiam eædem difficultates premunt, quæ angustiam materiæ Societatibus exprobabant. Primarium quidē membrum contemplationis civilis, Respublica est: interim omnem considerationem non terminat. Sicut hominem anima imprimis constituit: corpus tamen in constitutione abesse, aut in consideratione negligi nequit. Hactenus benè *Arnisæus* Disciplinarum practicarum subjectum conflari *ex fine*, *& eo, cui finis incumbit*, censet, *principio Relectionum Politicarum* n. 5. Quod clariùs dicitur; Objectum Politicæ esse Rempublicam & Societatem simul sumptam, unoque contextu Civitatem dictam: non solam Remp. Neutiquam tamen rejecerim solitariè sumtā rempublicam ideò; quod Respublica *sive in genere. sive in specie considerata, ex partibus suis componatur & producatur in ipsa disciplinâ, quod sit contra naturam*

turam Subjecti. Nam & civitas, materialiter accepta, quæ auctoribus illis Subjectum est Rerumpublicarum, & per consequens totius Politicæ, ex partibus suis componitur, & surgit in ipsâ disciplinâ. Nullam mihi nominabis prudentiam, vel Sapientiam, quæ civitatem explicet atque constituat. non excluditur propterea civitas ab Objecto. Nobis utriusque conjunctio suppeditat Objectum: licet civitatis materialis partes, & Reipublicæ productionem, seu Constitutionem in sequentibus declarare animus sit. Ea est natura Civitatis, ut sine caussis constituentibus in genere explicari nequeat. Propterea verò Remp. negamus objectum esse; quia cognitionem civilem non sistit. Si verò Rempublicam non capias strictè pro ordine solo; sed includas simul totam multitudinem: jam non repugnabimus, quod idem nobiscum sentias, & integram civitatem intelligas.

III. Non recipiam illorum sententiam, qui putant Objectum Politicę, *mores hominum esse, quatenus sunt civiliter instituendi*. cui proximè acceditilla opinio, quę *hominem, quatenus civiliter instituendus est*, objicit Politicæ. Neutra veri objecti attingit, nedum exhaurit, amplitudinem. Certum est, Politicum aliquando de moribus esse solicitum: ideò & Censores constituit, & perversis moribus pœnas sancit: verùm hoc negotium portio Prudentiæ administratoriæ; non universæ Politicæ materia est. Quanquam & illa Censoris provisio ad honestam conversationem dirigit

potius

potius animum civium, quàm civiliter, (quod vocabulum nescio quas subtiles elegantias, & decoras dexteritates involvit,) instruat. Non admittuntur homines, qui Censorem habent, ad arcana illa pręcepta civilium mysteriorum. quorum usum *Senatoria* tradit; fundamenta verò jacit prima pars, quæ Objectum explicat, & propterea Architectonica nobis audit. Quę interim de morali institutione nihil novit. Quid enim de talibus Jus magistratuũ creandorum, belli gerendi, monetæ, & reliqua Jura Majestatica? Partes Politicæ essentiales, nec homini instituendo, nec moribus conformandis applicari possunt. Quamvis autem primo intuitu satis rejicula hæc opinio appareat: rationibus nihilominus probare nituntur, *hominem civiliter instituendum, esse verum & adæquatum Objectum*. Illud principio movent: Quod *nullum objectum ingreditur constitutionem ejus, cujus est objectum: sed extra illud est, & exsistit*. Hęc ratio quantum pondus sententiæ isti adjiciat, divinando non possum assequi. Nam idem de Civitate potero dicere, quod Politicæ constitutionem non intret: cum habitus diversum quid sit ab Objecto, quod tractatur. Quod si illud *ingredi constitutionem* interpretentur de explicatiòne, quod Objectũ, non debeat explicari in ejusmodi disciplinâ: planè falluntur, & refutatione non indiget tam absonũ effatum. Quorsũ enim perfectio habituũ, quam solicitè quærimus, nisi ut dextrè objecta enucleentur? Deinde; *Omne* dicũt, *Objectum toti correspondet Politicæ:* quod ipsum quo sensu intelliga-

ligatur proferaturq;, cum contrarium quilibet tyro deprehendat, ipſi viderint. Verū eſt, quod objectum adæquatum univerſæ Politicæ reſpondeat: quis verò hoc de homine, civiliter informando, ſibi perſuaderi paſſus fuerit? Quis dicet, hominis civiliter informandi jura & imperia proponi in Politicis, conſilia explicari? ne mentio quidem fit in totâ Architectonicâ conſtitutione hominis Politicè informandi. Objectum ſanè nominari debet in doctrinâ; & declarari, à quibus cauſſis conſtituatur, vel quas habeat affectiones, & quales ſpecies. Hominis autem civiliter informandi nec definitio proponitur, nec cauſſę inquirūtur, nec affectiones demonſtrantur, nec deducuntur Species. Excipiunt adhæc tertio loco; *Objectū non debere demonſtrari & tractari in eâ ſcientia, in quâ eſt Objectum.* Sed hoc apertiſſimè falſū eſt partim, partim ad Politicam eximiè non pertinet, cum in aliis Theoreticis per omnia verum haud ſit. Quod non debeat tractari in propria diſciplinâ, nemo paulò accuratior credidit. Neſciebā quid cauſſæ ſubfuerit, quod tàm frigidè vulgus Politicorū Objectum ſuum perſequatur: nunc facilis conjectura eſt, prohibitos hoc axiomate fuiſſe, ne in naturam ejuſdem penetrarent. Fruſtra ZABARELLAM advocant, qui Libro *de Tribus Præcognitis* c. II. nunquam docet, *Objectum tractari non debere.* Id quidem aſſerit, *Objectum Scientificum non eſſe demonſtrandum in habitu, cujus Objectum eſt.* Scientifici objecti neceſſaria conditio illa eſt; ut ſit præſuppoſitum, nec demonſtretur in Scientia. Ratio eſt, quod jam Metaphyſica determinavit Scientiis

Objecta

Objecta, in Serie Entium Speciali. inde sumere possunt eadem habitus speculativi. Sed hoc ipsum Politicam, quæ Scientia non est, minimè tangit. præsertim cùm nulla alia disciplina ejusdem Objectum determinet. De Republicâ enim, aut civitate, in Classe Specierum Entis, altum silentium. Qua de caussa & prima Philosophia, cum superiorem non habeat, à quâ definitionem Entis petat, Objectum suum describit, & explicat ante, quam ad affectiones, & species transeat. Non igitur judicanda civilis prudentia secundùm normam Scientiarum; nec illius Objectum ad reliquarum conditionem exigendum est. Ultimò dicunt; *Objectum esse radicem, à quâ omnia oriuntur, quæ in disciplinâ tractantur.* Quod citra applicationem dicitur. Quis effatum hoc accommodaverit *homini civiliter instituendo*? Num ab hoc proficiscitur integra civitas, Subjectum Reipublicæ? Num Majestas cum omnibus imperii potestatibus? num solertissima inventa tractandæ multitudinis, & abditi consiliorum recessus? Augustiora hæc sunt, quàm quæ in tyronem Politicæ doctrinæ cadant. Decepit auctores falsus Politicæ conceptus, dum eandem tanquam *doctrinam* considerant. In hoc accidentali respectu, accidentale habet objectum, instituendum hominem: verùm hoc objectum non est *Politicæ*, sed *Doctrinæ*. Quæ ipsa tandem doctrina concepta est de Republica, de civitate, quæ objectum Politicæ Prudentiæ sunt.

IV. Amplius petimus differentiam à *modo*

consi-

considerandi, quatenus hæc prudentia circa civitatem versatur *regendam*. Quo vocabulo complectimur omnem concentum administrationis, à primo natæ Reipublicæ momento, in reliquam ætatem diffusum. Quamvis enim in nascente republicâ constitutio Sacrorum, legum, Magistratuum, videantur ad constitutionem Reipublicæ facere; reverâ tamen jam institutam sequuntur Rempublicam, cum exercitium Majestatis complectantur. Provisio illa Ecclesiastica, vel civilis, præsentem Majestatem refert. Quę administrationis initia curatissimas cautiones flagitant, ut secuturis temporibus regimen civile procedat ex ordine. Quemadmodum enim hæc fundamenta fuerint jacta; ita comparata erit civitatis facies. Huc pertinent omnia, quæ felicem efficiunt Remp. & ab incommodis defendunt: sive Jurium beneficio id consequamur; sive Consiliorum salubri excogitatione. Quicquid dispositionem aliquam ab imperante recipere aptum est; huic considerandi modo subjungitur. Hic suis numeris perfectus absolutam facit Politicam, & consummatum præstat Politicum. Hoc quantum sit, ex divisione patebit.

CAPUT IV.

DE
Divisione Politicæ

I. *Divisiones non adaquata.*

II. *Politica distribuenda in Prudentiam* Architectonicam.

III. *Et* Rectoriam. *sub qua* Legalis,

IV. *Et* Consultatoria.

V. Piccartus *agnoscit talem divisionem.*

VI. *Fundamentum nostræ divisionis.*



Ergimus itaque ad Distributionem Politicæ. Non hîc refutabimus prolixè vulgares errores, putantium, divisionem omnium disciplinarum practicarum atque adeo Politicæ quoque, aliter institui haud posse, quàm ut dispescantur in *finem, & media ad finem ducentia.* Inolevit temporis tractu hæc divisio Politicæ, quæ *Finem* nominat *Rempublicam*; *Media*, ducentia ad finem, *Imperantes & Subditos*; tum *Magistratus & Leges.* Stetit qualiter qualiter hæc opinio hucusque: sed leviter impulsa statim corruet. Ostendemus autem infra, ubi de Methodo futuræ tractationis soliciti erimus, quod partitio hæc sonum sine mente contineat. Quare nunc non præcipimus eum laborem. Vidi Politicos, qui secabant Civilem Prudentiam in *Christianam* & P*aganam.* Quę verò discrimina inter has Politicas ponantur, non reperi explicatum. Mirum, quod Physicam, Arithmeticam & Geometriam non faciant Paganam & Christianam. Et poterant alias species addere, Judaicam & Mahumeticam. Has quoque, ac illas, in suas sectas dispescere. Nihil conferunt religionum diversitates ad Naturam Politicæ.

Una

Una est veritas Principiorum Politicorum, nec mutatur à falsâ religione infidelium. Ad idem obsequium obligatur subditus Paganus, ad quod Christianus obstrictus est. Jura, quæ necessariam moralitatem continent, Ethnicis quoque inviolabilia sunt. Consilia, quæ imprudentiam exprobrant gentilibus, non conciliabunt laudem Christianis. Illustris FRANCISCUS BACO DE VERULAMIO, lib. VIII. de Aug. Sci. c. I. Politicæ tres partes adsignat, Prudentiam *in conversando*; Prudentiam *in negotiando*; Prudentiam *in gubernando*. Priores tamen vix ad essentiam Politicæ pertinent, quod homines, ab elegantia morum alienissimi, Civilis prudentiæ laudem nihilominus consecuti sint, ut Catonis exemplo notum est: *negotia* vero evidenter ad privatam vitam referantur. Commendanda est conversationis jucunditas civili viro: sed tanquam externus decor, qui gratiam circumfundat actionibus; non tanquam naturale bonum, cujus absentia Politicum titulum destruat. Negotia privatæ prudentiæ sobolem esse, diffiteri vix poterit quisquam: & CICERONIS locus, de Prudentibus, in foro deambulantibus, consultis, idem apprimè docet. De Jure fuisse interrogatos, non est negandum. Responderint præterea de filiâ elocandâ, de prædio coëmendo, de contractu: privatum opus est, tractare hujusmodi, nec civilem prudentiam tangit. Habeat suam laudem notitia dextrè versandi in talibus: ad negotia publica non ascendit, quæ Gubernatio civitatis tractat, & Politica pollicetur. Fundamen-

mentum quoque dictæ divisionis valdè lubricum est; petitum à tribus bonis, quæ homines ex societate civili parare sibi expetunt. Nam priora duo, *Solamen contra solitudinem*, *adjumentum in negotiis*; extra Rempublicam, vel in Societatibus simplicioribus, vel in materiali civitate, quæ imperium civile non complectitur, obtineri commodissimè possunt, ut Rep. nullâ opus sit. *Protectio contra injurias*, Imperii fundamentum, prolixius quidem præstatur in constituta Republica: non exulat interim in congregata multitudine Sociorum. Ut nihil dicam, Partitionem Politicæ, non ex intentione Civium; sed diverso modo considerandi Objectum desumendam esse.

II. Nos universum augustæ Politicę ambitum in duas principes partes distribuemus, PRUDENTIAM ARCHITECTONICAM & RECTORIAM. Prudentia ARCHITECTONICA est, quæ basin reliquo operi substernit, & constitutionem civitatis docet; ejus naturam & caussas explicat, imperii potestates, obsequii vincula per Rerumpublicarum species tradit. Nihil in cæteris partibus egregii pręstabitur, si hæc non fuerit exactè cognita. Ex objecti enim cognitione & Legum Sanctio, & Consiliorum moderamen pendet. Quare fundamentum est partis Rectoriæ: & merito nomen *Prudentiæ fundamentalis*, seu *Architectonicæ* gerit. Hæc verò pars tantum solicita est de Objecto ritè explicando. Nam ut supra vidimus, Civitatem nulla alia doctrina explanat: ipsa igitur Politica hoc negotium sibi datum

sentit,

ſentit, ut *Materiam*, circa quam occupata eſt, accuratè proponat, ſecundum naturalem atque domeſticum ordinem, quo multitudo ſociorum conſtituitur, & ſub imperium Reipublicæ concedit. Ut in ſubſequenti tractatione obſervabimus.

III. Prudentia RECTORIA inſequitur conſtitutam Rempublicam, & eandem adminiſtrare legitimè docet. Legitimè verò adminiſtratur, quoties *Juſtè* & *Prudenter* regitur. Unde ſubdiviſio naſcitur Rectoriæ, in Prudentiam *Legalem*, & *Conſultatoriam*. *Prudentia Legalis* eſt, quæ Rempublicam conſtitutam juribus inſtruit, ut honeſtatis, utilitatis ac tranquillitatis publicæ privatæque ratio ſibi conſtet. Nec enim ſatis eſt, delineaſſe civitatem, & regiminis varietatem oſtendiſſe: accedat oportet Juris adminiſtratio, non tantum in ſcribendis legibus; ſed in omni negotio, quod vel cum ſubditis, vel cum exteris tractat Majeſtas. Non exſpatiabimur hîc pluribus in Prudentiæ hujus partitionem; id obiter cenſemus, pro triplicis Juris naturâ, illam quoque diviſionem admittere, ita ut ſit vel *univerſalis* vel *particularis*. Univerſalis contineat illam notitiam, quæ conſiderat actiones, perpetuam moralitatem habentes; ortas ex Jure naturali, vel Gentium. *Iuris naturalis* peritia intrinſecam honeſtatem vel turpitudinem oſtendit actionis; tum Objecti ſui, Juris naturalis, conditionem perſequitur. Ampliſſima doctrina, & quæ fundamentum eſt omnis Nomotheſiæ. Perpetuum quoque eſt *Iuris Gentium* effa-

effatum, & commune. Hoc à republicâ non potest submoveri: sicut nec jus naturale ab homine. Hoc enim omnes homines obligat; jus gentium omnes populos, sub republicâ degentes. quò pertinent jura societatum cum exteris, seu fœderum, bellorum, pacis, & quicquid cum gente peregrinâ transigimus. *Prudentia Particularis* consistit in juris privati enucleatione, quatenus indifferentes actiones, nec bonæ, nec malę suâ natura, determinantur à Legislatore. Hanc prudentiam quælibet civitas habet propriam.

IV. Hactenus Legalis Prudentia normam suppeditat justæ actionis: ut hanc prudenter simul & utiliter instituas, & providè verseris in omnibus, *Consultatrix pars* succedit: & agendi consilia, & emoliendi dexteritatem salutariter docet. Latissimè hæc patet, & maximam partem Politicæ implet: unde etiam per Excellentiam Totius nomen adepta est, ut POLITICA vocetur: dum omnia consilia dirigit, ut noxia declinentur; necessaria, utilia, decora commode publicum augeant. Una hæc pars instar omnium est, dum felix Reipublicæ administratio ab hâc solâ dependet. Non sufficit, Justitiâ antecellere alios, pium bonumque fuisse: providens cautio requiritur, quæ procul absit à rusticitate & imperitia, quàm propè hæ à detrimento absunt. Laudamus simplicitatē; sed non incallidam: commendamus pietatem & justitiam: sed sagacitati & solertiæ conjunctam. Sine quâ bonum virum quidem habebimus; sed non bonum Politicum.

cum. Cæterùm pars Consultatrix à Politicis vulgaribus plerumque negligitur; aut quod turpius est, plane ignoratur: cum tamen & hujus tradi debuissent fundamenta, & præclara scita, quantum fieri poterat, in ordinem cogi. ne esset opus ab Historicis universam hodie petere. Ita enim accidit, ut indigestam illam consiliorum molem habeamus, cum universo operi nemo hactenus admoverit manum. Quæ enim passim de consiliis, & formando statu, libellis suis interserunt Politici, & paucissima sunt, & confusè proposita. Plures particularem tractant materiam Principatûs, quem ne sic quidem exhauriunt, generaliora tradentes. Laudandus interim JUSTI LIPSII labor est, quem in concinnandâ doctrinâ civili suscepit: in quâ pleraque firmamenta Principatus ex intimis recessibus prudentiæ derivavit. Pauciora tamen sunt Prudentiæ præcepta ibi posita, quam quæ partem aliquam faciant ingentis operis. Adjungendi ergo sunt, quæ de eodem argumento, vel de ratione status, scripserunt alii: tum qui Historicos suis commentariis illustrarunt. Ab his enim petenda est hujus Prudentiæ cognitio.

V. Hæc est divisionis nostræ explicatio, quam si eo nomine quis rejiciendam putet, quod novitia sit: is attendat, quid PICCARTUS ad mentem *Aristotelis* scripsit; & examinet *diversam Objecti rationem*, & non eundem considerandi modum, & benignius depromet judicium. Statuit Cl. Vir in comment. ad Aristot. Polit. Procem. in tres partes à Philosopho

 distri-

diſtributam eſſe Politicam. Primam eſſe Nomotheticam, quæ vocatur *Architectonica*, & Rempublicam conſtituit; qualis fuit prudentia Romuli, Solonis, Moyſis, Lycurgi. Alteram partem dici Buleuticen, *Conſultatricem*, deliberantem de rebus pertinentibus ad dignitatem & incrementum Reipubl. Tertiam vocat Dicaſticen, Latine *Forenſem*. vel *Iudiciariam*. Vereor tamen, ne alia mens ſit Ariſtotelis, quam quæ genuinæ diviſioni quadret. Locus in VI. Nicomach. c. VIII. legitur. Prudentia quæ circa civitatem *alia eſt Architectonica ſeu princeps, Legiſlatoria: alia circa ſingula verſans, commune retinet nomen & dicitur Politica.* quam iterum ſubdividit in Buleuticen & Dicaſticen; in Conſultatoriam & judiciariam. Alibi quoque IV. Polit. c. XIV. ad tria pręcipua momenta regimen civitatis alligat, Poteſtatem conſultandi de communibus, Magiſtratuum imperia & Judicum poteſtatem. ut mihi quidem perſuaſum ſit, partes illas enumeratas, perfectam diviſionem Politicæ neutiquam complecti. Principio notamus, doctrinam de conſtitutione civitatis omnino hîc omiſſam eſſe. Nomothetica enim prudentia, & nominis vi, & ipſo opere inſequitur productam Rempublicam, & adminiſtrationem infert non minus ac Forenſis, quæ in applicatione legum occupatur. Utraque idem Objectum habet, legem. Quod legiſlator ſancit, id exſequitur judex. Conſultatoria non tantum circa ſingula: ſed univerſam Rempublicam verſatur. Imo quod Nomothetica Architectonici habet,

habet, id ex Consultatoriæ beneficio possidet. ut utilem condat legem, & fructuosam Reipublicæ. Loco igitur Nomotheticæ ponenda *Explicatio Civitatis*: Loco Dicastices *Universi Iuris notitia.* Buleutice in sua sede relicta. Interim ad nostrum institutum sufficit, PICCARTO occurrisse similem distributionem: & ab ARISTOTELE Consultatoriæ adjunctas esse Legum gnaras prudentias.

VI. Nunc verò aperiendum est fundamentum nostræ divisionis: quod ubi firmum est, perinde nobis fuerit, sive aliquis, sive nemo eandem partitionem agnoverit ante. Doctrinam de Civitate, ac Reipublicæ constitutione, omnes pro genuina parte agnoscunt, ita ut plerique hâc sola Politicam absolvi credant. Et hactenus quidem materiam istam tractant, quod objectum Politicæ contineat. Rectissimè. quum enim prudentia civitatis dicatur Politica: ipsam Civitatem ritè explicare debet. Misere recturus est civitatem, qui ignorat, quid sit civitas. Ita fundamentum omnis Politicæ prudentiæ incipit à cognitione civitatis. nos singulari nomine magnifacimus, quod *Imperium* civile includit. Hoc enim & dignationem maximam circumfundit Prudentiæ Architectonicæ, & totius Reipublicæ atque Politicæ caussa existit. Non enim temerè appellavimus hanc Partem *Architectonicam:* sed propter imperii explicationem, quod reliquis omnibus spiritum ac vitam largitur. Excellentissimæ sunt Rectoriæ prudentiæ partes: nihilominus alterâ Consiliarius & Senator; alte-

alteram Jureconsultus possidet: *Imperium* in solum Principem, Dei vicarium, cadit. Quapropter peculiare quid habet pars Architectonica, quod explicet, Imperium. Rectoriam prudentiam nemo hactenus negavit, & sub Administrationis Titulo plerique proponunt. Inveniuntur enim Politicam distribuentes in Constitutionem & Administrationem: verùm applicatio à nostrâ longissimè abit. Ad Constitutionem enim Personas tantum referunt: Administrationem, qualiquali Majestatis interpretamento absolvi credunt. Quicquid sit, illud notissimum est, Administrationem hujus loci esse. Quod clarius patebit ex infra dicendis, ubi Imperii facultates recensebimus: in illo namque ordine, primum locum occupat universalis dispectio de Reipublicę commodis, quam *Provisionem Communem*, vel *Consilium* nomines, perinde est. Hæc cura de integra Republ. consultandi, explicari nequit sine prudentia directrice, quæ Consilia suppeditat, civile commodum adjuvantia: quibus Respublica recens constituta denuò quasi fundatur, ut diuturna & perpetua sit. Hæc docet veram status Rationem, sine vitio tyrannidis, sine malis artibus, sine omni vaframento. Sine hâc Prudentiâ immanis confusio multitudinem affliget, nec subsistet Respublica. Necessaria itaque est, & distincta quoque à doctrina Imperii, cum *Consilia* tractet. *De parte Legali*, seu *Iuris prudentia*, lis & controversia nobis movebitur, quod tam indignè habeamus sublimem Facultatem, & detrudamus in seriem inferio-

ſeriorum diſciplinarum Philoſophicarum. Iraſcuntur ſcilicet, quod inviti trahantur in conſortium Regalis adminiſtrationis. Quaſi vero ULPIANUS abſurditatis convictus ſit, quod Jureconſultos *veram*, non *ſimulatam Philoſophiam* tractare, affirmaverit: aut diſtinctio illa habituum in *Facultates* & *Diſciplinas Philoſophicas*, habuerit unquam fundamentum. Teneat in Academiis aliquando Profeſſor Politicæ infimum locum, aut ab hoc proximum: nihil decedet dignitati Politicæ; cum aliqui nimis æquivoce Politici ſint. Reſpiciant interim ad Conſiliarios intimos, qui ſtatum civilem moderantur, & jure meritoque ſuo Excellentiam nominis Politici implent. Hi *cor Principis* cenſendi, ab eodem ſecundum tenent locum: in quorum conſortium aſſumi, qui ſani ſunt, dedecoris notam non cenſebunt. Cęterùm diſſentientes relinquantur ſuo arbitratui: nobis primarium Jus Majeſtatis, Legiſlatio, prudentiam Juris ſatis commendat, & ut neceſſariam, Politicæ inſerit. Univerſalem conſultationem de Republica integrâ continuò inſequitur Poteſtas Legiſlatoris, qui obligatorio decreto præcipiat prudenter excogitata. Nunquam verò laudabiliter exercebit Nomotheſiam, ſine cognitione juſti, & injuſti. quin imò efficacia legis, à juſtitia Sanctionis dependet, quod infra videbimus. Quare civitas hâc parte Legali carere non poteſt. Sive enim promulganda lex ſit civibus, de privato publicove ſtatu; opus eſt regulâ directrice, ne contra utilitatem impingas. Sive cum extranea gente

tranſigendum pugnandumve ſit: neceſſaria requiritur cautio, ne vel ipſe patiaris injuriam, vel alteri temerè inferas. Nunquam tot atrociſſima bella infeſtarent paſſim florentiſſima regna, modò hæc pars Juris, quod circa ſtatum Rerumpublicarum occupatur, vel excoleretur attentius, vel religioſius ſervaretur. Nulla ſuſcipi poteſt conſultatio de quacunque re, niſi pariter expendas, vel in anteceſſum jam diſpexeris, num juſtitiæ congruat negotium, de quo conſultas. Hæc individua cohærentia, quâ Politicæ Juriſprudentia innectitur, facile probat, eam partem eſſe illius principalem. Quod agnovit BODINUS, jurisprudentiam faciens particulam civilis doctrinæ. Et doctiſſimus GIPHANIUS, com. ad L. VI. Nicom. c. VIII. p. 489. Quin laudatiſſimus Imperator JUSTINIANUS, in dedicatione ſuarum *Inſtitutionum*, penetrantius argumentum non habuit, quo ſtudioſæ juventuti legum eruditionem injungeret, quam ſi ſpem eidem faceret; *toto legitimo opere perfecto, poſſe etiam Rempublicam, in partibus ejus, illis credendam, gubernari.* Habes partem adminiſtrationis civilis, quam Politica profitetur. Ita hæc pars ſingulare habet Objectum, *Leges ſeu jura*, diſtinctum ab Imperio & Conſilio, adminiſtrationi tamen debitum, & conſecratum.

C A-

CAPUT V.

CONSECTARIA DE

Ethica, vero Politico, Politicæ Dignitate, Præceptorum comprehensione, & Auditore.

I. *Ethica non est pars principalis Politica.*
II. *Quis verus Politicus.*
III. *Num Politica certis praceptis includi queat.*
IV. *Politica omnes disciplinas humanas superat.*



HÆc de Politicæ Divisione, & genuinis ejusdem partibus: ex quibus haud difficulter licet judicare, pro parte Politicæ minime habendam, quæ sub dictis non comprehenditur. De *Ethica* frequentatur Quæstio, *utrum Pars sit Politica*? & plures seriò affirmant, partem esse Principalem Politicæ. Præcipua ratio adfertur; quòd Educatio honesta pertineat ad curam Politici; quod mores civium à primâ institutione pendeant. Formari autem nequit tenera ætas sine doctrina morali. quæ cùm dicto modo civitatem juvet, Politicæ Pars necessariò dicenda erit. Advocant

Ariſtotelem, qui Principio Magnorum Moralium, clariſſimis verbis docet, *Tractationē de Moribus eſſe partem Politicæ.* Addito fundamento; *quod nihil cadat ſub actionem in Politicis, quod non moralitatem quandam contineat: omniſque accingens ſe ad operandum civiliter, debeat eſſe virtutis ſtudioſus & honeſtis moribus præditus.* Initium ergo eſſe Politicę Doctrinam de moribus. Verumenimvero quia Ethica, nec imperium tractat, nec jura explicat, nec conſilia attingit: tutò concludimus, eam non eſſe partem Politicæ principalem. Quando ſub nomine Politicæ comprehenditur, id abuſivè, aut ex ſubordinatione fieri, jam ſupradictū eſt. Duo, diverſi ſpecie habitus, propriè uno nomine non comprehenduntur. Non igitur audiendi ſunt, qui duas diſtinctas diſciplinas in unam confundunt. quaſi Politicæ pars prior, ſeu communis, ſit Ethica; pars verò poſterior, ſeu ſpecialis, ſit Politica, ſpecialiter ita dicta. Objectum diverſiſſimum ab illis, quæ Politica explanat, tractatur in Ethica; virtus cum ſummo bono morali. Sine his reſpublica ſubſiſtit: quod à virtutibus & vitiis, abſtrahat Politicus eſſentiam Civitatis. Adminiſtratio Reipublicæ magnum quidem adjumentum ſentit, ex virtutibus Civium: interim perfectio illa virtutis, quam Ethica vel tradit, vel ſimulat, abeſſe poteſt à regimine. Externa enim tanquillitas ſufficit, & civilis bonitas: quę ſi abſque vitiis ſit, congruè ſatis promovet Legiſlatoris deſtinationem. Veriſſimum hîc illud eſt: *Virtus eſt, vitiis caruiſſe.* Nam arrogantem

illam ſummi boni poſſeſſionem, ab omnibus Philoſophis jactatam & decantatam, nuſquam inventam, nuſquam in hâc humanâ imbecillitate inveniendam, ſine detrimento ignorat Politica. Platonis rempublicam, & Ariſtotelis optimum Politiæ genus, in quo civis bonus non differt à viro bono, manet illa felicitas, ut ſocii ſint omni virtute prædici. In noſtris rebuſpublicis honeſtatem præcipiet legiſlator, turpitudinem vetabit. qui contra faxit, ſeverâ caſtigatione puniendus erit. Sive nunc honeſtatis amore, ſive metu pœnæ, abſtineant cives à flagitiis, ſtudeant bono præcepto, nihil intereſt: modò ne committatur ſcelus, ſed præceptum ſuperioris impleatur. Hoc enim intereſſe putarem inter civem bonum, & virum bonum: quod hic ſponte ſuâ, ſola honeſtate actionis motus, in virtuoſam operationem erumpat; ille metu pœnę in officio teneatur. Finibus quoque diſtinguuntur internis illi habitus; quibus convenire maximoperè debebant. Quod ſi in externis coincidant, nihil mirum eſt: cum & intellectus ſpeculativi perfectio vitam beatam, & in ſuo genere felicem reddat. Præterea partis generalis prædicata non quadrant. nam in eâ tractantur, quæ in omnibus ſpeciebus obtinent: quod de ſummo bono nemo dixerit, omnibus rebuſpublicis id eſſe commune. Per quam ſimile vero eſt, in nullo nato homine dari conſummatum bonum Ethicum: quomodo ergò in Tyrannide, in Ochlocratia illud reperietur? Debebat autem reperiri, ſi Ethica eſſet pars generalis, con-

continens quaslibet species Reipublicæ. Imperfectam hactenus tradiderunt Politicam, qui partem illam generalem non simul docuerunt, & cohærentiam declararunt. Dicis, virtutes conducere imperio stabiliendo: dicam id ipsum: sed propterea doctrina de virtutibus non est pars essentialis Politicæ. Applicentur licet in civilibus, quæ tradit Ethica de Magnificentia, Fortitudine, aliis: non ideò Ethica, ex qua desumtæ sunt applicationes virtutum, est pars generalis. Eodem enim argumento & Metaphysicam partem generalem feceris Theoreticæ Philosophiæ: quod generales terminos, in aliis adhibendos, explicet. Si loca Aristotelis contemplemur; præter subordinationem nihil affirmat. Non enim moralem tantum Philosophiam: sed Rhetoricam quoque partem facit Politicæ, 1. Rhet. 2. Quando citato principio *Magn. Mor.* Partem nominat, latiori significatu utitur: intelligendo omne illud, quod ad aliud quocunque modo ordinatur. Quando ibidem ab Ethica fieri Principium Politicæ jubet: eâ notione id capiendum est, quâ Grammatica Oratoriæ principium appellaretur, dum fundamentum litterarum ponit; nihilominus ab Oratoriâ separatam naturam habens. Et tam arcta societas Politicæ cum Ethicâ nondum intercedit. Honestate præditus sit Politicus, secundùm Aristotelem. Respondeo sufficere, si externâ honestate præditus sit: licet coactus, licet invitus se abstineat à vetitis nuptiis, ab alterius fortunis; satis id est ad felicitatem civilem.
quamvis

quamvis in ejusmodi actionibus, quæ metu pœnæ non sunt malæ, nihil quicquam Ethicæ virtutis lateat. Rectè igitur Ethicam subjiciemus Politicæ, *tanquam subordinatum habitum:* quales plures reginæ nostræ inserviunt, ut *Rhetorica*, *Oeconomica*, *Imperatoria* seu *Bellica*, de quibus Philosophus cap. 1. ad Nic. Benè notat PICCARTUS in Proleg. ad Polit. *Principem inter Practicas esse Politicam, cui serviunt tanquam heræ, ancillæ, Ethica & Oeconomica. Ethicam dici quidem* Politicam; *sed non simpliciter, verùm per additionem (quæ plerumque notat imperfectionem)* Politicam περὶ τὰ ἤθη.

II. Supra posita Divisio nos arbitrari docet præterea, quis verus Politicus nominandus sit: instructus nimirum perfecta Reipublicæ notitia, & consummatâ regendi prudentiâ, secundum juris & utilitatis publicæ regulas. Qui triplici illâ cognitione destituitur, amplissimum Politici nomen nunquam merebitur. Et homines illos omnium horarum, quos assentatores vocãt, qui ridiculis gestibus elegantiam morum præ se ferunt, sine operosâ argumentatione ex hoc censu ejeceris. Conversationi aptos fortean vocabis, neutiquam Politicos. Eodem numero habebis, qui exoticas linguas didicerunt, & varias regiones perlustrarunt, si partes illas prudentiæ simul non fuerint complexi. Plurimum conducere quidem Peregrinationem civili prudentiæ, confessissimum est: præsertim ut vicinorum populorum, cum quibus nunquam non transigendum est, cognoscas

cognoſcas genium; qui univerſus non tantum ſingulis ferè ætatibus ingentem converſionem patitur, ſed propiori termino ex ingenio imperantium, aut qui horum conſiliis præſident, variari conſuevit. Hunc tamen fructum non capit pectus, niſi benè præparatum: rudis & imprudens animus, qui urbes aſpicit, civitates non intuetur, errabit ſine commodo peregrinationis. Plures Ariſtotelis tempore affectabant honorabilem iſtum titulum; *Rhetores, Sophiſtæ*, aliique *Experientiam* in rebus civilibus & earũ regimine allegantes. Rhetores flagrantiſſimè id nomen ambiebant, quaſi debitum ſibi, qui dicendi ſuavitate populum impellere, & pro arbitrio tractare docti eſſent. Unde Philoſopho dictum 1. Rhet. c. 2. *Subit perſonam Politicæ Rhetorica.* Hæc Platoni quoque particula civilitatis, sive Politicæ credita perhibetur. Et contemplanti eam tempeſtatẽ, apparebit, multa ex oratorum impulſu tunc geſta eſſe: quâ de cauſſâ eoſdem, tanquam incommodantes ſuo molimini, in deditionem poſcebat Philippus. Interim à nomine veri ac conſummati Politici tam longè aberant; quàm longiſſime confuſæ Græcorum multitudines à laude rectæ ac benè ordinatæ civitatis. De *Sophiſtis*, præter Platonem pluribus locis, id ſcribit Philoſophus, x. Nic. c. x. Sophiſtę, hominum genus ambitioſum, omnem ſapientiam, quam nunquam didicerant, ſe tradituros aliis profitebantur: itaque de prudentia civitatem conſervandi pręcepta dabant, quum ipſi rempublicam nunquam atti-

ti-

tigissent, nec satis nossent, quid respublica esset. *Ex Sophistis verò, qui hæc profitentur*, inquit Aristoteles, *longissimè perspiciuntur abesse ab eâ tradenda. omnino enim neque* qualis *ipsa sit, neque circa* qualia *versetur noverunt. non enim eandem cum Rhetorica, neque deteriorem statuissent, neque arbitrati essent facile esse leges ferre illi, qui collegisset probatas ex legibus, seligere enim licere optimas: quasi selectio non sit perspicacitatis, & judicare rectè, maximum non sit.* Legumlatoriam ergo, & administratoriam prudentiam docebant, quarum ne quidem nomina capiebant. Removet quoque dicto loco Aristoteles illos, qui *Experientiâ instructi*, rebus agendis intersunt, citra cognitionem caussarum. Hos, quia consuetudine potius, quam ratione, non expensis actionum momentis, ducuntur in regimine, arcemus meritò ab Elogio *civiliter Prudentis*. Præterquam enim quod hi tales fundamentalem doctrinam de Majestate ignorant, quæ usu non addiscitur, sed animi ingeniique contentissimâ subtilitate eruitur; non possunt non destitui vera scaturigine civilis administrationis. Respondeat licet conatibus talium eventus: Fortunæ incolumitas civitatis debebitur, quæ ignavissimos stupidissimosque protegit; non auctoribus imprudentibus rerum. His de caussis repellimus *Expertos tantum*, à consummati Politici nomine. Rationes Aristotelis, quæ illos arguere indignos debebant hoc nomine, sufficientes mihi non videntur. *De prudentia Civili nihil litteris consignarunt. Filios aut cognatos*

non

non docuere eandem, *aut post se reliquerunt Politicos.* Verùm scripturæ absentia nihil detrahit prudentiæ. Sapientissimus SOCRATES nihil scriptum reliquit. Plures solertissimi Reges, nihil de suâ prudentiâ mandarunt litteris: nec filios, aut cognatos reliquerunt tales, quales fuerunt ipsi. Sapientis patris non rarò stolidissimus filius est. Recipitur prudentia, non secundum sublimitatem tradentis, sed aptitudinem recipientis ingenii. *Jureconsultos* quoque plerique hinc excludunt. PICCARTUS sanè, in Proleg. ad Polit. Aristot. Politicorum ministros vocat: qui tertiam saltem partem, Dicasticen, hoc est, *forensem seu judiciariam* tractent: *respondeant de jure secundum leges*; sintque secundum veterum glossarum nomenclaturam, *interpretes legum.* HUBERTUS GIPHANIUS, ipse celeberrimus Jureconsultus, tum demum non arroganter sibi nomen Politici vindicaturos, si non tantum libros juris, in quibus de rebus privatis potissimum agitur, sed Politicos & Historicos, cognoscerent, censet. In hâc quæstione à vero ne aberremus, & JCti, & Politici vocabulum attendendum est. JCti nomen involant plures, qui farraginem quandam controversiarum, in foro usitatarum, sæpè miserè satis tractatarum, vel legerunt, vel edidicerunt: quarum recitatione Prætoris, aut Consulis judicantis indignationem possint utcunque non irritare. Hi postquam Juris Utriusque Doctoris titulum precibus emendicarunt, aut pecuniâ mercati sunt; universam Juris prudentiam in præcordiis suis habi-

habitare credunt. Quemadmodum verò talium inanis opinio ſcientiam non auget, nec veros JCtos præſtat: ita ne quidem ſuſpicio Politici hos onerare debet. Perfectus JCtus, qui immotam regulam moralitatis, in jure naturali poſitam, noverit à primis cauſſis derivare, immediata concluſa ritè deducere, tum attributa & effecta legitime explicare; qui jura fœderum ſanciendorum, pangendæ pacis, gerendi belli, & quæ alia gentium leges definiunt, ex penetralibus intimis Reipublicæ eruere doctus ſit: qui civitatis deniq; ſuæ leges ac conſuetudines perſpectas cognitaſque habeat: hunc jure ſuo meritoque optimo, debitâ honeſtare appellatione Politici convenit. Nam ſi Jurisprudentia univerſa partem conſtituit Politicæ: illius Poſſeſſori denominatio Politici ſubtrahi nequit. Modò Politicum accipiamus ſecundum partem, non univerſam Prudentiam: quod ille verus, ſine ullâ exceptione, Politicus ſit, qui & Architectonicam ſapientiam, & Rectoriam prudentiam conjunctim poſſidet.

III. Ambitus ille prolixiſſimus dubitationi dedit cauſſam, num Politica per tot immenſa & infinita negotia diffuſa, certis præceptorum cancellis includi queat. Auctores vulgò confidenter affirmant. Quod *definitio certa eſſe debeat: definitionibus autem pleraque pręcepta abſolvantur. Præcepta Politicũ certum reddant: qua certitudo hactenus deſideratur, quamdiu pręcepta nondum certa ſunt. In præcepta digeſtam eſſe Iuriſprudentiam, qua tamen Politicam vincit amplitudine.* Affirmabimus & nos Quæſtionem:

ſtionem: ſed explicatio ſincerior ſit oportet. Certum quidem eſt, Politicum debere certum eſſe: ſupereſt nihilominus quæſtio; num ea certitudo à præceptis ſit expectanda? Definitionibus non abſolvitur univerſum civile opus: imò perexigua pars, ſi integrum reſpicias, Definitionum eſt. Juriſprudentia, cum pars ſit civilis operis, amplior ſuo toto nequit eſſe. Et principium egregiè petitur, ſi eandem certis per omnia præceptis conſcribi poſſe dicamus. Nunquam enim tam aperta lata eſt lex: quin æquitati judicis multum relinquatur, aut inexſpectati ſurgant caſus, qui recentes deciſiones flagitent. Affirmamus, inquam, aſſertum, ſecundum omnes partes Politicæ: modò per vocabulum, PRÆCEPTUM, non intelligamus aliquam definitionem ſcriptam, & in libellum Politicum redactam. Ita enim hucuſque incluſa nondum eſt Politica, nec unquam includetur. Capimus hîc potius certum aliquod principium, certam regulam, immutabilem normam, in animo veri Politici exiſtentem: juxta quam omnia definiet vir prudẽs, quæ in conſtitutione civitatis occurrunt; omnia determinabit, quæ juris quæſtionem continent; omnia diſponet in actionum multitudine, quæ conſiliũ poſtulant.

IV. Porrò ex ambitu iſto & continentiâ rerum nobiliſſimarum, de dignitate Politicæ nemo non judicare poteſt. Maximè enim Architectonica exiſtimanda eſt, *Princeps & domina*: quæ pro imperii facultate, de cæteris omnibus diſponit, in quantum civitas iiſdem uti debeat. Mirum igitur poſſit videri, quod ſpeculativarũ

ſecta-

ſectatores dicam ſcribere de prærogativa ſint auſi. Quod ſi omnia argumenta, quibus excellentiam quandam evincimus, coacervemus & producamus: potius militabunt pro dignitate Civilis, quam cujuſcunque Theoreticarum. Triplex communiter fundamentum eſt, quod diſcernere nobilitatem alicujus diſciplinæ, ſtatuunt: *Certitudinem habitus, eminentiam objecti,* & *utilitatem tractationis.* Ex ſingulis Politicæ, præ Theoreticis, adſtruetur dignitas. Non vagum eſt aut errabundum quod Politica tradit. certa ſunt imperia atque obſequia; & ad oculum demonſtrari poteſt, quantum ſit in quacunque Rep. imperium: quod certam facit naturam civitatis, & omnium cohærentium. Perpetua eſt definitio civitatis, Reipublicæ, Majeſtatis, Specierum, & ſimilium. Certa ſunt & immutabilia Jura naturalia & gentium: merè civilia quam habent mutationem, ob rerum & actionum indifferentiam habent; & interim, poſtquam ſancita fuerint, nemini ſubditorum varianda ſunt. Idem de Conſiliis dixeris. Difficilima quæque ordinabit vir prudens. Si aliquando non reſpondeat eventus, id naturam negotii civilis haud tangit: quia extrinſecum impediens accedit, & Deus propriâ manu ſtatum regnorum verſat; qui ſuperioris agentis interventus, non magis incertitudinem probat Politicæ, ac Naturalis Philoſophia incerta judicanda ſit, propter miraculorum, cancellos naturales excedentem indolem. Si ſpeculativas examines, tantâ incertitudine laborant, aut inexplicabili obſcuritate,

ritate, ut plerumque nihil minus ſint quam Scientiæ: quod verſato in ſingulis, nec præpedito authoritatum præjudiciis, palam eſt. Conantur autem imprimis Metaphyſicæ Principatum vendicare, *quòd nobilius habeat Objectum; univerſale nimirum, & neceſſarium.* Verum univerſalitas nullam evincit nobilitatem. quo magis enim Res accedit ad naturam individualē ac ſingularem, eo perfectior eſt: & ens ſingulariſſimum, alias nobiliſſimum eſt; exemplo Dei; cujus natura univerſaliter, ſub multiplicatione, non niſi impiè & abſurdiſſimè concipitur. Adhęc Politica non unam Rempublicam conſiderat: ſed ea explicat, quæ omnibus ſunt communia. Quando Monarchiam, aut aliam ſpeciem civitatis declarat; non deſcendit ſtatim ad ipſa individua rerumpublicarum. Neceſſarium objectum non continuò præſtantius. Liberæ quippe hominum actiones anteponuntur neceſſariæ lapidis deſcēſioni, & reliquis naturæ, neceſſariò agentis, operationibus. Præterea non vagum aliquid, & in horas mutabile tradit Politica: perpetua & neceſſaria eſt natura rerumpubl. nec niſi cum univerſi interitu ceſſabit. Et quid nobilius imperio dari aut fingi poteſt, quod ab uno Deo proficiſcitur, & ex divino indultu in imperantes transſfunditur? Quid ſublimius ergo Majeſtate? quid ſanctius jurium ſcitis? quid concinnius ipſo contextu reipublicæ? in quo explicando Politicæ cura & ſolicitudo inſumitùr. Utilitatem majorem percipi poſſe ex civili prudentia, quam ſpeculationibus nudis & otioſis, ipſi met

ipſimet contemplatores vel inviti concedunt. Ordinationem finium, quæ præcellentiam infert, cum ad nobiliſſimum reliqua digerantur, agnoſcit ARISTOTELES, *principio Nicomachicorum.* Hujus tamen aſſertionis immemor, contrarium aſſerit in Magnis Moralibus, quod *Sapientia ſit excellentior, prudentiâ Politicâ; & hanc imperare quidem, ſed ad inſtar ſervi, nomine Domini, & vice ejuſdem.* Sed argumento ſervit, ne tradens Metaphyſicam, videatur in re nihili occupari. Sapientiam meliorem eſſe prudentiâ, id negabo; donec firmioribus argumentis adſtruatur. Nam quod dicit: VI. Nic. VII. *Abſurdum enim eſt, ſi quis ſcientiam civilem, aut prudentiam arbitretur eſſe optimam: niſi optimum eorum, quæ ſunt in mundo, homo ſit.* Hoc ipſum enim extra dubium eſt, homine in hoc mundo diviniorem & præſtantiorem creaturam non haberi. Ejuſmodi relationem inter Sapientiam, hoc eſt, Metaphyſicam & Politicam non dari, qualem conſtituit inter Dominum & ſervum atrienſem, ſeu adminiſtratorem, qui reliquis ſervis imperat; quilibet cordatus videt. Si prudentiam de Ethicâ, aut Privatâ circumſpectione interpreteris, aliquid concedi poſſet: de Politicâ nihil. Et unde quæſo conſtabit de dominatu Metaphyſicæ in Politicam? quum iſta hujus ſublimitatem, in imperio poſitam, ne nomine quidem inaudiverit. Nec imperium hucuſque inter munera Metaphyſicæ probabiliter poſitum eſt: quod tamen Politicæ in reliquas omnes Ariſtoteles conceſſerat. Novimus Metaphyſicam à Politicâ

ticâ in exilium aliquando missam & relegatam esse : quæ pœna huic ab ista nunquam inflicta est. Vidi, qui deprehensâ Aristotelici asserti infirmitate, molliebant illud imperium: idque *suo modo* asserebant Metaphysicę: hoc est, concedebant *imperium non practicum & externum*; *sed internum & speculativum*. Hoc est, ut rectè quis interpretabitur, phantasticum.

V. Auditorem paucis considerabimus. in gratiam Philosophi, qui 1. Nic. cap. 1. juvenem removet ab auditorio Politico. *Politicæ proprius ac commodus auditor non est juvenis.* Quod minus accuratè dictum puto. nisi enim Juvenilem ætatem ad percipiendam Politicam admiseris; tempus discendi destituet senes. Dicit; *affectibus esse obnoxios & experientiâ carere, quam doctrina de actionibus postulat.* Impediunt quidem affectus animi judicium. Sed ideò maximè docendus est juvenis, ut discat affectibus obtemperare. ut experientiâ valeat, informandus prius est, quæ sit actionum natura. quam si ipso usu magistro didicit, frustra fuerit & ineptus, qui eum postea demum pręceptis superfluis obruere instituat. Et sic forsan nullam desiderabimus Politicam. Adde quod doctrina de Imperio Majestatico sine experientiâ addiscatur perfectissimè. Quibus de caussis Aristotelis locum accipio de *judice prudentię civilis*, ut *Auditor hic sit judex*, qualis nequit esse juvenis, moribus & experientiâ destitutus. Ita apud Latinos quoque *Iudices* dicuntur *audire controversias*: & *Audientia* vocem judicialem esse, in foro receptam & no-

notionem, vel judicium notare, observavit Cujacius, Paratit. C. de Episc. aud. Ansam huic interpretationi præbent antecedentia Philosophi verba: quibus docuerat; de qualibet re optimè arbitrari eum, qui eandem penitus cognoverit: in omnibus autem eruditum, simpliciter omnia sincerè dijudicare. Statim subjicit de juvene: quare ut secundum præcedentia illa capiamus, vis connexionis ostendit. Ideo juvenem non esse legitimum judicem rerum civilium, quatenus usu & morum concinnitate est destitutus. Judicem verò & Discipulum, seu Auditorem esse, planè distincta sunt: cum hujus munus sit tantisper assentire, non judicare.

CAPUT VI.

DE

Methodo tradendi Politicam.

I. *Methodus, de fine ad media, rejicitur.*
II. *Planior ostenditur.*
III. *Respondetur Auctoritati Philosophi.*



Poteramus jam rectà ad tractationem principalem Partis Architectonicæ contendere: prius tamen de ordine dispiciemus, ut singulis membris immobilem assignemus locum. Quamvis enim ad ipsam veritatis substantiam nihil conferat, quo loco senten-

ſententia quævis proponatur: ad concinnitatem interim, & commoditatem proponendæ diſciplinæ, magnum momentum adjicit ordinis certitudo; ſi partes doctrinæ ritè cohæreant ad inſtar Objecti, quod tractatur. Non eſt animus prolixâ diſſertatione oſtendere, utrum Synthetica, an Analytica Methodus locum ſibi vendicet; id certum eſt, doctrinam Architectonicam ab Auctoribus ſecundum Methodum Analyticam nec traditam eſſe, nec niſi confuſè, tradi potuiſſe. Cum igitur vulgaris diſtributio, in Finem, & Media ad finem ducentia, multiplicem contineat difficultatem: fraudi nobis non erit, ſi tramitem eligamus planum, & ambagibus atque erroribus liberum. Finem conſtituunt Rempublicam: ſed cum finis in Practicis ubique ſit actio, Reſpublica finis non erit, quod partem Objecti abſolvat; ſed Reipublicæ adminiſtratio. Ne quidem *conſtitutio*, ſeu *introductio Reipublicæ*, finis eſt Politicæ: cùm in Republicâ Monarchicâ, includat infuſionem Majeſtatis, quæ nullâ prudentiâ, nullô ingenio humano producitur. Circa conſtitutam igitur verſatur Rempublicam; nec demùm eandem conſtituit. Adminiſtratio procul dubio finis eſt Politicæ: de qua tractare velle antequam noveris, quid & quale ſit Objectum adminiſtrandum, præpoſterum mihi videtur. Quanquam nec Scriptorum ullus à *Fine* inceperit; nec incipere potuerit: ipſâ naturâ habitûs tali ordini reluctante. Per ambiguum vocabulum *Mediorum*, quod nec Latinum, nec Philoſophicum hic ſatis eſt, intelligunt *partes & inſtru-*

& instrumenta: Partes vero totum aliquod constituentes, Media vocare, satis inconveniens est; cum sine obscuro *medii* nomine, clarius in se poterant intelligi.

II. Nobis fas erit, ipsam rei naturam æmulari, & à Principiis, civitatem constituentibus, ordiri. Norma cujusque habitus Objectum est: hujus indolem & ordinem ubi observat ille, nunquam errabit. Antequam administres Civitatem, civitas constituta sit oportet: ut cognoscas, ex quibus composita sit, partes examines necessum est. Partes ergò principiò contemplabimur, tanquam caussas intrinsecè constituentes civitatem: mox de speciebus acturi. Cuilibet enim ordini id proprium esse debet, ut generaliora præcedant, sequantur species. Hactenus autem à plerisque species rerumpublicarum ante Majestatis explicationem, confusâ serie, fuere traditæ: cum interim nesciam, quid sit Monarchia, in qua penes unum est Majestas; quamdiu cognitam & perspectam non habuerim Majestatem. Totam ergo Prudentiam Civilem dividimus in Partem Architectonicam & Rectoriam; hoc est, in Doctrinam de CIVITATE, & alteram, de REGIMINE, seu gubernatione civitatis, ab illâ necessario incepturi. Hæc integri dispositio num Synthetica sit, non satis liquet: id apertissimè constat, Analyticam non esse. cum à Subjecto, & ejus constitutione declarandâ auspicetur; desinat in fine, seu Administratione. Partialis vero Prudentiæ Architectonicæ ordo hunc in modum nobis disponetur; ut habeamus explicatio-

cationem omnium eorum, quę naturam civitatis componunt. sive principia, sive partes constituendi voces, Materiam & Formam. Materiam absolvit Multitudo. hanc à prima sua origine, quia composita est, arcessimus, societatibus simplicissimis, ex quarum conjunctione majores oriuntur. Forma est Respub. quę cognitionem ferè omnem Politicæ præstat. Infert Respublica duplicem respectum, personarum civiliter Imperantium, vel parentium. Quarum conditio cum in omnibus Rebuspublicis non sit eadem; descendendum statim est ad species singulas: & ostendendum, quale regimen sit in primariâ Civitate Monarchica, quale obsequium, tum quomodo Respublica libera differat à Regno; & cujus rei beneficio illa expediat, quæ à Majestate procedebant in Monarchia. Ita perspicuè atque clarissimè secundum Reipublicæ naturam trademus Politicam, nullam confusionem metuentes.

III. Non movebimur ARISTOTELIS auctoritate, qui lib. I. Nic. c. II. (aliis est IV.) viam præscribit, à *Fine ad Principia* ducentem. Præterquam enim quod liberè Philosophandum est, & indignum homine ingenuo censendum, servilem in modum alligare se opinioni aliorum, non satis certæ: adhuc de mente Aristotelis non satis constat, quid in dicto capite voluerit. Adeò ut doctissimus GIPHANIUS, locum illum *difficilimum censeat, vel Apollinis, vel Sybillæ oraculo dictum.* Mihi videtur in proclivi esse illius dicti rationem eruere.

Sive

Sive enim *Principia essendi*, sive *cognoscendi* intelligas, utrumque procedet: quod illa cum his coincidant, & essendi simul fiant cognoscendi principia. De principiis igitur dicit Aristoteles, *ad ea nos pervenire post effecta proposita.* Ubi omnino attendendum est Philosophi propositum, & quadrabit ordinis series. In capite primô, disertis verbis rudem & latam cognitionem spondet auditori, ubi sic infit: *Ergò satis erit, si cum de rebus, & ex rebus ejusmodi verba facimus, rudem quandam veri formam adumbremus, & cum de rebus quæ plurimum eveniunt, atque ex talibus disputationem instituimus, talia quoque concludamus.* Hæc designata est Tractationis facies, quam non mutat in sequentibus, sed ubique populariter persequitur. Huic rudi Traditioni commoda quærenda erat methodus: commodior autem non poterat occurrere, præter illam, quæ effecta cognoscit, & post hæc in caussas inquirit. Vel magis, quæ à singularibus & individuis initium capit, & in generalibus concludit & acquiescit. Igitur dicit, *initium ab iis rebus, quæ nobis nota sunt, sumendum esse.* Illud certum est, quamlibet doctrinam per *notiora* institui: *notiora* sunt autem talia *nobis*, vel *per se & absolutè. Nobis notæ* dicuntur res, quæ sensui nostro obviæ sunt: *per se notæ*, quæ naturam habent universalem, & ordinem per habitum digestum. In confusâ cognitione illa probatur methodus, quæ proxima particularia effecta tradit, ut rudem conficiat notitiam. Inde fatentur Interpretes, in toto opere Politico Aristotelis argumen-

gumenta omnia ab effectis esse petita, eumque rarissimè ad caussas superiores ascendere. τὸ ὅτι eum persequi, rarius τὸ διότι. Et illa quidem via, temporibus Aristotelicis quadravit forsan, quibus civilis doctrina minus fuit exculta: nostro ævo, ubi ad fastigium liberales disciplinæ emicarunt, ut accuratior & perfectior, ita contraria videtur congruere Methodus: quæ ex certis caussis constitutionem civitatis doceat, ex certis regulis justitiam actionis definiat, ex constantibus & generalibus præceptis consilia moderetur. Facile posset declarari, principium ZABARELLÆ contra PICCOLOMINEUM usurpatum; methodum à nostra cognitione sumendam esse, non naturali ordine rerum, minime subsistere: quod universa Philosophia Theoretica tradenda sit hac resolutivâ methodo; cum individua & singularia prius cognoscamus, quam generalia & abstracta. Cæterùm de Methodo illa jam dudum cœperunt Politici dubitare: unde CASUS existimat; principia primo loco proponi, ubi civitas explicatur. Quod BESOLDUS non satis excusat, distinguens inter Methodum universalem, qua tota disciplina disponitur; & particularem, quâ partes disciplinæ ordinantur. Nam Civitas, & ejus principia respiciunt Methodum universam.

LIBER PRIMUS,

DE

SOCIETATIBUS.

CAPUT I.

DE

SOCIETATE NUPTIALI.

I. *Civitatis duæ partes.*
II. *Societatum prima est* Nuptialis.
III. *Nuptialis Societas quid?*
IV. *Continetur* Jure Rectorio.
V. *Quantum sit imperium mariti.*
VI. *Maritus non habet imperium à Naturâ.*
VII. *Sed constitutione divinâ.*



PRæmissis ita in antecessum, quæ sternere viam commodiori tractationi videbantur, aggredimur ipsam *Doctrinam Essentialem*, quæ Objectum Politicæ exponit, CIVITATEM. Hanc universali conceptu dicimus esse *multitudinem hominum, regimine civili dispositam & ordinatam.* Sic enim opus est, ut ad integram respiciamus naturam civitatis: quam nec sine multitudine civium, nec sine regiminis ordine, Politicè concipiemus. utriusque igitur concursus necessariò postulatur. A Reipublicæ quidem de-

ſcriptione removebimus Multitudinem, tanquam genus: ſed à Civitate non poſſumus illud arcere, niſi partem velimus pro toto venditare, aut Rempublicam ſine hominibus, hoc eſt, accidens ſine Subjecto fabricare. Citra negotium reſpondere jam poſſumus, quibus partibus integretur Civitas. Nam cauſſæ intrinſecè conſtituentes omninò duæ ſunt, Materia & Forma. Materiam ſuppeditat Multitudo, quæ quaſi corpus civile eſt, ex membris & partibus ſuis conjunctum: Societatibus nimirum ſimplicibus & Compoſitis. Hanc Materiam intrat Civilis Forma, ſeu Reſpublica, quæ corpoream illam molem permeat, animat & vivificat, ut actiones civiles recipiat & edat. Quum autem forma hæc accidentalis, nequeat ſubſiſtere ſine ſuo Subjecto, prius de Materiali corpore agendum eſt. Id obiter hîc, & futurâ tractatione notandum eſt, vocabula *partis*, *Materiæ*, *formæ*, cum laxitate eximiâ capienda eſſe, & excuſanda per *Analogiam & ſimilitudinem*; quâ plerumque uſurpamus hos terminos in negotiis civilibus, ut eadē per cognatas aliquo modo, & jam cognitas res eò melius aſſequamur. Quare adjicimus ſubinde, quod multitudo ſit *quaſi-corpus*, *quaſi-materia*, *quaſi-pars*: Imperium *quaſi-forma*. Nam ſi ſtrictiſſimè his vocibus uti velimus, pleræque erant omittendæ: quod arctam applicationem haud tolerent. Quod obiter monendum videbatur: ne quis largiorem loquendi modum vituperet, & inaccurationis accuſet. Huic tali ſi nec dum probamur, age, ſtrictiſſimè loquemur, & dicemus

mus uno verbo; Civitatem abſolvi duobus, Multitudine & Republicâ.

II. Multitudo igitur cœtus quidam eſt hominum; conſtans ſocietatibus tàm ſimplicibus, quam compoſitis. Societas (quæ eſt conjunctio hominum duorum pluriumve, boni alicujus conſequendi gratiâ) ſimplex dicitur, quam duabus perſonis plures non ingrediuntur. Ejuſmodi Societates Simplices ſunt tres: *Nuptialis*, *Paterna*, & *Herilis*. Societas Nuptialis eſt decens conjunctio maris & fœminæ, ob mutuum adjutorium, & liberorum procreationem à natura conſtituta, imperio maritali divinitus inſtructa. Simplicium Societatum primam facimus Nuptialem. Nec attendimus illis, qui herilem primo loco nominant. Quà fini allegant *Ammonium*, de Phœnicibus referentem; qui Societatem heri cum ſervo primam cenſuerunt, ac Bovis ſigno indigitarunt, cui propterea nomen Alpha, primum elementum litterarum, indiderunt. Ita ſanè narrat *Ammonius*, apud *Plutarchum* libr. IX. Symp. c. II. *Deſinente Protogene, me appellans Ammonius; Tu vero, inquit, homo Bœotus, non opitularis Cadmo? quem ferunt ideò Alpha primum litterarum poſuiſſe, quod Bos ita Phœnicum lingua dicitur, quem non ſecundum, aut ut Heſiodus, tertium, ſed primum inter res neceſſarias exiſtimant.* In quam opinionem deſcendere videtur CONNANUS, VIII. com. Jur. cap. I. Ubi familiam, & quæ ſunt ad uſum familiæ neceſſaria, ante conjugium & uxorem quæri jubet: adeoque ſervum naturâ priorem facit uxore.

MONTECATINUS I. Pol. cap. II. text. 6. & Nuptialis & Dominicæ societatis deprehendens necessitatem, simultaneam & æquè primam utramque asseruit. Sed hîc non quærimus, quid prius secundum regulas Oeconomicas sit acquirendum: verùm quid prius naturâ sit. Æqua necessitas, non statim removet prioritatem. Priores autem nuptias esse, ostendunt alii *ex fine:* quod servus ad sustentandam familiam requiratur. Si sustentanda est, prius sit oportet. Sine uxore autem familia non est. Interim cum cælibes quoque habeant servos; videbatur firmius ex *generandi ordine* prioritas deduci. Ut aliquis servus sit, necessum est, natum esse: hoc prçsupponit nuptias, seu Matrimonium. Et si vel parenti serviret; conjunctio nihilominus patris & matris præcessisse debet.

III. *Nuptiæ* & olim *velandi ritum*, ac domiductionis solemnitates; & hodieque Sacerdotalem copulam, ac reliquas festivitates vulgò notant. Romanis enim dictæ sunt Nuptiæ à *Nubendo*, id est, *operiendo*, seu velando. de quo VARRO IV. de Ling. Lat. Hinc *Nubes*, quæ cœlum operiunt. hinc *nupta*, dicitur sponsa, cujus vultus solemni velamine tegitur: & *nuptiæ* actus velandi. Etenim consuetudo erat, ut sponsa flammeo nuberetur, sive velaretur, quod Eruditis notissimum est. Nos unicè *matrimonium* ipsum intelligimus: quare vocavimus conjunctionem. *Conjunctionem* dicimus, non corporum tantum; alias raptus, stuprum violentum, adulterium, incestus, honestum nomen

men consequerentur. Nec animorum tantum; secus non differrent Nuptiæ à Sponsalibus. Quod enim Jus Romanorum hac de re pronunciat, id interpretandum est, ad effectus juris in Republicâ ista: naturam matrimonii, extra leges Romanas consideratam, non evertit, nec considerationi Politicæ præjudicat. Sed conjunctio est & corporum & animorum. Carnalem enim copulam, seu consuetudinem conjugalem, consummare Nuptias, rectè assertum est Saxonum Legibus. Nec potest aliud in doctrinâ Politicâ statui: quęrimus enim initium propagationis, quod se diffundere debet in civitatis multitudinem. ista multiplicatio conjunctione animorum non obtinetur, sed corporum. *Decentem* volumus hanc conjunctionem, ne consentientes invicem vel contra jus naturale, vel divinum congrediantur. qui decor, qualis sit ex doctrinâ morali addiscitur melius. Id Politicæ quoque contemplationis est, quod filiusfamilias impetrare debeat consensum Paternum, ad nuptias contrahendas legitimè. Cujus impetrationis necessitatem continuò aperiemus in Paternâ Societate. Quæ de conjunctione *unius maris & fœminæ*, non plurium fœminarum, aut masculorum inter se, disputant, ad excludendam atque damnandam Polygamiam & Sodomiam, itidem Moralis est considerationis: quo referatur & illud de pluribus viris, uni uxori non rectè cohabitantibus. Ejusmodi enim plurium admissionem damnat sana ratio: quamvis Lituanorum mores adeò obbrutuisse narret

Æneas Sylvius, ut matronis nobilioribus licuerit maritis adſciſcere concubinos, quos matrimonii adjutores vocabant. Omnis illa cognitio, ex fontibus Juris Naturalis repetenda eſt. Naturam hujus ſocietatis porro explicat *Subjectum*, ſeu Perſonæ ſociatę, *Finis*, & *cauſſa*. Perſonæ ſociatæ ſunt Mas & fœmina, ſeu uno verbo, *Conjuges*. Finem vocamus Sobolis procreationem. Nam, quod alii adjiciunt libidinis exſtinctionem: id ad contrahentem tantum ſpectat, tanquam privatus & merè naturalis, aut etiam ſecundarius finis. Præcipuus, & quem civilem non immeritò licet nominare, eſt propagatio Generis humani, quæ civitates multitudine hominum implet. Adeò ut hic finis alteri ſimiliter pręponderet; quem in adjutorio mutuo, bono ſcilicet domeſtico, poſuimus. Evertit illum principem conjugii ſcopum, ſtolida quorundam religio, qui in ipſo matrimonio, intempeſtivam, & publico minimè conſulturam voverunt continentiam. *Cauſſam* hujus ſocietatis, *Naturam* aſſerimus. Sive Deum, ſeu Naturam Naturantem, ut Philoſophi loquuntur, intelligamus; ſive ipſum naturalem appetitum: non errabimus. Ineſt hominibus ingenitus procreandi ſibi ſimile inſtinctus: quem perpetuitatis amor excitat. Scilicet creata omnia, quo nobiliora ſunt, eò magis perfectionem primi Entis æmulantur: Hoc quia æternum eſt; viventia verò fluxa atque caduca, quibus ſingulis intereundum eſt: conſervationem ſpeciei generando perpetuitati tranſcribunt. Scitè in hanc ſententiam diſſerit

differit PLATO, Dial. IV. & ARISTOTELES, II. de gen. an. I. Lib. II. de an. c. IV. Non excludemus interim Proæresin, seu *Electionem & Iudicium humanum.* Licet enim actus merè naturalis sit; semper tamen secum trahit concomitans morale, quod *Electionem* præsupponit. Alias vagos concubitus, adulteria, cæterasque nefandas nuptias, nunquam damnare possemus: quæ recta interim ratio proscribit & exterminat.

IV. Videamus quo jure contineatur, vel potius, quo *imperio* regatur. Illa enim contemplatio propria est Politici, ut imperiorum naturam, diversitatem, caussam, in qualibet Societate scrutetur & explicet. Omnem societatem aliquis juris nexus copulat, pro cujusque indole. Æquales sunt aliquando, qui conjunguntur: ut plurimum verò disparitatem sociorum in tractatione Politicâ deprehendimus. Secundum hanc diversitatem, diversa jura surgunt ac competunt. Hinc ARISTOTELES, VIII. *Nic.* XI. *In qualibet Societate videtur aliquod jus & aliqua amicitia esse.* Secundum diversitatem, æqualitatis vel inæqualitatis, GROTIUS distinxit Jus in *Rectorium* & *Æquatorium. Hoc* tribuit viventibus sine inæqualitate, fratribus, civibus, amicis, fœderatis. Societati inæquali, καθ᾽ ὑπεροχὴν Aristoteli dictæ, (qualis inter patrem & liberos, dominum & servum, maritum & uxorem, regem & subditos, Deum & hominem) *jus Rectorium* adsignat, lib. I. de J. B. & P. c. I. §. III.

Recto-

Rectorium jus locum sibi hîc facere, planè scio: Nec moveor, quod *Philosophus* commune & æquale jus statuit V. Nic. X. *Lege jus constare, in iisque locum habere, apud quos legem esse communem patitur natura, dicebamus. Hos autem esse docuimus, quibus est inter ipsos imperandi & parendi æqualitas. Itaque inter virum & uxorem magis, quàm inter Patrem & liberos, Dominum & servum, juris est communitas. Hoc enim jus est ad tuendam rem familiarem pertinens, alterum Politici pars videtur.* Et *lib.* VIII. *cap.* XII. imperium Patris in liberos regium, in servos dominicum aut tyrannicum, in uxorem Politicum apertius nominat. *Politicum* scilicet secundum interpretationem vocis, quam habet 1. Polit. 1. quatenus *aliquis modo paret, modò imperat*, vi popularis æqualitatis. *Viri & uxoris societas ad Optimatum Principatum proximè videtur accedere. Pro dignitate enim vir imperat, in iisque rebus imperat, in quibus virum oportet imperare: & quæ mulieri conveniunt, eidem permittit.* Sed cum inęqualitas evidens detur, ob quam inter virum & uxorem amicitiam ponit *Philosophus*, quæ in *Excellentiâ* quadam *eximiâ* consistit cap. VIII. & vir uxori imperet, non hæc illi: æquale jus non habebimus; sed Rectorium imperium viro tribuendum est.

V. Atque pleriq; de hoc conveniunt: *quousque verò pertingat imperium mariti*, nondum satis definiverunt Auctores. GROTIUS *hanc facultatem in rebus conjugii & familiæ sistit*: in quibus ob sexus differentiam maritus caput sit uxoris.

uxoris. Quod nimis generaliter dictum mihi videtur. Præsertim quod ulteriorem potestatem de *rescindendis votis, de vendendis bonis uxoriis*, ab instituto civili fortean descendere arbitratur. Aliunde quam à sexus differentiâ repetendum mox erit imperium mariti: quod in rebus conjugii ac familiæ constituentes, amplissimum tamen judicamus in conjugem. Neque saltem rescindere vota, & omnem moderari voluntatem mulieris: sed in bona quoque competere jus, propter imperium in caput, alibi prolixius nobis declarabitur. Nam circumscripta illa in rebus dotalibus viri dispositio, à Jure Civili est: quod plurimas imperii maritalis particulas imminuit. Sed distinctius videamus de Jure castigandi uxorem. Plures commendant hîc *comem quandam & humanam facilitatem, qua gubernanda sit uxor, socia thori, familiæ, utriusque fortunæ; regenda ducendaque melius pudore, quam atrocitate. Amore opus est, & benevolentiæ argumentis: non jurgiis, non odiis, aut tristi severitate.* Benè hæc *officium conjugale* explicant: nondum verò *jus maritale*. Quid enim si acriora postulentur remedia? si refractariâ contumaciâ ad lenem illum ductum recalcitret? si ejusmodi designet scelera, ad quæ connivere maritus, aut quibus aliter, quàm igne ac ferro mederi nesciat? Hîc officium illud benevolentię inefficax fuerit: & potestas requiretur coërcendi crudam malitiam, & castigandi licentiam. Nam in Principe commendamus quoque Clementiam: quæ interim maximo imperio nihil detrahit. Sunt qui modi-

modicam concedunt castigationem, ut *verberibus coërceatur uxor: modò id sine modo & caussâ ne fiat.* Hanc verò coërcitionem procul abesse jubent, *à Iure vitæ & necis. quod ira mariti servare modum nesciat: respondeatque odii magnitudo pristino amori.* Sed tentari potest, *omne imperium, quatenus in subjecto proprio est, nec precariò habetur ab aliquo homine, aut à superiore non est circumscriptum, importare jus vitæ ac necis:* & ideò mariti imperium hac potestate armatum esse censemus. adeoque fundamentum omnis castigationis, quæ proprio mariti jure infligitur conjugi; ac omnis maritalis imperii summam, in POTESTATE VITÆ AC NECIS reponimus. Generaliter tamen notamus, hîc considerari à nobis Societates, *quatenus nullo imperio Civili subsunt, à quo limitentur.* Deinde per Jus vitæ & necis, non intelligimus licentiam aliquam, excusantem crudelitatem parricidii: sed *legitimam facultatem capitalia scelera condignè puniendi.* Nullum quippe jus, nulla potestas, ad impia datur. Præmittimus ergo, jam considerari nobis jus maritale, quantum in se est; à Majestate nondum restrictum & limitatnm: quale est prȩscindendo à Republica, in qua determinatur ex arbitrio Imperantis, ita ut universum non rarò tollatur. Hoc controversiæ statu ubique observato, dicimus; caussam pœnalem vir citra iram & odium exercebit: & ut omnis judex, ita quoque maritus, ejusmodi affectuum vehementiâ vacabit.

bit. Nec concessa hâc facultate protinus de quâlibet leviusculâ caussa interficiendam putabit conjugem. *Gravissima sit caussa*, quæ vim uxori inferat; quam optimus quisque Legislator in Republicâ mortis supplicio coërceret: qualis homicidii, adulterii, similis. Hæc ventiletur *decenti ordine*, prævio judicio, sine omni turbulento affectu. Qua fini priscos assumsisse *Propinquos*, quasi assessores, leguntur. Apud TACITUM locus est II. *Annal.* *Pomponia Gracina superstitionis externæ rea, mariti judicio permissa: isque prisco instituto propinquis coram de capite famaque conjugis, cognovit, & insontem nuntiavit.* Ejusmodi potestatem *Romanis*, *Germanis*, *Gallis*, aliisque populis in usu fuisse, etiam tum, quando habuerunt magistratus, concors historia tradit. Non aliter familiarum ratio sibi constare potuit. Consideramus hîc familias extra Rempublicam, nondum præsente Majestate, quæ crimina delinquentium inhibeat. Commiserit ergò homicidium, aut parricidium marita, aliove scelere se obstrinxerit: dimittendum esset impunitum nefariæ conjugis sacrum caput, & confundenda aut evertenda familia. Id ne contingeret, exserenda erat Maritalis potestas, quam Regiæ hucusque comparamus. Non enim temerè Paterfamilias HOMERO *Rex* dicitur. Neque barbarum est, quod ex eodem notat ARISTOTELES I. *Pol.* II. *aliquas gentes id retinuisse, ut unus paterfamilias & uxori & liberis jura prescriberet*

ubi

ubi ipſe pariter docet; *Omnem domum ejus, qui ætate antecedit, regno ſubjectam eſſe.* VIII. *Eth.* XII. Patriam poteſtatem *regnum* imitari proximè dicit: quæ patria poteſtas ex poteſtate in conjugem ſurgit. Clarius II. *Oecon.* I. viri mores *pro legibus* habet. conſ. III. Polit. XIV. & quàm plura loca alia, quæ Maritum & Patremfam. *Regem* ſalutant. Regi verò in caput civium poteſtas eſt: quare & Marito in univerſam familiam. Fruſtraneum eſſet illud præceptum, quod Noacho dedit Dominus; *Quisquis ſanguinem humanum effuderit, ejus ſanguis effundetur per homines:* niſi hâc poteſtate inſtructus eſſet maritus, ut ejuſmodi facinus in uxore poſſet debitis modis caſtigare. Nec detrahit quicquam noſtræ ſententiæ, quod recentioribus populorum legibus aliter conſtitutum eſt: nec marito permiſſa facultas animadvertendi in uxorem ultimo ſupplicio. Id ipſum enim inficiabimur nunquam: ſed ſecundùm præmiſſam cautionem interpretabimur. Aliud nimirum eſt, diſputare de Poteſtate Mariti in hâc, vel illâ Republicâ: aliud de jure in ſe, extra civitatem, conſiderato. Citra diſputationem damus; poſſe Mariti jus à Majeſtate impediri, ſicut Domini, ſicut Patris. quia omnes poteſtates, omnia imperia Principi, modo quodam eminentiſſimo, adhærent: eâ facultate, ut illa & ad ſe trahat, & in poſſeſſoribus priſtinis exſtinguat. Non igitur mirum, ſi jus vitæ ac necis marito ſubtrahatur: cum & patri, & domino in ſervum ademtum ſit; caſtigatione modicâ relictâ. Quæ & ipſa pro imperantis arbitrio

trio negari posset, omni contentione ac controversiâ ad judicem deferenda, si id ex re communi existimetur futurum. Huic interim deminutioni opponerem gentes, quæ post Rempublicam constitutam tale jus retinuerunt: permissu scilicet Majestatis. quæ permissio cum includeret omnia ferè, quæ indoles hujus imperii complectitur; facilè discere est, quid sine permissione imperantis, extra rempublicam, suo jure habeat maritus. Nam in Republicâ exercebat hoc maritus, quà maritus: quod argumento est, pristinum jus confirmari, non novum dari. Si novum quid tribueretur, conferret id Majestas viro, non qua maritus est; sed quà magistratus constitueretur. Magistratus autem à tali imperio distinctam habent Jurisdictionem.

VI. Ut autem appareat magis veritas maritalis potestatis, originem ejus scrutabimur. Maritalem potestatem à Naturâ deducit ARISTOTELES. quod si *Naturantem*, ut loquuntur, indigitaret, salva res esset: nunc ad nascendi ordinem, & sexus discrimen dilabitur. VIII. *Nic.* XIII. (aliis est XI.) *Viri & uxoris amicitia eadem est, atque ea quæ in optimatum Principatu. Ex virtute enim res tota descendit, & plus boni meliori tribuitur, & quod cuique aptum & accommodatum est. Idem porro & de jure sentiendum.* Expressius loquitur I. *Polit.* V. *Statim ab ortu primo nonnulla inter se distiterunt, alia ut parerent imperio, alia ut imperarent.* Et cap. XII. ejusdem Libri. *Mas ad principatum obtinendum dignior est, quam fœmina naturâ*

naturâ. & cap. XVII. *Quare complura imperant naturâ, & imperio parent. Alio enim modo liber servo praeest, & mas fœminæ, & vir puero.* Breviter, ea mens Aristotelis est; *dignius indigniori imperat naturâ*: sed fœmina naturâ est imperfectior viro: quare necessario viri imperio subest. Quam sententiam sublimis GROTIUS minus accuratè admisit lib. II. de Jure Belli & Pac. cap. V. n. VIII. *Ex consensu jus in personas quod oritur, aut ex consociatione venit, aut ex Subjectione.* Consociatio *maxime naturalis in conjugio apparet: sed ob sexus differentiam imperium non est commune, sed maritus uxoris caput.* Pressius insistit Philosophi vestigiis ARNISÆUS, qui maritalem potestatem adeò deducit à naturâ, ut ad brutorum exempla recurrat, quæ sub masculis degunt. Tum societatis & juris conjugalis eandem originem constituit naturam. Quin Adamum, etiam ante lapsum mulieris, dominatum fuisse uxori, scribit: quod prior creatus sit. Quo trahit *Apostoli* dicta I *Corinth.* XI. 8. I *Tim.* II. 13. *Vir non est creatus ex muliere, sed mulier ex viro. Non permitto mulieri docere, nec dominari. Adam enim primo formatus est.* Verùm hæc imperium naturale non probant. Si virtutem ponit ARISTOTELES fundamentum imperii: non nisi temerariè illud negabit fœminino sexui. Minores dotes in fœminis sæpius quæsitas, quàm inventas, & à naturâ datas habeas. In omnes virtutes patet humanus animus: quem si prolixiorem in virorum genere habent, tamen fœmi-

fœminis non eripient totum, credo. Quicquid hominis participat naturam, virtutis æquè capax eſt. Ut hoc nomine fœminæ non ſubtrahas imperium. Si dignitatem in robore corporis quæras; ſimul aſſeras oportet, quadratum ruſticum, ob craſſum & groſſum corpus, regibus aliquando præferendum eſſe. Qualitates naturales imperium nullum conferunt. Uterque ſexus neceſſarius: uterque ſuo decore præditus eſt. Uterque ſexus in generationis opere activus eſt; & fictitium imperium *Leonardi Leſſii*, ex ratione *agentis* & *patientis*, *vel inſtrumenti*, ideò evaneſcit, quod nuſquam generaliter receptum ſit. Licet igitur vel maximè Maritus naturaliter præſtantior ſit in eâ combinatione, & inſtar agentis ſe habeat: nullam interim hac actione conſequeretur poteſtatem in uxorem. Niſi brutis animantibus eandem velimus adſcribere. Diſpoſitio corporis, vel animi, *aptitudinem* notat; non continet cauſſam poteſtatis; cum ab illâ ad hanc nulla ſequela ſuperſit. Multi prudentia civili præditi ſunt, qui propterea non imperant naturâ: ſecus impediri ejuſmodi imperium ratione nullâ fas eſſet. naturalia enim, non niſi deſtructâ naturâ ſuâ, mutationem ſubeunt. ARNISÆO hæc reponimus. Bruta animantia ab imperii, diviniſſimæ rei, participatione excludenda ſunt. Imperii poteſtas in beſtialem naturā non cadit. Simulachra, & imagines obſcurę, tum ſimilia, nihil concludunt in Politicis. Validiora ſint, quæ tantam rem conficiant.

So-

Societatis & juris imperatorii hactenus eadem origo, si caussam primam utriusque attendas, Deum. Sed per naturam intelligunt, inclinationem naturalem: quæ stimulat quidem hominem ad colendam societatem; ad producendum verò imperium nimis impotens est & inefficax. Adamo ante lapsum asserere imperium, contra Sacrarum Litterarum testimonium, nolim: & fundamentum in Evæ imbecillitate, antequam peccaret etiam, reponere, citra impietatem non ausim. Ad imaginem perfectissimi Numinis conditum hominem credimus: quæ imago imbecillitatem omnem excludit. Dicta *Apostoli* de imperio in fœminas post, non ante lapsum, intelligenda: nec productum à naturâ imperium viri affirmant. de quibus alibi pluribus, quando Subjectum Majestatis interpretabimur. GROTIUS, quamvis in sexu aliquod fundamentum imperii constituat; præcipuum tamen locat in *consensu.* unde concludit dicto loco: *In homine verò, qua animans est utens ratione, ad hoc accessit fides, qua se femina mari obstringit.* Et vidi, qui civilis imperii fontem scrutatus, ad instar maritalis potestatis, eundem dicebat *à voluntariâ subjectione descendere. Universam multitudinem sponte se arbitrio imperantis permisiße, & certo pacto sub potestatem concessiße. Rem totam eße voluntatis & voluntarii pacti. Sic uxorem, quam non habet potestatem maritalem, subjectione suâ spontaneâ marito concedere.* Id universali pronunciatione asserimus; nullum imperium, sive publicum, sive privatum, homini in

in hominem competere, abſque expreſſiſſimâ conſtitutione Dei, ejuſdemque præſentiſſimo interventu. Uxor nec poteſtatem maritalem habet, nec eandem marito in ſe concedit. Repetenda hæc altius ſunt, quam ex gentilium ſcriptis, quibus naturâ mulier ignobilior viro, hic pręſtantior; & dignus propterea, qui inferiori præſit.

VII. Ex ſacris Litteris hic ſuppetiæ quærendæ, quarum interpretes docent, principi humani generis tum demum arbitrium in uxorem conceſſum ſolemniter, quum hæc ſuâ culpâ excidiſſet priſtina eminentiâ. Nimirum primitus non erat obnoxia marito ſuo Eva: gaudebat ęquali libertate atque præſtantiâ cum Adamo: exercebat idem jus in bruta, quod ille; nec ſuſpiciebat quemquam præter Deum. Sed cum poſtea deficeret à Deo, & Adamo pariter exiſteret cauſſa, ut ſe obſtringeret horribili perduellionis crimine: in pœnā perpetrati ſceleris, & priſtinâ exuebatur libertate, & marito ſubjiciebatur, expreſſo Dei decreto. Hujus formula exſtat Gen. III. 16. *Voluntas tua obnoxia eſto marito tuo: & hic dominabitur tibi.* Hæc ſunt illa incunabula maritalis poteſtatis, & juris, cui uxores ſubjacent. Hæc ſunt illa fundamenta patriæ poteſtatis: quod cenſeantur nati eodem jure, quo mater. partu non obſcurè conditionem ventris ſequente. Quicquid igitur nunc voluntatis & voluntarii pacti in muliere occurrit, id ad contrahendum matrimonium pertinet: & conſequenter interpretandum eſt ad aſſenſum, & approbationem,

qua

qua in secuturo certi mariti imperio fœmina acquiescit.

CAPUT II.

DE SOCIETATE PATERNA.

I. *Omnes liberi subsunt imperio patrio.*
II. *Quod per Generationem nudam non acquiritur.*
III. *Consensus Patris requiritur in Nuptiis.*
IV. *Ius vendendi, & castigandi filium.*
V. *Potestas Patria in Bona filii.*
VI. *Officium Paternum temperat imperium.*
VII. *Potestas Patria in civitate restringitur.*



Ocietas Paterna inter Patrem & liberos, ob adjumentum & utilitatem à naturâ per generationem constituitur. Vinculum, quo hæc societas continetur, *Patria potestas* est: quæ ex nativâ indole imperiorum, non secus ac Maritalis, in caput Subjectorum liberorum pertingit. Hæc quanta sit mox aperietur: si caussam ac fundamentum prius fuerit declaratum. Universum Imperium paternum caussam habet Deum; sed intercedens quasi fundamentum est præcedens societas, in quâ mariti regno subjecta est uxor. Eandem sortem subeunt ex uxore procreati. Quod partus regulariter sequatur conditionem ventris

ventris, quod imperium concernit. cum verò mater conjugis imperio divinitus subdita sit; quicquid ex hac nascitur, idem imperium accipit & veneratur. non enim potest effectus meliorem habere conditionem illâ, quam sustinet caussa. Idque perpetuum est in omni genere imperiorum. Quicquid ex ancilla & servili ventre producitur; herili paret dominatui. Quicquid à cive generatur, Majestatem Reipublicę veretur. Hinc benè JCti Romani Patriam Potestatem matrimonio & nuptiis constitui, asserunt. Non requirimus legitimationem, jure Civili excogitatam, ad hoc, ut liberi sub patris constituantur potestate. Nam extra Rempublicam, secundarium illud matrimonium, quod concubinatum vocant, eandem efficaciam habet, quoad imperium paternum, quam primarium, sive solemne conjugium sibi vendicat. Liberi ex alterutro nati, non differunt majori minorive libertate: sed succedendi ordine. Nam in ipsam concubinam, antiquissimis Patriarcharum temporibus, competiisse imperium, inde mihi constat, quod concubina ubiq; *vera uxor* fuerit, & uxoris nomen in Sacris litteris gerat. Licet plerisque uxor dicatur *Secundaria*; & concubinatus *conjugium secundarium*: id tamen ad naturam conjugii non est referendum; sed ad *effectum aliquem extraneum*, *relinquendæ hereditatis*. in cujus aditione, ex solemni matrimonio nati præferebantur utplurimum concubinariis liberis: quibus dona & legata relinquebantur. Addam luculentissimum exemplum Abrahami, qui in

naturalem, ut vocant, filium Ismaelem, ex concubinâ Agare editum, exseruit patriæ potestatis jura. Cujus rei documentum illud est, quod & circumciderit eundem, (id vero nisi in subditos suæ potestati non designabat) & cum proterve quibusvis, tum Saræ inprimis illuderet, & signa non tantùm ederet immodesti animi, sed pessimorum scelerum speciem ostentaret, abdicaverit, & paternis ædibus ejectum miserit exulatum.

II. Grotius ad *generationem* hîc recurrit, quam caussam imperii facit, lib. II. c. V. n. 1. de J. B. & P. *Non in res tantum, sed & in personas jus quoddam acquiritur, & originariè quidem ex generatione, consensu, delicto.* Generatione *parentibus jus acquiritur in liberos: utrique inquam parentum, patri ac matri: sed si contendant inter se imperia, præfertur patris imperium ob sexus præstantiam. Leonardus* quoque Lessius eandem fovet opinionem, lib. II. de *Iust. & Iur.* c. xlv. *Dub.* iv. n. 24. ubi primam rationem, qua imperandi potestas producitur, vocat *caussandi ordinem. Caussa enim naturaliter habet potestatem in effectum. hac ratione Deus potest imperare omni creaturæ rationali. quia ipse est auctor, & illa est opus & figmentum ejus. Idem suo modo competit parentibus in filios.* Quod si Generatio produceret naturaliter imperium in generatum, & brutis animantibus, & stirpibus, quibus potentia & operatio generativa tribuenda est, simul assignanda foret aliqua imperii potestas, non sine absurditate. Si excipias; *irrationalem & sen-*

suum

suum expertem naturam capacem non esse imperii, & distinguendam adeò à rationali, quæ imperium participare potest: largiar id ipsum, & nostræ sententię applicabo, & caussam postulabo; quare homo vi generationis consequatur imperium? cum interim hanc operationem producat, non quatenus homo est & ratione præditus; sed quatenus naturâ vegetabili, quæ ex se nullum imperium dat vel capit, instructus est. In hominum genere vera non est propositio, *quod caussæ in effectum competat imperium.* Nam servus & serva partus servilis caussa sunt, non tamen imperant liberis. Ita mater liberæ conditionis, non minus ac pater, caussa liberorum est, in quos potestatem nullam exercet. Imo ipse maritus, sub patria potestate constitutus, imperare filiis, & exigere omne obsequiorum genus haud potest, usque dum egrediatur familiâ. Subjicitur effectus caussæ, *quando caussa non subjicitur alii:* Hinc quia solus Deus prima caussa est, & nemini subjacet, plenarium obsequium flagitat. Post hunc quasi secundarium recipiunt omnes, quibus id *speciali constitutione* à Deo concessum est: quales extra Rempublicam Patres-familiarum, & in Republicâ Imperantes. Quamvis enim hi ex suâ naturâ imperium nullum habeant, & propterea obsequium nullum postulent: attamen, quia communicatur iisdem per quandam commissionem divinam potestas; optimo jure ab inferioribus, & sibi hac delegatione subjectis, debitam obedientiam exigunt. Quod si Deus Opt. Max. Adamo non concessisset

imperium in uxorem: nec præstantia sexus in hanc, nec generatio in liberos contulisset aliquam potestatem: fœmina, & liberi, omni lege superioris hominis vixissent soluti. Postquam autem Evæ voluntas subjecta est Marito, omne ex illâ genitum imperio, quod mater suspicit, paret. Et huic quidem soli; non etiam materno, quod nullum est. Nam utrique parentum, patri ac matri, nolim tribuere imperium: tùm quia per generationem, quæ naturales effectus producit, qualis non est imperium, minimè acquiritur: tùm quia subditus duobus æqualibus imperiis nemo est. Illud quoque perpetuæ veritatis censendum, hominem, qui sub potestate alterius est, in potestate alterum non habere, nisi ex speciali concessione superioris: cujus indultu, si qua conceditur viventi sub imperio potestas; subordinata, restricta, & limitata nimis est, ne alterius actus facere possit irritos. Quamvis de potestate, matri concessa divinitus, nihil quicquam sciamus: & dictæ rationes civiles maximè obstent, ne temerè aliquam fingamus. Si quid circa liberos, servos; rem familiarem, disponit uxor: id omne arcessendum à permissu Patrisfamilias, cujus voluntatem exsequitur, precario imperio, proprio nullo, instructa. Cujus rei argumentum est, quod si aliter ordinet maritus, repugnare nequeat eidem uxor.

III. Quanta sit Potestas Patria inquiramus. Magnus GROTIUS, qui a lubricum fundamentum jecerat, non poterat aliquid solidi superinstruere: quare modicam saltem facultatem conce-

concedit in liberos ; & tempus quidem imperfecti, tum maturescentis judicii, regimini lenissimo subjicit : ubi excessit familiam paternam, propriam constituendo, liberum planè, & sui juris proclamat filium. Verùm imperii natura diversam sententiam exigit: quare omnino censendum est, imperium paternum, ut omne aliud, includere *potestatem in* CAPUT & *in* BONA *Subjecti*. His duobus omne imperium regulariter absolvitur. Potestas in caput includit omne regimen in filium, & ejus actiones; tum si minus obediat, pœnas. Quoad prius, dirigit pater operationes liberorum in congruum finem; & liberi tenentur patris auctoritatem sequi. Domesticus Censor est Pater, qui mores ac voluntatem filii ordinat, ducit, refrenat. Nam potestas in caput includit jus moderandi voluntati filiali. quod dispositio de parte, propria sit illi, cui facultas in totum data est. Quo pertinet consensus parentum, in contrahendo matrimonio à liberis impetrandus: extra leges quoque civiles, non quidem jure naturali, sed vi imperii paterni, necessarius. tum ne filius, ducta uxore, invito parenti vel heredem adducat, vel invisam nurum: tum ne filia contra voluntatem paternis sacris eripiatur. Circa hanc materiam benè disputat hactenus GROTIUS lib. II. cap. v. n. x. negans *consensum parentum ad validitatem conjugii quasi naturaliter requiri*. Nam istud dandum est, jure naturali consensum parentum nuptiis filii nihil firmitatis addere, nihil etiam detrahere: cum reverentia saltem inculcetur exhi-

 benda

benda parentibus, non his tribuatur aliquod imperium. Et argumenta auctorum, præter honorem parentibus debitum, nihil concludunt. At verò propterea consensûs impetrationem ad jura Civilia tantum restringere, & extra hæc, facultatem & dominium liberis asserere, mihi non est integrum. Si à generatione deduceremus jus, seu potestatem patris, præter reverentiam nihil colligeremus ex isto principio: nunc cum Sanctione & concessione divinâ verum imperium, quale in dominatu deprehenditur, in uxorem permissum sit marito, & per hanc in liberos; utriusque actiones determinat paterfamilias, satis stabili fundamento fretus. Hypothesis illa non admittetur; *quod filius nuptias contrahens, sit maturæ ætatis & ideò Patris dispositioni, tum etiam familiæ subtrahatur.* Nondum enim probatum est, liberos maturæ ætatis solvi patriæ potestatis nexu, & familia egredi: quod grande postulatum assertioni interim substernitur. Imperium, ut tempore non producitur, ita nec à tempore finem accipiet. Filios autem non exiisse familia paterna, ducta uxore, sed hanc mariti patri simul fuisse subjectam, ex sacris puto probari; quando Thamar apud Socerum accusabatur, & ab eodem, non alterius quam patriæ potestatis vi, quam in virum Thamaris, filium suum obtinuerat, ad ignem condemnabatur. Non exit filius paternâ familiâ, licet maturæ ætatis: nisi dimissus à patre, aut accedente superiori potestate, quæ paternam ad se trahat, & certis limitibus circumscribat. Occasio lapsus ple-

plerisque fuit, quod doctrinam Imperiorum ex materia Jurium conati sint explicare, quæ alienissimam naturam sortita est.

IV. Potestas in caput luculentissime clarescit in *venditione liberorum*: dum necessitatis extremæ tempore, quô & sibi consulat pater, & prospiciat insuper filio, vendendi eundem, & multò magis oppignerandi, habet facultatem. Hanc rationem, citante GROTIO *not.* n. v. *dict. cap.* observat JORNANDES, *historia Gothica. Haud enim secus parentes faciunt, salutem suorum pignorum providentes, satius deliberant ingenuitatem perire quàm vitam, dum misericorditer alendus quis venditur, quam moritur, servatur.* Quam consuetudinem apud *Mexicanos* idem Grotius annotat; & ab Hebræis, à quibus Phœnices, inde Thebani, acceperunt, fluxisse arbitratur. Quanquam radicalis caussa hujus potestatis non â *consuetudine populorum*, quæ exercitium saltem infert; sed *imperii paterni natura*, quatenus in caput filii pertingit, est repetenda. Pertinet huc jus castigandi filium immorigerum & refractarium. Quod si enim paterno regimini liberi recalcitrent, coërcendi sunt: nisi frustraneum velis omne imperium. Cogendus igitur est crudus animus, ne transversum rapiatur; & emendandus, si jam peccaverit. Hoc rerum statu, quo judicis personam gerit Pater, summâ prudentia opus est, ne excedat pœna delictum. nam in defectu tolerabilius peccabitur à patre. quod dignitas, seu meritum pœnæ, non omnimodam necessitatem includat. Quare levioribus

 erratis,

erratis, ſeverior reprehenſio & admonitio ſufficerit: ſi procedat petulantia, plagis & verberibus aperietur locus. Quod ſi tranſierint vitia in contumaciam, *paternâ ſucceſſione privari poterit degener filius.* ne commodum capiat ex bonis illius, cujus ſancta præcepta malitioſè neglexit. Si neque hac ignominia & jactura moveatur, nec ad frugem redeat maleſanus filius, *Abdicatio* ad paternam Juriſdictionem pertinebit: quâ carcinoma illud è familia paternâ ejiciatur. Hæc Græcis uſitata, & Romanis aliquando non fuit incognita. Dicebatur ἀποκήρυξις, quia per Præconem celebrabatur, cujus voce publicè teſtabatur Pareus, "*ſe ob deſperatos mores, filium domo ſuâ indignum judicare, & jubere protinus è conſpectu ſuo abire*; ut formulam hanc Valerius Maximus de Tito Manlio Torquato, tradit lib. v. c. viii. Rationem acutam & ingenioſam affert Ariſtotel. viii. Eth. xvi. *quod Patris debitor ſit filius, & quidem perpetuus, Pater Creditor: licere autem omni jure creditori ſuum debitorem dimittere.* Quæ ratio ſubtilior, quàm verior eſt. Nam debitor dimiſſus habet beneficium & nexu debiti liberatur: filius abdicatus ſentit pœnam: quæ pro lubitu nemini infligitur, niſi ubi delictum præceſſerit. Erat ignominioſa miſſio, dum veſtibus ſpoliatus expellebatur. Civitatem interim non amittebat, ut aliqui volunt. Nam Hesychius id clarè affirmat: & Cornelius Nepos, *in Themiſtocle*, auctor eſt; eum à parentibus *exheredatum*, id eſt, *abdicatum*, in republicâ Athenienſium ad ſumma perveniſſe.

nisse. Ut minus congruere videatur opinio, censentium, abdicatorum receptores læsæ majestatis fuisse reos. Nihilominus ignominiosa erat missio. ut *Aristotelis* similitudo ad *emancipationem*, qua liberi ex potestate paternâ dimissi, juris sui fiunt, citra notam ullius infamiæ aut damni, mèlius quadret, quàm ad *abdicationem*. Per hanc enim imperio minus honorificè eximuntur. Nobis hujus juris fundamentum rectà petendum est à potestate in caput: quam omnis castigatio præsupponit; & proximum jus vitæ ac necis, anima omnis imperii coarguit. Cuicunque enim jus datur, ultimo supplicio afficiendi aliquem: ei quoque facultas competit, è paternis sacris ejiciendi delinquentem. Cæterùm prægnantissima sit caussa hujus ejectionis. Unde Athenienses, sub Republicâ scilicet viventes, non nisi caussa cognita apud judices, id moliri poterant. Quod benè monet *Aristoteles* dicto loco. *Nemo fortassis*, inquit, *discedere velle videatur, nisi ab eo qui improbitate excellat. Nam præter amicitiam naturalem, humanum est, auxilium non aspernari.* Ubi rectè naturalem expendit amorem, non nisi atroci de caussa consensurum in abdicationem. Caussa sufficiens erat apud Græcos, si filius noctu foris cubuisset: si comessaretur: si libidini incumberet; tradente LUCIANO. FABIUS QUINTILIANUS generale delictum ponit, si voluntati paternæ repugnasset. Extra rempublicam, ubi nullæ leges civiles hoc negotium determinant, delicti atrocitas à Patre æstimabitur. Exemplum habemus

in Abrahamo, Ismaëlem abdicante, accedente divinâ approbatione. Gen. xx. 12. Si capitali crimine se obstringat filius, eâ potestate armatus pater est, quæ sontem puniat. Tunc igitur se exseret jus vitæ ac necis, & liberos homicidas ultore gladio, secundum præscriptum divinæ legis, perimet. Hoc enim præcipuum momentum omnis imperii, ut nefariè impios ultimo supplicio afficiat. Majestatis vices extra Rempublicam sustinet Paterfamilias: qui suos regit, & si enormiter peccent, hoc freno coërcet. Imperat enim familiæ Princeps: non consulit, non monet tantum. Apud Germanos, Romanos, & plures alias gentes, usurpatum hunc summum patriæ potestatis gradum, monumenta omnia loquuntur. Ebræis quoque in usu fuisse, inde colligo, quod Jacobus furtum Labani factum, capite sontis expiandum proclamet: nullo intuitu, sive ab uxoribus, sive liberis, sive servis id factum fuerit. Et Juda, cujus mentionem supra n. 111. fecimus, in filium habuisse jus vitæ ac necis, dicendus est: cum propter illud jus nurum apud se accusari passus sit, & ipse condemnare non dubitaverit.

V. Alterum membrum Paterni imperii fluit ex Potestate in caput, & extenditur in BONA Filii: cujus vigore illud consequitur; Patris substantiæ & facultatibus accedere; quicquid fortunarum, operâ atque industriâ filii, fuerit acquisitum. Quare nec donare posse filium, vel mortis, vel alterius rei caussâ, verius est: quia dominium nullum habet. Quia enim patri in caput filii potestas est: etiam bona, quæ

filii

filii ſtudio obveniunt, iſti adſcribenda. Ratio eſt. quia acceſſorium ſequitur naturam principalis ſui. Bona verò accedunt perſonæ. quare ſubeunt eandem conditionem, quam perſona ſuſtinet. quæ cum Patris imperio ſubſit, neceſſariò bona ejuſdem moderationi parebunt. Clariſſimum exemplum in Romanis legibus ſuppeditat Arrogatio. quâ in perſonam ſui juris comparabatur poteſtas, & ſimul dominium in adrogati bona. Unde Arrogatio conſtituitur modus dominii acquirendi. Nullum diſcrimen bonorum, à filio quæſitorum, facimus. nam *Caſtrenſe & quaſi caſtrenſe* peculium Reipublicæ Sanctio invenit, poſtquam patriam poteſtatem etiam in reliquis circumciderat & coanguſtarat.

VI. Hæc capita ſunt, ut omnis, ſic etiam paterni imperii: quod officium, in pietate ubique conſiſtens, moderatur, & naſcendo atque nato filio benevolè proſpicit. Ut enim conjuges eo fine conjunguntur, ut multiplicando generi humano operam dent; ac ideò obſtricti ſunt, ne huic deſtinationi repugnent: ita poſtquam fœtus conceptus eſt, omni cura invigilare debent, ut incolumis ſervetur. Nulla ratione excuſari poteſt horrendum ſcelus, quô in viſcera ſua ſæviunt parentes, abortum procurantes. Impia ſunt, quæ ARISTOTELES ſcribit VII. *Polit.* XVI. nec habeo, quo velamento ſententiæ deformitatem obtegam. Eadem obligatio naturalis, quæ vetat naſcentem animam interimere, vetat quoque natum infantem exponere. Sive perimendi animo abjicia-

tur; sive ut ab aliis misericordiam consequatur, qua parentes caruere: utrobique crimen est, nostris quoque moribus ac legibus graviter puniendum. Ideò recens nato filio prospicere tenetur parens, de alimentis, de victu, de amictu, de omnibus, quæ transigendæ vitæ sunt necessaria. Idque in illud usque tempus, donec sibi filius, si emittatur familiâ, eadem acquirere, & sibi prospicere possit. Necessitati verò consulit recta ratio, non voluptati, aut prodigalitati nepotis favet; non vires fortunæ patriæ omnino affligit aut exhaurit. Nutritioni videtur connecti *Elocatio* & *Dotatio*: *Institutioni* quoque locum dabimus, ut ad omnem virtutis decorem, & honestatis cultum, & pietatis sanctimoniam, animus tener imbuatur. Quæ officia Charitatis paternę, ab ipsâ naturâ commendata atque præscripta, satis documento sunt, quomodo exercenda suis juribus, superiùs delineata Potestas Patria. Illud quippe temperamentum adjiciunt, ne tyrannica fiat, quæ legitima erat. Neque enim propterea censenda est atrocior nostra sententia, qua jus vitę ac necis datum esse patri, asseruimus: nam & illud mitissimus quisque regum in suos habet, nunquam ideò tyranni infami nomine notatus; & regi hactenus ubique comparatur pater. Omnis potestas à Deo est; nulla Tyrannica: exercitium malè usurpatum id nomen merebitur. Et quemadmodum Princeps injustè trucidans aliquem, homicidium admisisse, non exercuisse Jurisdictionem, intelligitur: ita pater sine caussâ, quæ digna erat mortis supplicio, perimens filium,

patria

patriâ poteſtate à parricidii crimine non liberabitur. Cauſſa igitur ſubſit, morte digna, quæ provocet jus vitæ ac necis in liberos expediendum, ſicut ad infligendam omnem aliam ſeveriorem caſtigationem. Nullum imperium in ſe malum eſt: nullum jus, nulla plenitudo poteſtatis ad injuſta & impia pertingit. Qui occaſione Lothi, promittentis ſe paſſurum filias vitiari, quærunt, num proſtituere pudicitiam earum potuerit jure patriæ poteſtatis: lapſum & imbecillitatem viri non attendunt, nec imperii cujuſcunque jura ſatis perſpicuè tractant.

VII. Hæc omnia ut ſupra monuimus, dicuntur, ſequeſtratâ contemplatione Reipublicæ. quatenus extra civitatem, & extra Majeſtatis limitationem, in ſuâ naturâ ſeparatim conſideratur auctoritas Patris. Nam in omnibus fere hodiernis rebuspubl. ademptum eſt Jus Patribus & Maritis. Sic Jure Romano antea commemorata Abdicatio expulſa L. 6. C. de Patria Poteſt. ABDICATIO, *quæ Græco nomine ad alienandos liberos uſurpatur, & ἀποκήρυξις dicebatur, Romanis legibus non comprobatur.* Ita poteſtas interficiendi filium, etiam noxium, reſtringitur; adeo ut pater filium, adulterantem novercam, interficiens, Romanis legibus punitus ſit deportatione in inſulam l. 5. *de Parricid.* ubi *Adrianus* hanc rationem adjecit: *Patria poteſtas in pietate debet, non atrocitate conſiſtere.* Ita ſenſim ademptum hoc jus eſt, ut teneretur tandē pater filium caſtigandum offerre judici, dicturo ex patris præſcripto ſententiam. L. 2. de *Sicar.* *L. 3. C. de P. P.* Idem obſervo circa poteſtatem mari-

maritalem, quæ in plurimis imminuta est: adeo ut invenerint Romani Legislatores modum, quô uxor nullâ ratione subjiceretur conjugis potestati. Nam quæ *usu habebatur conjux*, in potestate parentis manebat perpetuò, modò per trinoctium usurpatum iret. secus usucapione subjiciebatur manui viri, in quam non convenerat. Quod versato in Romanis antiquitatibus, notissimum est. Nostris quoque moribus, dum sub republica, & imperio civili degimus, & maritalis, & paterna potestas, à Majestate restringitur, quæ inferiora imperia ad se trahit. Quamvis enim marito & patri imperium concesserit Deus, irrevocabile tamen nunquam fuit. Quæ num reducenda in usum ac consuetudinem sint, hujus loci non est disputare: quamvis in negantem sensum, sive hîc, sive alibi quæstio instituatur, inclinandum sit. Postquam enim Majestas judicia in republica ordinavit; quæ delicta debitis suppliciis afficiant; & parens adeò ac maritus, transgressorem filium, aut peccantem conjugem, ad tribunal trahere possit: nec ex re tranquillitatis communis, nec auctoritate Principis futurum videtur, si præter modicam domesticam animadversionem, quicquam Patrifamilias concedatur.

CAPUT III.


DE

SOCIETATE HERILI.

I. *Servitus naturalis nulla est.*

II. *Li-*

II. *Libertas non est naturalis facultas.*
III. *Servitus non est Iuris Gentium.*
IV. *Unde imperium Herile; & quantum.*
V. *Quomodo imperia maritalia, paterna & dominica differant.*



Ocietas herilis est inter dominum & servum, consuetudine gentium introducta: ubi dominus servo utitur, tanquam instrumento, ad familiæ conservationem. Non persequemur hîc pluribus definitionem domini; aut servi, *quatenus hic sit instrumentum animatum, omninò alterius:* quod hæc talia melius ab Oeconomo tradantur, & nobis in materia civili negotium datum sit, imperiosum indolem scrutari. Id in præsenti paucissimis agendum erit, si prius originem societatis breviter attigerimus. De Servitutis origine non omnium una sententia est. Sunt qui *naturam* constituant caussam: nec desunt, qui eidem *contrarium planè* esse hoc institutum affirmant. Priorem opinionem tuetur ARISTOTELES, cum suis *interpretibus* I. Polit. c. V. ubi hæc Philosophi leguntur verba: *Imperare & parere non solùm ex numero rerum necessariarum sunt, verùm etiam ex utilium. Et statim ab ortu primo nonnulla inter se distiterunt, alia ut parerent imperio, alia ut imperarent.* Et infra describit servum naturalem hoc modo: *Natura servus est is, qui alterius esse potest: ideòque & alterius est: & qui eousque rationis est particeps, quod eam sentiat*

tiat quidem, sed non habeat. & supra cap. II. *Copulantur autem etiam natura id, quod imperat, & id, quod imperio paret, propter salutem: nam quod mentis agitatione providere potest, imperandi jus habet naturâ, & dominatur natura: quod autem potest corpore imperata facere, id imperio alterius parere & servire debet naturâ.* Et cap. VI. sic habet: *Domini & servi conjunctio naturalis est, quia ad ipsorum salutem & conservationem facit, dum alter alteri opitulatur iis adjumentis, quæ à Naturâ habet. Dominus videlicet ingenio & solertia; servus corporis viribus & robore.* Nos præter servum, quem legalem vocat *Aristoteles*, alium non habemus. Ut naturalia imperia, sic servitia ignoramus. Confusio ingens dominorum & servorum introducetur hâc doctrina. *Servus & Dominus*, Politica vocabula sunt, Physicis & naturalibus rebus non commiscenda. universa naturalis Philosophia nihil novit de servo, aut domino. Cuique habituum sui limites & aggeres positi sunt: quos si movemus & transferimus, data opera miscemus doctrinas. Definitio servi naturalis, nisi obscuritate foret tuta, vix effugeret culpam absurditatis. Natura servus est is, qui alterius esse potest: ideoque & alterius est. Qualis quæso sequela; qui alterius esse potest, servus natura est? Ita forsan omnes homines naturâ servi erunt: cum nemo satis præcavere possit adversæ fortunæ casus; & nemini à naturâ jus datum sit, ne unquam serviat. Legalis quoque servus alterius esse potest, & alterius est; ideone naturâ

râ servus? quomodo distinctæ species? *rationem sentire, & non habere*, nimis acutè dictum est. quam subtilitatem, nec materia popularis, nec simplex veritas satis capit. Ingenioso autem homini imperium naturale adsignare, & robustum, ac minus callidum in servitutem naturalem detrudere; id verò Politicam doctrinam omnem, & discrimen dominorum ac servorum eximiè turbat. Da mihi hominem, tam stupidum ac fatuum, ut *Seneca* joco, regnare etiam possit: hunc stolidum regem, summâ potestate fruentem, in ergastula servorum compinges. cui associandi omnes proceres, robusto corpore, exili ingenio decorati. Contra omnes servi callidi, qui dominio alterius subditi reverâ erunt, si sagacitate polleant, in classem dominorum evehes. Ita contraria tandem idem subjectum inhabitabunt, & dominus erit servus; servus in dominum evadet. Nemo tam vacuus est ingenio, quin sibi regendo sufficiens videatur: accedente hâc doctrinâ, illicitis etiam modis, injustum scilicet, dominatum alterius excutiet. Aptitudo imperandi ut imperium nullum producit; sic in servitutem neminem detrudit rudior illa & stupidior simplicitas ingenii. Paradoxum quidem Moralium est, *omnem vitiis obrutum hominem servum esse*: sed figuratum illum loquendi modum non propellunt in diversas alias disciplinas. Nimis intricata est prudentia politica, si vel maximè omittamus paradoxa, ex Physicis in Politicam monstrosè protrusa. Absint hæc à gravitate augustæ Doctrinæ, quæ excussa

tenue

tenue acumen, nullam efficacem sapientiam redolent, aut virilem subtilitatem. Quod si aliquis nascatur servus, & jam in utero servilis conditionis sit, dum ex ancillâ nascitur: nondum servus naturalis erit. nam legis constitutione servus est, quicunque ex ancillâ nascitur.

II. Ex alterâ parte, *servitutem omnem contra naturam esse*, Imperator JUSTINIANUS statuit, in confirmatione Florentinianæ sententiæ, relatæ in l..4. §. 1 D. *de statu hominum*. Quam sequitur vulgus Interpretum: ea inducti ratione, *quod libertas sit quædam naturalis facultas, cum omnes naturâ nascantur liberi.* quare cùm oppositorum opposita sint prædicata; servitutem, quæ tollit libertatem, contra naturam esse concludunt. Sed omnia scrutanda prius sunt, quàm concedantur. Libertatem latissimo significatu esse naturalem facultatem, largimur, quatenus scilicet à naturâ permittitur, *& præcisâ constitutione humanâ*, servitus à naturâ non est sancita. Præcipi autem à naturâ libertatem, vetari servitutem, nemo dabit: sicut nec illud; ingenerari nato homini libertatem. Quem sensum vocabulum, *Naturalis facultas*, strictè solet inferre. Nam *qualitates Physicæ*, quæ naturam corporis insequuntur, propriissimo sensu dicuntur *naturales facultates*. Sic intellectus, voluntas, sermo, naturales facultates sunt hominis. Sed libertas eo modo naturalis non est: aliàs & servo propria esset. quod naturam hominis perfectissimè participet servus. Quare in *sensu Physico* libertas non est naturalis facultas; nec servi-

ſervitus contra naturam. Videamus, num *moraliter* ſit naturalis facultas; quamvis loquendi formula & recens ſit, & contradictionis ſpeciem præ ſe ferat: torqueamus interim vocabula, & quæramus; num *libertas facultas quædam ſit, jure naturali introducta: num ſervitus, quæ illam expellit, contra jus naturale impingat.* Vidi plures auctorum, qui hoc affirmarent. Sed citra ambages dicendum eſt, libertatem juris naturalis non eſſe. Juris naturalis objectum, honeſtum & turpe eſt. illud perpetuò jubendo determinat; circa hoc immutabiliter verſatur prohibendo. Alii intermedium genus conſtituunt, quod vulgò reductivè annumerant Juri Naturali, & *Permiſſivum jus*, aut *negativum* etiam vocant; quod jus Naturale de tali re nihil diſponat. in quo cenſu eſt *libertas, communio rerum.* Verum hoc jus Permiſſivum & Negativum eſt *Non jus.* Indeterminata enim à Naturali Jure, voluntate hominis ordinari poterant: cum aliàs iſti Juri contraria, ob ejus immutabilitatem, non poſſint approbari. Libertatem potius civilem facultatem nominarem, & *ſecundum naturam*: ſervitutem *præter naturam* introductam pronunciarem.

III. In legibus Romanis, à *Triboniano* collectis, quoties mentio fit ſervitutis, juri gentium eadem tranſcribitur: unde quoque *inſtitutum gentium* vocatur. Verùm id in aliis Romanorum legibus obſervamus, pauciſſima juris gentium eſſe, quæ inibi tribuuntur eidem; *acquiſitiones dominiorum, contractus, alia*, quę nihil minus, quam juris gentium ſunt. illâ accura-

curatione ad hoc principium relata; quâ occupatione quæsitum dominium juri naturali assignatum. ut meritò in materiis juris gentium, vel naturalis subtilitatem desideres doctissimorum hominum. Verbo dicam; servitus Jure gentium non est sancita. nam quę hoc jure constituuntur, nonnisi abrogatis Rebuspublicis mutantur. Servitus autem ab Europæis Christianis abrogata est, sine læsione ullius gentis. Quoties verò juris gentium aliquod scitum invertitur, alia Respublica lęditur: quod universa natura Juris gentium, in relatione, & respectu ad alium populum sita sit. quod suo tempore, propitio Numine, ritè ostendam. Quare cum servitus nullo modo respiciat statum alterius Reipubl: juris gentium eam non esse, ego non dubito. Consuetudine gentium introductam societatem Herilem, ipsi affirmamus: id tamen, non tam de universæ servitutis caussa, quam tempore, quo inolevit hæc societas, exaudiendum est. Tum potissimum introductam servitutem, cum gentes Civili regimine ordinatæ, bellum gererent, & captos hostes in servitutem deprimerent. Qui mos pluribus gentibus usitatus, errori dedit caussam, à jure gentium descendere servitutem: cum saltem modum, constituendi servitutem, populi diversi invicem acceperint. Imperium interim herile nequaquam vel à consuetudine, vel jure gentium arcessam. Nam jus nullum imperium producit; sicut nec consuetudo. Et quemadmodum in præcedentibus societatis caussam separavimus ab imperii

perii

perii caussa: ita similiter & hîc arbitrandum est.

IV. Quod si tamen urgeas; societatem eandem agnoscere caussam, quam habet imperium Herile: quod aliter non constituatur hæc societas, quam per præsens dominium. Maritalis enim, & paterna, sine imperio bene intelliguntur; dominica sine dominio, seu imperio in servum, nullo modo: non repugnabo multum, & caussam hujus societatis, & imperii in eâ valentis, Deum nominabo. Dubitandum non est, victoriam à Deo esse. Quoties igitur hostis in manum victoris tradebatur divinitus, id consequebatur victor, ut hostem posset interimere: cum vero humanitatis interesset, ne inermem & prostratum semper occideret, cùm usui esse posset; hanc potestatem retinebat superior in caput victum. Quamvis etiam victus Majestati acquireretur, per militem vincentem: interim ut incitaretur fortitudo Civium, & præmiis suis ne careret; hanc prædam transmisit Respublica in occupatorem: eidemque communicavit potestatem; quam victoriæ beneficio à Deo in captum hostem erat consecuta. Idem dicendum, si quis segregem patremfamilias aggressus, ante Rempublicam constitutam, & ab hoc fuisset superatus: victor accipiebat immediatè imperium in aggressorem; sicut civis mediante Majestatis concessione. absque hac enim si foret, nullus servus in Civitate existeret. Ex his planissimum fit, quantum imperium sit, in

servum

ſervum domino conceſſum. Quod in bona, per ſervum comparata, ſe extendit, & in ipſum caput exſuperat, jus vitæ ac necis includens. Nam auctoritas illa in hoſtem proſtratum, ęterna ſit: cum plena & internâ Juſtitia. Jus vitæ ac necis in captum hoſtem ſemel habuit victor, quare & illud retinet. Et ut alias Paterfamilias uxoris & filii; ita quoque ſervi rex eſt & judex. at judicandi facultas, ut propriâ auctoritate, ſententiam decretoriam feras, poteſtatem in caput damnandi requirit. Capital verò commiſſum eſſe oportet: tum jus in ſervum, non impunitas ſola occiſionis, permiſſa eſt. Quacunque de cauſſa levitiſcula, non licebit criminale judicium exercere; niſi homicidii reus fieri dominus velit. Nam jus vitæ ac necis non infert nobis aliquam licentiam, pro lubitu interficiendi hominem: imperium enim injuſtum, nullibi datur. ſed facultatem legitimam, in facinoroſos, & ultima meritos ritè animadvertendi. Si quam impunitatem domino, malitioſè occidenti ſervum, concedunt populorum jura; viderint Legiſlatores, quomodo à fuſô temerè ſanguine ipſi liberentur. Poſtquam enim ſemel victo permiſſa vita eſt, non poterit eripi, niſi ſcelere capitali ſe fecerit iterùm ſontem.

V. Illud reſtare poterat dubium; *confundi imperia, dum in uxorem, filium & ſervum, æquali tenore jus vitæ ac necis conceſſimus patrifamilias, & diverſiſſimos homines eidem poteſtati ſubjecimus.* Sed notandum, Imperium, qualecunque ſit, inferre poteſtatem in caput: quare nulla

nulla differentia in ipſo jure, ſeu poteſtate, quærenda; ſed in Exercitio poteſtatis. Morum & domeſticæ diſciplinæ cenſor, omnium conſenſu, Paterfamilias habetur: fruſtra fuerit illa cura, niſi competat animadverſio, quæ poteſtatem animadvertendi in facinoroſos præſupponit. Eadem igitur conditio eſt omnium familiarium, quoad imperium & obſequium: niſi quod affectuum varietate, modò lenius, modo adſtrictius exerceatur. Uxor, thori & utriuſque fortunæ ſocia, plerumque fit conſors familiaris adminiſtrationis, & regiminis in ſervos ac liberos, tanquã domeſticus magiſtratus; & reliqua leniſſimè gubernatur. Liberos indulgens patris affectus, & ingenua educatio, facilè diſtinguit à ſervo: cui nullum regimen, nulla ſpes futuri dominii; ſed operæ, ſed præſtationes & labores relinquuntur. Ita diſtant invicem, quos unum imperium regit: non ſecus ac in Republica ſub Principe ſunt uxor, liberi, ſubditi; diverſiſſimè regendi. Recte SENECA III. de Benef. c. XVIII. *Si ſervo, quo minus in nomen meriti perveniat, neceſſitas obeſt, & patiendi ultima timor, idem iſtud obſtabit & ei qui regem habet, & ei qui ducem, quoniam quanquam ſub diſpari titulo, paria in illos licent.* Huc ſi trahas, quæ *Ariſtoteles* de civili & politico regimine in uxorem, de regio in filium, deſpotico, ſeu dominico, in ſervum paſſim habet, & ſingula interpreteris de exercitio imperii, tolerari eadem poſſent, ſub tali explicatione.

C A-

CAPUT IV.

DE

SOCIETATIBUS COMPOSITIS.

I. *Familia quid.*
II. *Vicus*, *Pagus*, *Civitas*.
III. *Hæc non* casu, eloquentia, Musica;
IV. *Nec* indigentia *introducta:*
V. *Multò minus* diffidentia:
VI. *Sed* naturali consecutione & ordine.
VII. *Civitas an prior familiâ.*



Ocietates Simplices hucusque: *Composita* sunt, quas plures personæ ingrediuntur, & ad minimum Tres absolvunt. Quoties enim duę, aut tres Societates simplices concurrunt, familia, seu domus componitur. Ejusmodi igitur societates compositæ sunt *Familia*, *Vicus*, *Pagus* & *Civitas*. Familiæ vox aliquando de *Servorum cœtu* effertur: & notant Eruditi, Familiam propriè accipi de Servis. Quæ significatio Jureconsultis Romanis non est incognita. videatur Rubrica, *si familia furtum fecisse dicatur*. Ita alibi *familia publica* interpretanda est de servis publicis. Ita *familia urbana*, & *rustica*, eodem sensu dicitur. hinc dicuntur familiares. SENECA in Epistolis laudat veterum humanitatem, quod omnem invidiam dominis, omnem contumeliam servis detrahentes, patris potius quàm domi-

dominos familias, ſe appellaverint, & ſervos, *familiares*. Hujus ſignificationis originem FESTUS petit ab Oſcis, quorum linguâ ſervus, *famul* dicitur. inde *familia*, quaſi *famulia*. & hodieque famulum, qui nobis inſervit, dicimus. Alia notione *Familia*, pro facultatibus, ſeu bonis, accipitur: hinc *res familiaris*, *familia erciſcunda*, *familiæ emptor*, in Romanis Legibus. Alia iterum eſt acceptio Familiæ, pro cognatis, & diverſis ſtirpibus ex uno genere deſcendentibus. Ita FESTUS: Familia antea in liberis hominibus dicebatur, quorum dux & Princeps generis vocabatur pater & mater familiæ. Hinc *familia Corneliorum*, *Iuliorum*. & tunc *à famâ* dictam putat familiam; cum nomen alicujus gentis & generis, diuturna famâ, latè in ſtirpes pervulgatum eſt. Inter Domum, & Familiam hîc nullum diſcrimen novimus. Licet APULEIUS diſtinguat, & illius membra faciat *conjugem* & liberos, hujus ſervos; illius præſidem vocet *Rectorem*, hujus *Dominum*. Familia enim nobis eſt *Societas compoſita, ex duabus, aut tribus ſimplicibus: potiſſimum autem ex nuptiali & paternâ*. Quod alii ſervum pro parte familiæ eſſentiali agnoſcunt; liberos autem inter partes non admodum neceſſarias recenſent: in eò vehementiſſimè errant. Servus enim ad conſtitutionem civitatis, quæ liberis capitibus componitur, nequaquam aptus eſt. & hodie tantum non universa Europa, ſervis deſtituta, dicenda foret carere perfectis familiis. Contra liberi eſſentiam familiæ conſtituunt: quod horum multitudine, quaſi

novis coloniis, multiplicentur cognationes, quæ civitatem tandem faciunt.

II. Vicus est *plurium familiarum consociatio.* Multiplicatis enim liberis, & liberorum natis, hæc prima oritur major Societas. Latinis quoque Vicus congeries est casarum, nulla munitione septarum: quas cognati, ut in viciniâ habitarent, incolebant. Numerum familiarum non definimus: cum ingens latitudo sit in talibus, quæ modo incrementum, modo decrementum admittit, Ita aliquando vici in modum urbium aucti, AMMIANO MARCELLINO dicuntur lib. XXIII. & iterum tribus, aut duabus domibus stabit. Id verò hic notamus, vicum generalius aliquanto concipiendum esse, ut non tantum denotet rusticam illam tuguriorum seriem: sed castella, & populosissimas urbes complectatur. Vicus enim generaliter nobis est, multitudo aliqua familiarum in uno loco degentium. PAGUS *est societas, ex pluribus vicis conflata.* Quamvis vulgari sensu, *Vicus* & *Pagus* Synonyma sint: latinè tamen loquentibus, Pagus vicorum societatem infert, & partes plures majoresque civitatis, certis limitibus inclusas, in quas universa civitas potest distribui. Hoc est, per pagum intelligimus districtum aliquem majorem, qui notabilem partem civitatis constituat. Ita CÆSAR *de Bello Gallico, lib.* I. *c.* XII. Omnis *civitas Helvetia in quatuor pagos divisa est.* Hunc in modum circulos illos, Suevicum, Saxonicum, Austriacum, pagos Germanici Imperii possemus vocare. Ita in quolibet regno majores

res tractus, quos vel situs loci, & Geographi opera, vel incolarum diversitas separat, distinctos Pagos unius civitatis efficiunt. Ubi insulæ plures eidem imperio parent, singulę pagum formabunt. Atque adeo in Pago concurrunt plures vici, plures urbes, quæ conjunctim sumtæ, id nomen sustinent. Tandem pervenimus ad CIVITATEM, *quæ multitudo hominum est, in plures pagos distributa, ut securius & commodius vivatur.* ARISTOTELI quoque Civitas est *societas, ex pluribus pagis perfecta, vivendi & benè vivendi caussa, duce natura constituta.* lib. I. *Polit.* cap. II. Ut vero per *domum*, seu *familiam*, homines, non ædificia intelligimus: ita & *de vico*, & *pago*, & *civitate* censendum est. Plures enim familiæ vicum, plures vici pagum, plures pagi civitatem formant. Tractamus adeò Societates, Materiam & subjectum Reip. non ad imitationem Medicorum, qui corpus humanũ contemplandum sibi proponunt, propriam Philosophiæ Naturalis doctrinam: sed quia revera nostras Societates habitus nullus alius declarat. Ad pleniores enim Societates, & Civitatem usque, non ascendit Oeconomica: circa familias occupata & quiescens. Ita quidem occupata, ut finem nostrum non attendat. ad structuram enim civitatis familias non ordinat, quod hîc unicè attendimus. Quæ tamen omnia ita exaudienda sunt, ne putemus, Civitatis naturam adeò adstrictam esse, ad illam compositionem ex minimis. Ordinariam enim viam attendimus hactenus, per quam communi ordine ex minimis in suam integri-

tatem excreſcat Civitas. Pro partibus autem eſſentialibus, aut integrantibus Civitatis, ſine quibus hæc nunquam poſſit exiſtere, aut componi, non venditabimus minores ſocietates. Cum ad familiæ conſtitutionem neceſſariæ ubique non ſint. Paternam ſocietatem non adeò requirunt ad familiam. Servo carere poſſe eandem, teſtis eſt univerſa propemodum Europa, quæ ſervilia capita hodie non agnoſcit. Ex pagis civitatem non immediatè ſurgere, colligas inde, quod antiquiſſimis temporibus, ſingulis urbibus imperitaverint reguli. Unde conſequitur; plerumqne ex dictis partibus formari civitatem: cæterùm de eſſentiâ compoſitionis, & de neceſſitate exigentiæ, id haud eſſe. Civitatem igitur in univerſum *multitudine ſociorum definiam:* licet nec ſervos, nec liberos, aliquando nec uxores in totâ multitudine deprehendam: licet nec vici, nec pagi plures, ad conſtitutionem concurrant. Civitas igitur ſine familiis, ſine ſimplicibus ſocietatibus aliquando erit. Quod obſervamus in Reipubl. Romanæ incunabulis: ubi nec ſervi, nec fœminæ, & adeo nec paterna ſocietas erat. perfecta interim Reſpub. fuit, quæ civitatem, tanquam ſubjectum, præſupponit. Jam dudum ſumptus in Regem Romulus, jura & leges, quibus contineretur agreſtis multitudo, promulgaverat. Sacra item, & alia Majeſtatis axiomata exercuerat. Quæ omnia & Remp. conſtitutam arguunt, & ſubjectum Reipnb. inferunt: ſine ſervis, ſine uxoribus, ſine liberis. Et alias quoque liberi, ut ad familiæ conſtitutionem, ita
ad

ad civilem ſocietatem minus requiruntur. Servi à Jure Civium, quod ingenuorum & liberorum hominum eſt, arcentur: Mulieres à comitialibus conventibus, & curis civilibus excluduntur. Si cum Livio quis diceret; *ætatem unius hominis duraturam fuiſſe magnitudinem*: *durationem* attenderet, non *eſſentiam* Civitatis, quæ ſine illâ conſiderari poteſt ac debet. Sicut *eſſe*, abſque *benè eſſe* ſæpius invenitur, & utplurimum conſideratur.

III. Ex his cognoſcitur ſatis indoles Civitatis materialis; & ejuſdem origo, quomodo ſenſim à tenui principio in eam amplitudinem excreſcat. Juvat interim preſſiùs inſiſtere origini, & cauſſas impellentes ſcrutari: tùm in illa digredi, quæ Philoſophus circa hanc materiam diſputat: facientia ſanè ad clariorem dilucidationem. Qui divinam hominis originem, & ſubſecutam multiplicationem ignorant; varias atque ridiculas comminiſcuntur cauſſas: quibus moti in familias, collegia, & civitates primi coierint. Epicuro *fortuitum concurſum* placuiſſe, tradunt: ut viro, in reliquis fortunam & caſum agnoſcenti cauſſam, etiam hîc temerarium quid adſignent. Quo interim errori fortuito non eripiuntur; qui *Eloquentiam*, aut *Muſicam*, cives congregaſſe fingunt. Nam & illud caſu factum oportuit. Tullius nimirum auctor eſt, *Eloquentiæ vim fuiſſe, quæ diſperſos in agris colligeret, & ferarum ritu ſylvis ac montibus inerrantes, componeret, & eſſe homines doceret*. Idem de Muſica tradunt Poëtæ: *feros homines carminum dulcedine*

cedine eruditos concessisse in societates. Sed veritatem originum ego nunquam ab hac gente petierim; cui professionis suæ lege injunctum est, fictitia, aut similia veris comminisci. Mentiuntur Poëtæ; imponunt Oratores: tum maximè, ubi suæ disciplinæ quisque asserit Principatum. Ab ejusmodi auctoribus prolata non expectant refutationem: cui seriæ cogitationes exponuntur. ipsi quippe norunt, serò tandem post constitutas respublicas, & Oratoriam, & Musicam; sed illam imprimis, excultam.

IV. *Indigentia* rerum necessariarum impellere poterat homines ad colendas societates civiles. Ipsi sanè *sufficientiam* perfectissimæ societatum adscripsimus: quod in hâc multitudine singuli reperiant, quæ domi desiderabantur. Nec diffitear, segreges familias plures, hunc in modum compulsas, reliquis se associasse. Ut vero in universum statuam, indigentiam omnibus civitatibus dedisse ortum; à me hactenus nondum impetrare potui. Nam dispersos fuisse homines, & iterum congregatos, nunquam credidi. Frustra igitur soliciti sunt Politici de caussa congregationis, quæ nulla fuit: quam si fingamus, nihil magis accedet veritatis cognitioni. Finge tamen dispersos fuisse homines: caussa certè consociationis isto tempore non fuerit indigentia. Abundantissimi vixerunt mortalium antiquissimi. quod vastissimus orbis naturalibus desideriis satisfaceret: alias vero res, quibus luxus, aut civilis elegantia pretium fecit, simplicitas illius seculi ignoraret. colendis agris, pascendis pecoribus,

coribus, aut feris capiendis occupata. Redundabat inde, quod corpori alendo, tegendoque sufficeret. in regione scilicet pecoris, segetum, & fructuum feracissima. non expectante transmarina, quæ necessitati quotidianæ opponerentur. Seculum erat cætera horridum & incultum; sed suis contentum opibus. non appetens multi; & ideò nunquam egens alieni. Quamprimum, Rebuspublicis conditis, ad amœniorem ornatum, & plures, easdemque delicatiores elegantias, secuta tempora fuere traducta: tum demum plura cœperunt desiderari, quam quæ suppeditaret cujusque familia. Etenim ab agricultura & pastorali vita, ad alia studia dilapsis hominibus quærendum fuit aliunde, quicquid absumebat quotidiana indigentia: & retinentibus antiquum vitæ genus, necessaria quædam inducebant mores reliquorum politiorum, à quibus ne plane discreparent, eadem erant petenda. Sic orta commercia: quæ ut concinnius celebrari possent, non dubito, quasdam familias in conditas respublicas migrasse: omnium verò civitatum hanc primam fuisse originem, nolim affirmare. Quod multiplicatis etiam hominibus, & terris Regum auctoritate divisis, earum proventus tam abundè suffecerint, ut non adeò latè patentes campi, non cives tantum, sed numerosissimas Patriarcharum hospitum familias, quæ solæ civitatem ferè æquabant, aluerint.

V. Indigentiæ plures associant *Metum*, compellentem infirmiores in societatem plurium, ut tuti essent à grassatorum & latronũ insidiis,

atque injuriis. Cui fundamento nonnulli universam Politicam superstruunt, qui civitatis & Majestatis originem hinc repetunt: speciosa, sed minus solidâ ratiocinatione. *Æquales homines à naturâ omnes editos esse: sed ambitionem plures transversos rapere, ut hunc æqualitatis sensum exuant, & moratioribus, quibus modestia cordi est, violenti immineant; eos contumeliosis verbis lacessant, donec ad manum & ferrum veniatur. Hoc superbiæ ingenium cognitum esse modestioribus, & incutere diffidentiam perpetuam, quâ extrema servitutum ab inquietis expectent. Pariterque stimulos addere, cum nunquam suæ salutis certi sint, ut invadant ipsi sedentem, invasionem forte meditantem. Lacessito, naturali desiderio, quod jus vocatur, licere morti, ab occupatore inferendæ, resistere, & se immunem præstare ab insultu. Hunc statum esse naturæ, seu naturalis libertatis, & perpetui belli inter homines. Cui alimenta subministret Jus naturale, cujus efficacia quilibet jus habeat in res omnes, etiam in corpus & vitam alterius, ut pro lubitu quævis designare valeat. Rapinas in hoc statu primo naturæ licitas esse, ut & occupationes eorum, quibus diffidimus. Cæterùm cum hic status diuturnus non sit, & quilibet hominum lucrum suum quærat, & incommoda rapinarum declinet, in plurium consociationem dispersos, & omnium injuriis expositos, concessisse, & uni Potestati cogenti se concredidisse: postquam remiserant singuli de quacunq; re arbitriũ huic, ex communi pacto Imperanti.* Quæ omnia non operosam postulant subtilitatem ad sui refuta-

ſutationem. Æquales vixerunt homines, familiarum nimirum patres, multis ſeculis, ſine metu fictitiæ invaſionis. Ambitio, & ſuperbia ſerò afflixerunt humanam ætatem: nec illarum incunabula Rebuſpublicis priora crediderim; quod honor, ambitioſi bonum, propriam ſedem habeat, Civitatem conditam imperio, fonte illo omnis diverſitatis & diſtinctæ dignitatis. Ignorabatur in ſimplici gente politioris ſeculi vitium. & ſtimulos, tam efficaces, haud poterat relinquere in homine iſtud malum, cujus nec exemplum hactenus ſuppeditabatur, nec ſpes erat digni præmii conſequendi. Alexandrum agat ambitio, ut negotium faceſſat remotiſſimis populis, regnandi libidine impulſus: ſed quem guſtus Monarchicæ dulcedinis invitet. Inſolitum, & ignotum ambitionis nomen in primos illos paſtores & agricolas non cadebat. Laceſſere alios maledictis & ferro, non peſſimi tantum, ſed ſtolidiſſimi fuiſſet. Qualiverò laceſſitus non potuerit reſiſtere, & hunc nequiſſimum invaſorē merito afficere ſupplicio. nam præter mortem non habebat, quod quæreret, aut expectaret latro. Nec aſſequi adhuc dum potui, quæ ſatis valida cauſſa primis temporibus impuliſſet nefarios. Collectos forſan ab alio fructus, & conditos, ut eriperent, vix videbatur operæ pretium: cum procul dubio vulnera, & internecionem raptor haberet metuendam. abundante interim terrâ omni vitæ inſtrumento, quod jam proſtabat, aut quæri poterat ſine culpâ, ſine periculo. Vana igitur eſt diffidentia, gratis excogitata, quę ſi juſta

 fuiſſet,

fuiſſet, nullo tamen jure, alterum occupare, ob incertum metum, fuiſſet indultum. Jus enim naturale ad rapinas, & latrocinia allegare, à blaſphemia parum abeſt. Sanctiſſimam rem, & divinæ Juſtitię ideam, auctorem facere horrendiſſimorum ſcelerum, quid aliud eſt, quam Deum Opt. Max. ejuſdem culpę inſimulare. Nihil magis raptorem & latronem damnat, quàm hæc æterna lex, quæ neminem lædere, immutabili decreto ſancit: & cujuſque adeò manus, & mentem, à bonis ac corpore alterius abſtinet. Turpis fuerit inceptu Civitas, cujus hæc tam prodigioſè improba origo; & neceſſario in deformem clauſulam deſitura.

VI. Nos civitatem productam Naturæ munus vocabimus. non aliter ac ſupra familiam, & ſimplices ſocietates primas, deduximus inde. ita hanc quoque pleniorem multitudinem à naturâ congregatam aſſerimus. Diſperſos unquam ſeceſſiſſe in ſolitudines & ſylvas, & ad ferarum iſtar vagam degiſſe vitam, commentum eſſe, jam monuimus: cujus cauſſas ideò inquirere nihil attinet. Continebat primos parentes conjugalis amor: natos parentum tenerimus affectus. Inde familia. quæ multitudine ſobolis abundans, & quotidianis auctibus creſcens, novas colonias deducebat, donec civitati ſufficeret. Pręſtabat id omne ſocietatis ingenitus amor, qui conſanguineorum cohabitatione incrementum capiebat. Vidit hoc *Philoſophus*, qui propterea hominem animal Politicum, ſeu ſociabile appellat, ac propter naturam illam

poli-

politicam, omnibus congregativis animantibus anteponit, & integram civitatem ideò *naturâ constare* affirmat. Hoc est, naturam hominibus indidisse impulsum & appetitum civilem, ad communem vitæ consuetudinem: qui impetus nascendi ordine, & Necessariorum conversatione confirmatur. Ut instinctum naturæ in socianda civitate adstruat ARISTOTELES l. 1. Pol. c. II. duplici argumento utitur, *à facultate loquendi* alterum, alterum *à discrimine justi & injusti* sumit. Naturam nihil frustra indidisse: cuique facultati suos fines assignatos esse. jam verò homini loquendi potentiam concessam: quæ socium postulat, cui loquaris; cui utilia & noxia sermone ostendas. Solitario quippe meditatio & contemplatio tacita sufficiebat. Sic discrimen justi & injusti, ne alteri noceamus, apertè illum alterum præsupponit, cui tàm anxiè cavet innatum lumen; & severè sancit, ne contubernio, aut commercio aliquo sociatum, defraudemus & circumscribamus. Dum hunc in modum præclarissima duo instrumenta, & regulas ordinandæ societatis largita homini natura est; quorum usus extra conjunctionem plurium esset nullus; jam planè scimus, eandem istam ducem esse, quæ mortales invicem sibi ac mutuò conciliet, contineat, & primâ generandi sorte commendet, atque in mansuram societatem mittat. Non est, quod audiamus societatis naturalem appetitum inficiantes, eò colore, quod omnes se invicem non æquè ament; sed multo plures odiis & inimicitiis infestent, & ideò

ſibi caveant omnes, prudenti diffidentia, in ipſa etiam civitate. Nam ſi vel maximè odiū & diffidentia inter homines verſetur; id tamen civitatis cauſſa fieri haud dicetur. Oderint aliqui ſibi diſplicentes: diverſitas morum, & vitæ haud laudabile genus, animos divellet. id nunquam conficietur, cohabitatione, & naturali multiplicatione civitates non cœpiſſe. Neque odium illud perpetuum eſt. nam omnes invicem, ut hoſtes, componere; ſatis violentum eſt, cui experientia & veritas hiſtoriæ reclamat. Quid ſi contrarium amorem in plurimis objiceremus? Pauciſſimos, qui læſerunt nos, odio proſequimur: reliquis omnibus favemus, vel ſaltem non iraſcimur. quo benevolo affectu, ſatis late patente, haud difficulter cognationem illam naturæ probaveris. Quæ poſtmodum plures, poſtpoſitâ lucri cupiditate, retinet, & ſtimulat, ut ſe ſuaque omnia publico deſtinent; privatasque fortunas poſt incolumitatem omnium ponant. Nec fingi poteſt omnium tam depreſſus animus, qui turpis lucri ſordibus optet attaminari. Verbo autem id monendum eſt, *cauſſam civitatis, non eſſe cauſſam Reipublicæ.* Homo, quamvis ad politicam ſocietatem colendam feratur, non ſtatim eadem inclinatione imperio ſuperioris civili ſe ſubjecit; nec imperium eâdem operâ cum civitate ſurgit. Gaudet ſocietate homo, & converſatione commodâ delectatur: ſed imperium alterius hominis, inſitâ ferociâ, indignè fert, aut detrectat. Hinc recipi poſſet in hunc ſenſum illa aſſertio, quæ affirmat, libertatem

tem

tem naturalem facultatem esse. hoc est, hominem, quem natura, sibi relicta, sine servitute producit, hoc jugum, qua potest, declinare. Ideò verò quàm maximè negamus, naturâ Rempublicam constitui: quòd hanc *Imperium Majestaticum* ordinet. quod nullus appetitus, nulla inclinatio naturalis, apta est producere.

VII. De ordine Civitatis, & simpliciorum societatum, dubium injicit ARISTOTELES, ponens id paradoxum, 1 *Polit.* 2. *Civitas naturâ prior est familia, & unoquoque nostrum.* Rationem hanc adjicit: *Totum enim parte prius esse necessum est: nam si homo, qui totum quiddam est, intereat, neque pes, neque manus erit, nisi ex communione nominis, non rationis.* Alias *naturâ prior* dicitur caussa effectu, qui eam continuò circumstat & insequitur. quod videre est in solis lumine, quod simul cum sua caussâ exstitit, licet illa naturaliter præcedat. Quod si hac notione prior esset civitas, & familias essendi naturali ordine præcederet; frustra & falsi essemus, qui supra primam, & simplicissimam societatem asseruimus nuptialem. Minores quoque societates essent effectus civitatis, non hujus partes integrantes. Sit aliquod totum prius suis partibus, vel potius, simul ex iisdem coëxistat: dabitur nihilominus, quod partes constituentes præsupponat. maximè quod ex successivis componitur, & quæ separatim quid constituunt. Fundamentum universo ædificio prius est. destructo tecto, non quidem amplius totum manet,

benè

benè tamen parietes, & molis totius basis. Eversâ civitate quidni superesse possint dispersæ familiæ? Restabunt separatæ domus, licet civitatis partes non sint. Alio igitur, & minus usitato loquendi modo, *priorem naturâ* vocavit civitatem; ut hanc intelligeret *perfectione potiorem* familiâ. Nam & VIII. *Physic.* & I. *Metaphys.* istam formulam posuit: *Quod ortu est prius, id natura*, id est, *perfectione, est posterius.* Hac explicatione tolerabitur assertio. Nam perfectio, & copiæ abundantia indicant veram civitatem: quare de civitatis naturâ & definitione est sufficientia. Manet ergo *prioritas temporis* in familiis, *perfectionis dignitas* in Civitate. ad quam constituendam familiæ, & societates simplices requiruntur, secundum superius allata. Interim nemini auctor esse cupiam, ut ambiguis illis scribendi generibus, studio quæsitis, in materiâ satis difficili, & quæ accuratissimâ perspicuitate amat tradi, utatur. quòd his, ab usu communi remotis phrasibus, nimium quantum intricatior fiat. Alia quoque ratiocinatione succurri potest asserenti, Civitatem naturâ priorem esse familiâ. Nimirum ad familiam constituendam ex vulgatâ, & forsan Aristotelis quoque opinione, requiritur servus: Servitutem autem constitutam esse Jure gentium, hoc est, *consuetudine populorum*, sub republicâ viventium, fatentur eruditi. Eo jure, quo administrata sunt bella, geri solita ab integris gentibus, Majestate instructis. Ita igitur obtinuit, postquam civium multitudines in Reipubl. formam successerant, ut constituti Re-

ctores

ctores bella gererent, caperent hostes, efficerent servos, quos donabant civitati subditæ, ut capiens victor familiam sibi constitueret. Ita demum familia post civitatem. Sed ejusmodi ambagibus non opus habemus, si paradoxa omittimus.

LIBER SECUNDUS

DE

Republica Monarchica.

CAPUT I.

DE CAUSSA MAJESTATIS.

I. *Definitio Reipublicæ.*
II. *De vocabulo* Majestatis.
III. *Definitio* Majestatis.
IV. *Deum caussam esse Majestatis, probat* Constitutio honorifica, *&* Conservatio;
V. Temperamentum vicinorum Regum:
VI. Pœna *Tyrannorum, & Subditorum.*
VII. Testimonia *Doctorum:*
VIII. *Sacrarum Litterarum:*
IX. Politica Demonstratio.
X. *Deus est immediata caussa Majestatis.*
XI. *Non obstante Electione.*
XII. *Rex vicarius Dei, paris potestatis, non habet superiorem in Civitate.*
XIII. *Majestatis caussa non sunt bella.*
XIV. *Majestas non producitur à* Natura;

XV. *Nec*

XV. *Nec jure* Naturali, *Gentium*, *aut civili.*
XVI. *Ex indigentiâ non prodiit imperium.*
XVII. *Majestatem nec* miles, *nec* populus *dat.*
XVIII. *Multitudo eam non habet* naturaliter.
XIX. *Pacto non transfertur.*
XX. *Cæsar, Reges creans, an tribuat?*
XXI. *An mutatio Politiæ, & Cessio Imperii?*



HActenus de Civitate, *materialiter consideratâ*, seu *Multitudine*: in *formali* consideratione altera pars constitutiva est RESPUBLICA. Quam per *cœtum* & *multitudinem* non describemus: quod sit *familiarum, rerumque inter ipsas communium, summâ potestate ac ratione moderata multitudo.* Nam *multitudo*, sive *cœtus*, quem societas includit & denotat, Civitatis, materialiter acceptæ, & Reipubl. contradistinctæ, genus est. Illa dum subjecti vices sustinet, non potest accidentis sui genus esse. Perpetuum quippe est, ut subjectum, in descriptione accidentis, nunquam induat generis rationem: cum distinctissimam habeat indolem, & quæ de accidente describendo neutiquam pronuncietur. Si dicant, *ita describendam esse Remp. ut Subjectum simul complectatur; idque in præsenti quæsitum esse, ut moderata multitudo simul materiam ac formam demonstret:* respondebo, id obtineri aliâ potuisse ratione, modò ipsa Materia, seu subjectum, loco generis non poneretur. & vel potius per *moderationem*, (quod vocabulum tamen generalius est, quam ut huc congruat) finienda

enda erat. Et malè integrum objectum hîc describas. Minus concedenda descriptio, quâ Resp. dicitur *Corpus multorum ad agnoscendam ejusdem imperii Majestatem, iisdem legibus, omnium & singulorum utilitatis caussa imbutum.* Generis enim loco verba figurata & impropria habet; quæ à definitionibus abesse debent. Angustior deinde est, quàm quæ definiti latitudinem exhauriat; cum Rempubl. corruptam non includat; & de *dominatu*, non injusto imperii genere, minimè possit prædicari. Nec enim despotica, nec tyrannica Resp. singulorum bona attendit. Breviter dicimus; *Respublica est ordo universæ civitatis, Regimine publico introductus. Ordinem* vocamus, qui naturam Reip. accuratè explicat: quod omnes actiones civiles ab uno principio summo dirigantur, quod ordinis est; in multitudine vero inordinatâ, mera confusio deprehendatur. Restringimus latiorem hunc terminum ordinis, & aptamus *civitati:* ut proprium quid, & ab aliis ordinibus, extra civitatem consistentibus, separatum habeamus. Ita commodè *subjectum* differentiam juvat, per quam determinetur genus accidentis. addimus *universæ civitatis*, ut particularem alicujus urbis administrationem, cum Republicâ ne confundamus, quæ per omnem ambitum subjacentis teritorii expanditur. Et quum pacta cohabitantium civium, in multitudine materiali, aliquem ordinem introducere queant, qui interim Rempublicam verã non designat; ordinis publici formalẽ, ac principalẽ caussam adjecimus, regimen publicum. quô posito

posito, continuò ponitur respectus regentis & parentis, non desiturus priusquam Respublica recesserit à corpore civili. Respublica igitur constat duabus partibus, *Regente* & *Parente*; quæ integrum hoc civile corpus componunt. Altera principalis pars, animæ ac spiritus vicem supplet: altera inferior, subit conditionem materiæ, quam animalis illa regiminis vis permeat, omnes infusa per artus. Excellentius quidem momentum atque discrimen civili societati ab imperantium parte accedit; quod omnis constitutio, atque distinctio Rerumpublicarum, à *Regimine publico* petenda sit: æquali tamen necessitate in republicâ formandâ concurrunt parentes cives. Altera pars sublimior est; altera inferior: utraque necessaria. Nunquam obtinebimus Reipublicæ ordinem, absque alterutrâ si fuerit. Deme regentes; multitudinem habebis, & civitatem confusam, non Rempublicam: absque obtemperantibus, ne intelligi quidem possunt imperantes. Adeò necessum est, ut sit illa quasi corporea moles, quæ excipiat impetum moventis spiritus, & mentis rectricis agitationem. Utramque igitur partem in sequentibus introspiciemus.

II. Cæterùm cum Respublica non habeat ejusdem naturæ Species, quæ participent æqualiter de natura generis: non possumus universalem conceptum de partibus, singulis speciebus communem, hic adducere. Quilibet enim experiendo videbit, diversissimum esse in singulis speciebus imperium, atque obsequium. Quare præmissâ brevi hâc delineatione Rei-

publicæ

publicæ in genere, quod regentibus & parentibus absolvatur: continuò nos vertimus ad species. Quarum duas reperimus, MONARCHIAM, seu Regnum; & REMPUBLICAM LIBERAM. MONARCHIA est Resp. in qua Rex imperat subditis. Monarchia similiter duobus absolvitur, Rege & subditis. REX est qui habet Majestatem. Hoc enim augustum illud vocabulum est, quod Imperantem, & universam regiam Rempublicam implet ac format. Non hîc vagabimur per *Criticorum* campos, aut prolixè conquiremus ęquipollentia vocabula. quod apud Gręcos variis titulis appelletur: apud Latinos quoque *Imperium Summum*, aut *Summa Reipubl.* audiat. Nec refert etiam in ipsam vocem Majestatis inquisivisse, & ejus primas origines. Uti eruditorum nonnulli à *magnitudine*, congruentiam rei, non litterarum cognatam deductionem advertentes, dictam putent. Alii quasi *Majorem Statum*, allusionem quęrèntes, statuant: unde *Majoria* usitata aliquibus. Item, quod à voce *Majus*, qui derivent, inveniantur: sicut à *tempus*, *tempestas*. quæ sententia speciosam caussam habet, si exempla ab simili deducta, neminem fefellissent. Veritati, & dignitati rei vehementer congruet, si asseras, originalem vocem esse, non aliunde mutuantem suam originem. Sed de hoc viderint eruditi. Magis est, ut circa significationem genuinam laboremus. *Majestatis* vocabulum, quoties in auctoribus legitur, non semper eandem retinere significationem, certissimum est. In genere *omne amplum*, *splendidum*,

didum & *magnificum*, notatur hac voce. In hunc sensum eô nomine MARCUM TULLIUM usum dixeris, ubi Majestatem finit *dignitatem & amplitudinem Populi Romani*. Idem Auctor sublimitatem, & gravitatem orationis isto elogio dignatus est, de Amicitia: *Quanta illi fuit gravitas, quanta in oratione* Majestas? Communiter obtinuit, ut eâ voce *auctoritas*, & externa quædam amplitudo, quæ admirationem, aut amorem gignere consuevit, intelligatur. quodque in privato homine magnificentia, aut splendor diceretur, in publicâ personâ Principis, Majestatis titulum sortiatur. Putet aliquis figuram subesse, quæ effectum loco caussæ ponit. Quo significatu usus videtur TACITUS I. *Ann.* c. XLII. *Non mihi uxor aut filius patre & republica cariores sunt: sed illum quidem sua* Majestas, *Imperium Romanum ceteri exercitus defendunt*. Et cap. XLVII. *at per filios pariter adiri* (exercitus) Majestate *salva, cui major è longinquo reverentia*. VALERIUS quoq; MAXIMUS idem sentit, cum ista scriberet *lib.* II. c. X. *in princ. Est & illa quasi privata censura*, Majestas *clarorum virorum, sine tribunalium fastigio, sine apparitorum ministerio, potens in sua amplitudine obtinenda. Grato enim & jucundo intuitu animis hominum illabitur, admirationis prætexta velata: quam rectè quis dixerit longum & beatum honorem esse sine honore*. id est, perpetuum magistratum, extra magistratus officium. Similiter intellectam vocem reperimus apud OVIDIUM, ubi Majestatem, tanquam Deam aliquam introducit, cjusque

ejusque ortum ingeniosissimè delineat, v. *Fa-stor.* ita canens.

Donec HONOR, *placidoque decens* REVERENTIA *vultu*,
Corpora legitimis composuere thoris.
Hinc sata MAIESTAS, *quæ mundum temperat omnem.*

Latinorum ergo illa acceptio est: quam Politicorum plurimi sequuntur, ubi de Majestate Principis præcepta sua proponunt. Neutiquam enim intellectum volunt absolutum illud imperium: sed splendorem potius, & famam, & honorificam de Principe subditorum aliorumque opinionem. Cujus vis cum maxima sit, & grande momentum ad benè gerendas res afferat: non negligendam putarunt ejus doctrinam civilium Doctores; sed inquirendum potius, qua ratione comparetur, quâ conservetur pariter. Quando JUSTUS LIPSIUS suum Principem format, inter cæteras virtutes *Comitatem* quoque requirit: quam tamen eximiè attemperat, ne in contemptum abeat nimia familiaritas, sed *Majestati* simul locus sit. Hanc describit *lib.* II. *Civilis Doctrinæ. cap.* XVI. *est reverenda quædam amplitudo, ob meritum virtutis aut rerum affinium.* Pergit: *Græcis ea* Σεμνότης *dicta: nobis in privato auctoritas, in Principe* Majestas. Et *lib.* IV. *cap.* IX. eandem uberrimè persequitur, iisdemque sensibus exponit. *Auctoritas est impressa subditis, sive & exteris opinio reve-*

reverens de rege ejusque statu. Constat ex admiratione & metu, cujus utriusque temperies, sive Mixtio, facit hanc virtutem. Ejus parandæ viam diligentissime ibi monstrat. Quæ descriptiones, & explicationes adjectæ, satis evincunt, eruditissimum virum *Majestatis* nomen confusè non accipere in eâ significatione, quâ alias Politici, ubi summam potestatem civilem explicant, utuntur. Quod si in præsenti argumento, quod imperium summum tractat, ALBERGATUS aliquis Majestatem, contra BODINUM, in meritorum amplitudine, & consequente inde auctoritate, reponeret; merito rejiceremus incivilem opinionem: jam ubi præmissâ vocis acceptione, auctoritatem Principis tradunt Politici, non arcebimus eosdem à permissâ Latinis usurpatione vocis Majestatis.

III. Nos hîc loci *per conceptum imperii* describimus, hunc in modum. MAIESTAS *est summa potestas in civitatem ubique. Potestatem* vocamus; quia imperium & potestatem sapit, quodcunque in Majestate reperitur. Latior interim, atque prolixior est Potestatis significatio, & datur tam in civitate, quam extra civitatis constitutionem. Extra civitatem imperia dantur paterna, maritalia, quæ in suo genere summa sunt. In Civitate quoque reperiuntur potestates mediæ, magistratibus propriæ, quæ ab summâ profluunt atque dependent. ut excludantur ergo utraque imperia, determinamus Majestatem ad certam materiam, seu subjectum, *Civitatem* nimirum. Competat patri & marito aliqua summa potestas; sed in fami-

familiam, non civitatem: competat magistratibus in civitate aliqua poteſtas; ſed ea non eſt ſumma. Summa igitur in civitatem Poteſtas domeſticum Majeſtatis nomen eſt. Signanter autem vocamus poteſtatem, non ſaltem in civitate, ſed in civitatem. Civitas enim non tam eſt ſubjectum recipiens, quam objectum patiens, quod excipit actionem negotioſæ Majeſtatis. quæ ipſa extra ſubjectionem ponitur, cuncta ſub imperium accipit, & nihil relinquit, quod ſub jugum obedientiæ non redigat. Quare illud, UBIQUE, adjicitur, ut omnia, & univerſa intelligantur appoſita, quæ facultati civili adhærere ſolent: & nihil eximatur, quod integritatem ejus concernit. Summum rerum omnium judicium à Deo accepit, ut poſſit de quolibet negotio civili, de qualibet actione publicâ cognoſcere, & quid factum velit, quidve omiſſum, efficaci decreto ſtatuere, atque determinare. Subjacent ejus arbitrio ſingula & omnia civitatis. Procurat divina, ordinat humana; diſponit ſacra, moderatur profanis: privata ac publica ſuo jure complectitur. Ita diffundit ſe per omnia ea Poteſtas, & valet ubique: idque ſine provocatione ad aliud tribunal, quam Majeſtatis ſummum judicium excludit. Quæ ſingula quanta ſint, in explicatione partium clariſſimè patebit. Quamquam autem continuò partes illas ſubjicere, & de Poteſtatibus, quæ ſummum imperiûm conſtituunt, ſingulatim agere poteramus; quod natura Majeſtatis per definitionem generaliter cognita, commodiſſimè, ac pleniſſimè

ſimè tradatur in partium quarumlibet declaratione: nihilominus, cum omnium ferè Facultatum civilium robur ac firmamentum in Cauſſa Majeſtatis, & communicatione divina, reconditum ſit; illa verò contextum Majeſtatis, tanquam extraneum, & forinſecus ſubſiſtens principium, non ingrediatur: pauliſper illas internas partes ſeponemus, donec de Efficiente Majeſtatis diſpexerimus. Ita enim in ſequentibus tractabimus explanationem Majeſtatis, ut conſideremus ejus Cauſſam, Jura, Modos Acquirendi & Habendi; tum Diviſionem, atque Subjectum. facto initio, ut diximus, de Cauſſâ.

III. Miſſis aliorum de *Cauſſâ Majeſtatis* opinionibus, quas infra excuſſas rejiciemus; noſtram ſententiam, ſolidis fundamentis firmatam, proponemus. *Majeſtatis* igitur *Cauſſam* unicam laudare DEUM, perpetuo nobis certum eſt: & conſecrare illius originem, & ad omnipotentem referre Auctorem, obſtinatum ſedet, ac fixum manet. Tantæ enim dignationis eſt ſummum iſtud inter homines imperium, ut non niſi ſummam agnoſcat cauſſam. Idque tot argumenta docent, quibus facilè adſentiatur veri ſtudioſus animus. Opilio aliquis, & aratro imminens agricola, ſubito in regem ſumtus, auctoritate & ſplendore à Deo circumdatus, in præſentiſſimis periculis ſervatus, nec humanâ tamen ope; cujus ingenium pacificum, aut bellicoſum, pro conditione vicini, plerumque temperat Deus; tum tyrannorum excidia, & ſubditorum inobedientia, caſtigata à Tyrannis

nis; gentiles quoque homines in consensum egerunt, à Deo Imperia concedi Regibus. Christianis verò Orthodoxis religio semper fuit de hoc dubitare: cum cœlestis veritatis oracula id sine involucris, disertis & conceptis verbis asserant. Quæ omnia quanta sint, apertius paulo diducamus. Frequens illa, tantum non miraculosa constitutio regum, illustri documento fuerit; non posse concedi imperium ab alio, præterquam illo, qui tenuem & abjectum in principum virorum dignationem evehere unus potest & assolet. Quam sæpè rustici, pastores, gregarii milites, captivi, fugitivi, non sensim & per gradus; sed subito in sublime tribunal, à Divino Numine collocati sunt? Quis credat, probum illum, & ob id pauperem Abdolominum temerè accepisse regnum? Egregie enim falletur, & caussæ sublimitatem non assequetur, qui squaloris illuviem, & rusticas sordes, mutatas cum regali cultu, adscribat beneficio designantium Juvenum, aut ipsius Alexandri gratiæ. de quo CURTIUS *lib.* IV. c. I. Nec saltem opus DEI est, quoties viri boni, aliquis *David* opilio, in Israëliticum, aut *Piastus*, apum culturâ vitam tolerans, in Poloniæ regem legitur: non minus dextram Numinis deprehendimus, quoties machinamenta homines improbos, grassatores, in id fastigium videntur evehere. Sic *Timur Chan*, quem *Temerlenc*, & *Tamerlanem* vocant, obscurissimo loco, ignobili patre prognatus, infami rapinarum studio tantum notus, & ob id jam destinatus cruci; postquam evaserat supplicium,

imperium occupavit. Malis quidem artibus: non sine permissu tamen, concessuve divino. Plurima hæc talia in historia veteri & recenti; sacra & profanâ: quæ interventum Numinis luculenter probant. Fallor, aut proximis annis *Britannia* idem docuit, cujus incolæ perduellium furori permiserant optimum Regem, infami morte, nihil mali meritum, trucidandum: filium, heredem regni, omni spe imperii exuendum. Nec poterant extorrem principem tot prælia, cum perduellibus commissa, in regnum asserere, aut ab exilio decennali vendicare. Mox versis hominum animis, sine cæde, sine sanguine, sine tumultu, communi applausu recipitur, & paternis atque avitis regnis potitur. Ut constaret, restituere ejectum principem; Dei esse beneficium, non efficaciam belli & armorum. Constituto, & ex obscuro in lucem ac splendorem producto regi, tam efficacem auctoritatem circumfundit Deus, quæ in subditorum animis admirationem & venerationem gignit, concordiæ & tranquillitatis publicæ haud contemnendum vinculum. Simul atque purpurâ conspicui sunt Principes, augustiores omnibus apparent: & insinuant tantam venerationem suæ Majestatis multitudini, ut quilibet etiam prudentior, cui externa non temerè imponunt, sentiat, non opinionem esse vulgi, aut superstitiosum imperitorum errorem; sed actuosam ex occulto vim, quæ reverentiâ suspiciendos reges, & honore propitiandos esse, doceat. Quam frequenter solus conspectus Principis nefariorum hominum scelera cohibuit?

buit? quàm sæpissimè ejus præsentia, vel inermis, & gravior oratio, tumultuantibus exercitibus ferrum excussit? Ut signanter admodùm apud TACITUM scriptum putem; *Principem Majestate sua defendi.* Nondum à me impetrare possum, ut credam, barbaros & ferocissimos Orientis populos, suâ sponte, tàm reverenter sensisse de Regibus suis, ut proni colerent Majestatem, & servili subjectione exsequerentur mandata. Visus sum mihi deprehendere in immani pectore vestigia superioris & penetrabilis potestatis, incutientis eum timorem, eam reverentiam, quâ prosequuntur, rudes etiam animæ, Dei Vicarium. Quod David prædicat, quando sibi populum suum à Deo subjici, fatetur, Psal. CXLIV. 2. His cohæret Principum incolumitas, quam solicitâ curâ DEUS conservat, & inviolabilem præstat: ut palàm agnoscant homines, Domino suum opus cordi esse. Tuetur à maleficis sceptra, & contra insidiarum secreta, & instantia pericula monet, protegit, & quævis nocitura repellit. Plerumque præsagientibus illa regibus ipsis, quibus divinatio imminentis mali à Deo immittitur: ut maturè prospiciant sibi, & pestem evitent. Verissimum quippe illud APOLLONII *Presbyteri lib. I. Excid. Hierosf.*

Sunt maxima cordi
Regna Deo, donatque aliquid plus ille Tyrannis
Consilii, quàm privatâ sit mente repostum.

Nec abludit, quod GUNTHERus notanter scribit de insidiis, Cæsari Friderico structis, *lib. IV. Ligur.*

 Non

Non tamen occulti potuerunt fallere regem
Instrumenta doli: cœlestia pectora *sanè*
Nil transire potest.

Quomodo solertissimâ, & planè divinâ conjecturâ cladem à se, & proceribus suis, JACOBUS, Britanniarum Rex averterit, cum parricidæ, non unâ morte interimendi, Curiam Parlamenti, cum præcipuâ parte civitatis, pulvere tormentario corrumpere laborarent, videri potest JOAN. BARCLAjus, in *Conspiratione Anglicana.* Non ingrediar latissimum, qui se pandit, campum, ostendendo quomodo pericula, regali vertici jam admota, & omne incommodaturum huic dignitati divina Providentia declinet: id saltem breviter innuere liceat, reges abundè malos & impios, à periculis incolumes egisse sub tutelâ Majestatis. Benè Theodorus GRASWINCKEL, in dissert. de Jur. Majest c. 1. Reges etiam propalam improbos, & populorum tormenta, sanguisugas, hoc ipso nomine tutatus est Deus, quod Reges essent.

V. Non alienum est à nostro argumento, quod ad probandam divinam circa regna & reges providentiam, de *Moderamine regnorum*, & Principum temperamento, ex *Nicephoro Gregora* observant Politici. Scilicet, quoties supremus hominum Rector civitates diversas simul consistere voluit, ejusmodi ingenia, animos, vires Principibus dispensat, qualia destinationi suæ apta sunt. *Aut enim utrique regno*, inquit *Auctor, magnanimos ac industrios rectores conciliat ac præponit, ut mutuo oppositu alter alterius molitiones evertat, ac inefficaces reddat,*

atque

atque ita securitas nationibus ac locis conservetur; aut utrobique præsides imponit, nec animo acres, nec opibus validos, ut neuter adversus alterum aliquid movere, aut plus ultra ire, veteresque imperiorum limites convellere queat. Videatur omnino in hanc rem PAULUS PARUTA *in Discurs. Polit.* ubi CAROLI V. gloriosissimi Imperatoris virtutem, cum vicinorum, *Galli* & *Turci* fortitudine, componit, & civiliter examinat.

VI. Adhæc *pœna*, quæ infelicem hujus Caussæ ignorantiam, aut contemtum manet, satis nos de Auctore potest erudire. Reus est aliquando rex; aliquando subditus. Reges non infrequenter perduelles evadunt, dum se accepisse imperium cœlitus, arrogantissimâ impietate dissimulant; idque potius suis meritis, opibus, ingeniis stolidè imputant. Hi tales dignum suâ culpâ supplicium subeunt, quando gravissimo lapsu ruunt deturbati a solio, quod ingratissimi possidebant. Non raro exuuntur regali axiomate Principes, validi opibus, & omni copiâ muniti, à contemnendis adversariis. Ut manu prendant reliqui divinam vindictam. CORNELIUS NEPOS de *Dione* hæc scribit *in ejus vita: Dion, fretus non tam suis copiis, quàm odio tyranni, maximo animo duabus onerariis navibus, profectus oppugnatum, quod omnibus gentibus admirabile est visum, adeò facile perculit, ut post diem tertium, quàm Siciliam attigerat, Syracusas introiret.* Depulsus suo gradu Dionysius, eò redactus fuit, ut cum sceptro ferulam commutare habuerit necessum.

cessum. Alios capitale supplicium depressit: & sæpius obtinuit, quod *Poëta* cecinit:

Ad generum Cereris sine cæde & sanguine pauci
Descendunt reges, & sicca morte tyranni.

Tales exauctorationes, à Deo profectæ, non obscurè ad veram originem nos dimittunt, ut agnoscatur illud:

Reges in ipsos imperium est Iovis.

Et istud *Tragici*:

Omne sub regno graviore regnum est.

Ex alterâ parte, quando populus vel clementem ac moderatum aspernatur Principem, vel criminibus aliis divinam provocat vindictam: plerumque Tyranni sævitiæ & rapinis permittitur. Hæc illa pœna est, qua prævaricantis populi contumacia castigari solet. Præfigurarunt id veteres in fabulâ de Jove, ranis, petentibus regem, post spretam & contemptim habitam Trabem, imponente Ciconiam. Et confirmant plures, in Sacris occurrentes prædictiones, de submovendis cordatis Principibus; & in eorum locum restituendis hypocritis, imprudentibus, meticulosis, & qui præter nomen, nihil habeant regium. Sub quibus ingemiscat plebs, malitiam tyranni experta. Accommodatè ad ipsam rem disserit *Cerealis* apud TACITUM, *Hist.* IV. *c.* 7. *n.* 4. tyrannos naturæ malis, à Deo immissis, accensens. *Quomodo sterilitatem, aut nimios imbres, & cætera* naturę mala; *ita luxum & avaritiam dominantium tolerate.* Britanniæ insaniam, trucidantis optimum Principem, & solâ lenitate & beni-

benignitate peccantem, ab egregio libertatis assertore Cromwello satis punitam, omnes novimus. Interim quando dicimus, Tyrannos immitti à Deo; cautio adhibenda est, ne officium cum vitio confundamus. Habet Tyrannus potestatem à Deo: crudelitatem, raptorem animum, & reliqua scelera, ex suo adjungit: quorum impulsu commissa potestate pessimè abutitur.

VII. Hæc omnia cum attenderent homines, facilè deprehendebant Caussam Majestatis, DEUM: quam communis populorum consensus approbabat.. Nam enunciatum hoc adeò sanæ rationi apertum est, ut ipsi gentiles homines de certitudine ejus vix ausi fuerint dubitare. HOMERUS sanè ad descriptionem regis id pertinere arbitratus est, quem ita delineat; *Cui dedit filius sagacis Saturni Sceptrum.* Nihil adulationis habet ingenua & animosa *M. Terentii*, equitis Romani, oratio, & de origine Tiberianæ potestatis pragmaticum judicium, apud *Tacit.* VI. *Annal. c.* 8. *n.* 5. *Tibi summum rerum judicium Dii dedere: nobis obsequii gloria relicta est.* De Tito hoc habet SUETONIUS, cap. IX. *Duos patricii generis, convictos in affectatione imperii, nihil amplius, quam ut desisterent monuit, dicens*, PRINCIPATUM FATO DARI. Verissima sententia, & digna principali fastigio notitia. PLINIUS *in Panegyrico Trajani: Principem dat Deus, qui erga omne hominum genus vice sua fungatur.* Plura passim legentibus occurrunt: & cumularunt multa Auctores, in hac materiâ occupati. Apud Christianos

nos constantissimè id creditum est semper, ex præscripto scilicet Sacrarum litterarum. TERTULLIANI, *Apologet. contr. gent.* c. XVIII. ista sunt: *Videte ne ille regna dispenset, cujus est & orbis, qui regnatur & homo ipse qui regnat: ne ille vices dominationum ipsis temporibus in seculo ordinarit, qui ante omne tempus fuit: ne ille civitates tollat aut deprimat, sub quo fuit aliquando sine civitatibus genus humanum.* Et iterum: *Inde est Imperator, unde & homo, antequam Imperator: inde potestas illi, unde & spiritus, testante scilicet* Apostolo, *nullam esse potestatem nisi à Deo.* Quod in sequenti XXX. *cap.* latius deducit: *Sciunt Imperatores, quis illis dederit imperium, sciunt qua homines, quis & animam. Sentiunt enim Deum esse solum, in cujus solius potestate sunt, à quo sunt secundi, post quem primi.* AUGUSTINUS id prolixà disputatione ostendit, *lib.* V. *de civit. Dei*, c. XXI, concludens tandem ita. *Quæ cum ita sint, non tribuamus dandi regni atque imperii potestatem, nisi Deo vero, qui dat felicitatem in regno cœlorum solis piis: regnum vero terrenum & piis, & impiis, sicut ei placet, cui nihil injustè placet.* Eximia sunt, quæ magnanimus ille FRIDERICUS I. Imperator, apud GUNTHERUM in hanc caussam proloquitur. *lib.* VI. *ligur. vers.* 612.

hujus collatio regni
Auctorem sortita DEUM, *contingere nulli,*
Iure potest hominum: collator muneris hujus
Est DEUS: *hoc summis regnum confertur ab astris.*

VIII. Omnia

VIII. Omnia hæc & singula corroborantur amplius *Sacræ Scripturæ testimoniis*, cui contradicere nefas erit. Unum hoc testimonium divinum, citra metum falsi, in propriâ quoque caussâ prolatum, suspiciendum est: cujus veritati nemo denegabit fidem, nisi impius & atheus. Clarissima autem illa sunt. *Per me*, inquit Divina Sapientia, DEUS Opt. Max. *Prov.* VIII. 15. *reges regnant, & legum conditores decernunt justa: Per me Principes imperant, & potentes judicant terram.* Ita Deum mutare tempora & ætates; transferre regna & constituere, DANIEL testatur. *Idem* Nabuchodonosorem Regem Regum appellat, hâc adjectione: *cui Deus cœlitus regna, potentiam, opes, atque honores dedit. c.* II. *vers.* 37. Repetit eandem formulam coram Belsazare cap. V. 18. Ipsa divina vox Nabuchodonosori, jactanti potentiam suam, prædicit exitium, & exactionem ob mentis è sedibus suis dimotionem, hac fini; *ut agnoscat in Altissimi manibus posita esse regna, & pro illius arbitrio dispensari potestates regales. A Domino potestas data est vobis*, inquit SAPIENS, cap. VI. 4. *& Majestas ab Altissimo, qui interrogabit de administratione vestra.* Et SYRACIDÆ scitum est: *Unicuique genti præposuit Rectorem, sed Israel portio ejus peculiaris facta est.* cap. XVII. 18. In Novo Instrumento hanc propositionem luculentissimè deducit *Gentium Doctor*, & suis Romanis ex professo declarat cap. XIII. *Non est potestas nisi à Deo: quæ verò sunt potestates, à Deo sunt.* Huc pertinent *Divinæ Prædictiones*, cum efficaci con-

 stitutionis

ſtitutionis, aut dejectionis actu conjunctę. Quales in Saule, Davide, Salomone, Haſaële, Jehu, obſervare licet. Promittebatur his regnum à Domino, & ab ipſo conferebatur, abſque alterius interventu. Nam *Sors*, & *unctores Prophetæ*, aut *Prophetæ famulus*, inſtrumenta erant, voluntatem divinam declarantia. Exactionem, quâ liberi regii à ſucceſſione arcebantur, prius reſcivit Saul, quàm ſenſit. Salomoni nunciabatur quoque ablatio ſceptri Iſraëlitici, quo exuendus erat filius Rehabeam: eamque defectionem ſe auctore exſtitiſſe, DEUS affirmat 1 *Reg*. XII. 24. Ita Achabi extinctio prænunciata à Domino, & mandata poſtmodum fuit. Hujus imperio Jehu præſedit, juſſu & determinatione divinâ, in quartam uſque generationem. In quem cenſum referenda Nabuchodonoſoris temporanea excluſio, & Belſazaris omnimoda dejectio, cum omnibus ſimilibus exemplis.

IX. Omnis igitur poteſtas à Deo eſt, & omne imperiorum genus hanc originem agnoſcit. Ipſum imperium familiare, quod civili inferius eſt, ſupra ad Deum retulimus: quare ut Majeſtaticum inde derivemus, neceſſum omnino videtur. quod ignobilius principium haud poſſimus affingere pulcherrimæ rei, cujus ſublimitas nobiliſſimum auctorem palam prodit. Et immotam hactenus aſſenſionem vel ſola divina teſtimonia merentur, ut aliis nullis rationibus habeamus opus, ad confirmandum noſtrum enunciatum. Cæterum, ſi homo impius, aut gentilis, auctoritatem cœleſtem in dubium

bium vocare ſceleſtiſſimè auſus fuerit; illi ſequentia hæc meditanda & trutinanda permittimus. Principio, dari Majeſtatem, & imperium aliquod ſummum civile, quod in ſingulos, omnes, & univerſos efficax ſit, nemo ſanus inficiabitur: & dubitanti de re apertiſſimâ, ſenſuum memoriam revocarem, ut intueretur alicujus Sultani & Turci, Mogolis Tartari, aut Perſarum Domini poteſtatem, quorum nutibus omnis ſubjecta terra patet & paret; & invitus cogeretur fateri, eſſe aliquid in Monarchâ, cujus beneficio tot millia hominum diverſorum moderetur. Hâc certitudine præmiſſâ, circumſpiciamus cauſſas, quæ ingentem illum effectum produxiſſe debebant: omnes, ſi ſupremum exceperis Numen, longè inferiores erunt, & auguſtiſſimę rei impares. Fuerit Cauſſa Majeſtatis Creatura animata, vel inanimata. Inanima, nullo imperio prædita eſſe, quod conferre queant in hominem, omnibus hucuſque exiſtimatum eſt. quod vel exinde claret, quod ne parere quidem imperio apta nata ſunt; deſtitutæ facultate intelligente imperii tenorem. Eadem conditio animantium brutarum: nec imperium habent, nec ſuſpiciunt, adeoque nec conferunt. Nam imperii, & huic oppoſiti obſequii ea natura eſt, ut in animâ, niſi rationali, non reſideat. Imperii quippe eſt ordinare, præcipere, vetare: quæ opera, cum præſentiam intellectus includant, à bruto non proficiſcuntur. Obſequii munus eſt, pręceptum imperantis exaudire; normæ loco habere, ſecundùm quam actio civilis dirigatur; hanc cum illa

componere & comparare, ut operatio suæ regulæ applicetur & quadret. quæ ratiocinium postulant, sine quo nulla applicatio actionis & regulæ subsistit, proprium illud non brutalis animæ officium. Sed hæc in propatulo sunt: de Creatura rationali videamus. Multos invasit hæc opinio, humanum inventum esse Majestatem, quæ Principi, si non à singulis, à multitudine sanè conferatur. quod figmentum infra difflabimus: nunc verbo innuendum est, nec hominem in se, nec multitudinem à se Majestatem habere. Non sibi quacunque ratione dominatum præstat homo, nec ab aliis, suæ sortis, accipit. Omnes æquali libertate, pari dignitate, natura edidit. Descendat in seipsum homo, & intima viscera sua rimetur, scrutetur omnes facultates naturales: nullam imperii nomine reperiet. Quæ corpoream molem comitantur attributa, quantitate potissimum absolvuntur, à quâ Majestatis indoles longè abest. Facultates animæ tum vegetantem naturam, tum sentientem & Rationalem complectuntur. Excutiamus singulas, nullibi Imperii vestigia deprehendemus. De prioribus duabus nulla suspicio; Rationalis animæ virtutes examinantibus, nulla occurret imperii productrix. Intelligere, velle; item loqui & ridere, subditi quoque personam comitantur: quæ si imperium conciliarent, a subjectione procul distarent. Adhæc, si homini imperium inesset per naturalem facultatem, omnibus individuis inesset; quod naturales qualitates singuli æqualiter participent: statim verò hinc consurgeret contra-

dictio

dictio duplex, quæ imperium Majestaticum impediret. Nam si omnes imperio pręditi sunt, nemo subditus est: si singuli potestate valent, nemo potestati paret. quod subjectus & parens, de imperio, tanquam opposita re, nihil retineat. cum autem singuli per naturalẽ potentiam, istud jus teneant, exulet obsequium oportet; sine quo tamen imperium ne intelligi quidem potest. Deinde Imperium Majestaticum nullo plane modo introduceretur in multitudinem: quod naturale illud singulorum imperium, nisi destructâ naturâ, non everteretur. nam quæ homini naturaliter insunt, perpetuò manent. quamdiu autem illud pręsẽs est, nullus relinquitur locus obsequio, quod Majestas requirit. Tales igitur absurditates obstant, ne putemus, homini aliquod imperium naturaliter inesse. Si tamen dicas, hominem naturâ quidem imperium in alios non habere, benè interim acquirere illud posse aliunde: quæram, ubi nam sit imperium istud, quod acquirere laborat homo? penes quem resideat? In præcedentibus enim cognovimus, nec in brutâ, nec in rationali animâ oriri. Unde igitur in se derivabit acquirens homo?* Id suffugium patere sentio, ut arbitreris, imperium eâ ratione vendicari, si quis liber homo alterius voluntati subjiciat se, & exuat eâ libertate, quâ antea fruebatur: hoc modò superiorem illum nancisci dominium, seu imperium in personam, pacto ei se submittentem & obligantem. Respondeo; nullum inde imperium in personam submittentem nascitur: ab ipso enim submittente superior illud non habet, ob rationem supra

supra positam, quod homo imperium nec in alios, nec in se, habeat. Accipiens, à submittente consequi imperium debebat; sed hic nullum in se habuit; quare nullum ad alium transferre potest. Nemo sibi imperare potest: quod imperium, respectivum vocabulum, necessariò duos diversos consignet, quorum alter præcipiat, alter obediat. Unus autem sibi præcipere, & obedire simul nequit: quod in potestate obedientis positum foret, præcipienti non parere. Et quod multò maximè reclamat; Imperium reverâ complectitur jus vitæ ac necis, quod in seipsum habet nemo: ideoque ad alium neutiquam transmittet homo, quod nunquam possedit. Quicquid negotii agitur inter submittentem & recipientem, pactum & pacti vis est, quo obligatur ille ad præstanda promissa; & huic jus est, exigere, quæ pollicitus fuit alter. ad imperium nullum ascendit hæc conventio. Unica superest multitudo, cui quamprimùm congregata est, *naturaliter inesse imperium*, commodandum Principi, plures somniant. Sed præterquam, quod multitudo non est corpus naturale, cui propterea nec imperium *naturaliter* inhærere potest; id urgendum est, nullam multitudinis operationem esse, nisi operentur singuli. at in universa multitudine datur nullus, qui participet imperium; ideò nec conferre aliquid cœtui potest, nec hic possidere. Conjungantur aliquot centena millia hominum pauperum, quorum singuli ne teruncium habeant: hîc quia singuli habent nihil, multitudo neutiquam locuples censebitur. Fieri haud
potest

poteſt, ut multitudo aliquid efficiat, niſi ſinguli ſua conferant. Hucuſque igitur cauſſam Majeſtatis creatam invenimus nullam, quæ tantarum virium ſit, ut ſublime illud imperium civile producat: quod nihilominus adeſt, & omnibus ſe oſtentat, & cauſſam, cum nihil finitum à ſe ipſo oriatur, præſupponit; majorem & veriorem illis, quas modò recenſuimus. Cùm ergò in Creaturis non reperiamus Majeſtatis auctorem, neceſſariò nobis altius nitendum eſt, & perveniendum ad Creatorem Opt. Max. veriſſimum ac genuinum parentem venerandæ poteſtatis. Remotis enim cauſſis omnibus, unam tandem ſupremam invenire oportet. Aſſerti hujus ratio porro oſtendenda eſt: nullibi enim committam, ut in his Politicis Enunciatis, & concluſis, fundamentum, quod vulgò tanquam ex pacto, & condicto negligitur, nos deſtituat. Nimirum omnis civitatis ordo ab immoto fundamento procedere debet: quare imperium Principi datum omne, diximus, à Deo. Deus imperium habuit, & habet, poſtquam communicavit idem homini. Dei imperium igitur fundamentum eſt omnium Jurium, in quod, tanquam unicam cauſſam, eadem reſolvuntur. Quod verò Deus imperium poſſideat, creationis ſeries nos cogit credere. Nimirum cauſſa prima independens, dominium & imperium habet in productum effectum. In cujus poteſtate infinitâ poſitum eſt, procreare hominem, procreare orbem univerſum: in hujus manu ſitum eſt, regere à ſe creata. Hinc dominium in omnia,
quæ

quæ fecit divina dextera: hinc imperium in ipsum hominẽ. Nam qui potens est, his attributis, his qualitatibus efficere hominem, & mundi machinam: hic idem valebit & dominari huic, & regnare illum. Ita Creatori in creata imperium est, quod singulari benevolentia homini communicavit. Concessum enim primitus dominium in res irrationales; mox secutum imperium maritale in Evam, & procreatos ex hâc liberos: post pluribus peractis seculis, cum in immensum augeretur hominum numerus, nec sufficeret patrisfamilias potestas, præsentiore regimine coërcere volebat Deus multitudinem & ordinare. Induxit Reges, qui Civitatis corpus disponerent; & vicario imperio Personam Dei, omnia gubernantis, præ se ferrent & obtinerent. Adeoque transcripsit jus regendi hominem Principi Deus, quod vi creationis solus tenebat.

X. Quibus rite se habentibus, continuò illud sequitur; Deum *Majestatis caussam solam & unam esse.* Sive, ut communiter loquuntur, Deum Principi Majestatem *immediatè conferre.* Quæ loquendi formula, cùm trahi possit, non tantum *ad immediatam caussam efficientem*, sed *modum etiam constituendi*; disputationes, & errores excitavit. Immediatè dari Majestas aliquibus tunc creditur, quando citra ullam violentam occupationem, aut Electionem, successionemve, ab ipso Deo nominatur Rex. Ita Saul, David, alii à Domino, citra interventum populi creati sunt reges. Hoc sensu Guilielmo Barclaio dicitur immediatè con-

conſtitui, *lib.* III. *contra Monarchomach. cap.* II. quando nominatim in regem aliquis à Deo deſignatur: mediatè, quoties eligentium arbitrium intercedit. *Nec hoc cum dico, id volo tamen, Deum ſemper reges, ſive Monarchas populis dare* immediatè (*uſus ei verbo nunc locum fecit*) & *quis cui imperet, nominatim præſcribere: id enim perrarò, & non niſi extraordinariæ, tum mutationis, reique ingentis perficiendæ cauſſa, priſcis temporibus factum eſſe didici.* Nobis *immediata Cauſſa* dicitur, quæ cauſſæ propinquioris & ſecundæ influxum omnem excludit. Quare ad vitandam confuſionem, & majorem in his civilibus accurationem ſtabiliendam, mallem ſeparare à ſe invicem formulas illas; *Deus eſt cauſſa Majeſtatis immediata*; & alteram; *Deus immediatè conſtituit Principem*; ſive, *Deus confert immediatè Majeſtatem.* Non enim utrobique idem dicitur. Conſtitutio Principis, & collatio Majeſtatis, includit & conjungit modum acquirendi Majeſtatem. Nullius enim reprehenſionem metuam, ſi dixero: *Deus, mediante, ſeu intercedente populi ſuffragio, conſtituit regem*: item; Deus, *mediante, ſeu intercedente ſucceſſione, occupatione, confert Majeſtatem.* Rectè inquam, ita loquar: quod latitudo vocabulorum illa complectatur, quæ medium admittunt. Sed cauſſa Majeſtatis abſtrahit & præſcindit ab omni alio concurrente modo, & in ſe conſideratur, quatenus producit Majeſtatem, non quatenus conjuncta eſt cum Electione, & reliquis. Jam non niſi

nisi absurdè dixerim; *Deus est Caussa Majestatis mediata:* utens vocabulo inusitato, & incongruo, & plures introducens caussas Majestatis. Verbo: à Deo immediatè Majestas produci, nobis antè posito sensu dicitur, ut extra Deum nullam intelligamus aliam caussam efficientem secundam, & proximam: sed uni & soli Numini Maximo potentissimum effectum adscribamus. Quæ verissima interpretatio & sententia est: nec adducar unquam, ut illi assistam, qui præter eligendi potestatem, amplius quid concedit populo. Nam *approbatorem* saltem potestatis, à populo collatæ, facit Deum; qui *potentiam dominationis instituto regi confirmat:* & populum adeò in caussæ consortium trahit, ut *caussam secundam* apertè nominet. Quin exemplis naturalibus evincere conatur, populum ad illud caussarum genus referendum esse, à quo dependet *fieri*, licet ad *conservationem* non requiratur: hoc est: ad *caussas secundas* & proximas, quæ adæquatè effectum producunt. Itaque hâc ratione à Deo constituti esse, & potestatem accipere dicuntur reges; *quod is potestatis à multitudine in ipsos collatæ, summus & auctor & approbator sit:* ut quamvis ejus potentiæ largitor populus videatur, qui regem super se constituit, & *suum omne imperium & potestatem in eum transfert: tamen id donum & beneficium Dei frequentius, quam populi, in sacris litteris nuncupetur.* Quæ vulgaris & plebeja opinio est omnium Monarchomachorum. Absit, ut aliquid detractum velim famæ tanti viri, quem acerrimum in reliquis asser-

assertorem regiæ dignitatis novi: humani aliquid passus est in abstrusissimo negotio; ubi errores, ut crebri, etiam viris Majestatis reverentissimis obrepentes, ita prolixiori veniâ digni sunt: removendi interim, ne malitiosis patrocinium invito auctore præstent. Licebit ergo simpliciorem monere lectorem, ne forsan auctoritate tali intempestivè utatur; & imprudens Majestatem atque salutem Reipubl. prodat. Deum non approbatorem collatæ potentiæ; sed verissimam, unam ac solam caussam appellamus: populo omnem collationem supra negavimus, & in sequentibus porrò negabimus, ubi rejiciemus contrarias sententias, satis manifestas suæ absurditatis. Id nunc urgemus. Quando subordinationem caussarum habemus, secunda, & proxima caussa, sibi adæquatum effectum producit, per potentiam à primâ concessam. Populus ergò si caussa secunda majestatis est, utique debet à Deo accepisse potestatem, per quam imperium producat. Documenta interim desunt, quibus id probari queat: & contrarium supra fuit ostensum. Caussæ est influere. est, communicare essentiam. quod autem caussando tribui debet, id in caussâ existat prius, oportet. Populus, qui nullum Majestatis jus habet, non poterit influere in imperium electi regis. Id præterea observatum est: Caussam servare & retinere pristinam essentiam, & effectui eandem communicare, citra sui propriam corruptionem. Populo verò dicitur adimi imperium, quando confertur in Principem. Has ob rationes eximitur caussarum

numero

numero populus, & solus Deus una vera caussa manet: qui potentiam à se ipse habet, & communicat principi eandem, influendo in actus Majestaticos: retinet nihilominus ipse pristinum jus, ut per *cumulationem*, quemadmodum loquuntur, non omnimodam *abdicationem*, concessisse videatur.

XI. *Electio* plurimis occasionem errandi præbuit: quia cum caussâ Majestatis *consequendi modi*, ob conjunctionem, confunduntur, & ideò animis à vero divertendis vulgò valent. Deceptus est, quisquis fuit Gallicus ille scriptor apud GRAMONDUM *lib.* 1. *Histor. Galli.* p. 65. putans, *paucos principes uni immediate Deo coronam debere; imperatorem electioni subjacere, Angliæ Regem Parlamento obnoxium fuisse. Vnus inter Reges, Christianissimus*, inquit, *jure suo regnat, unus immediate Deo debet quod rex est. Quo fit, ut vera in omnem casum sit ea thesis, Regum Galliæ immediatam à Deo potestatem esse, usque adeo, ut neminem in terrâ auctorem agnoscat.* Sed hæc ignorantia Politicæ excuset. Dicunt. *Eligitur à populo Rex, & per electionem consequitur principatum: ergo non immediatè, sed mediante electione imperium habet. Vbi intercedit caussa; ibi effectus immediatè non potest produci.* Hîc ante omnia, secundum supra positam distinctionem, advertendum est, nobis sermonem esse, non de universâ constitutione regis, quatenus modum acquirendi imperii includit: sed de caussâ Majestatis separatim consideratâ. Non disputatur in præsenti de *accipiendi ratione*, sed *caussandi:*

ſandi: non *utrum Rex mediante electione accipiat imperium*? quod concedi poteſt; ſed, *utrum Majeſtatis cauſſa ſecunda detur*? Nimirum quoties conſtituitur Princeps, plura concurrunt, Majeſtas, Majeſtatis cauſſa, modus conferendi. Electio hactenus ab omnibus inter modos acquirendi relata eſt. Certum manet, effectum, productum ab interveniente mediâ cauſſâ, non poſſe dici immediatè à primâ proficiſci: ſed applicatio hîc deficit. Eligens populus, electionis cauſſa dicetur: & ſic inſtrumentaliter concurret in conſtitutione, producendo modum acquiſitionis; non principaliter, tanquam cauſſa efficiens imperii. Cauſſa igitur effectrix, & collatrix Majeſtatis, à cauſſâ modi erit diverſa. Conſtituatur nunc mediante electione Princeps, accipiat iſtius interventu imperium: nihilomagis Electio cauſſa erit imperii. Accipiat mediante manu mendicus nummum: non tamen extenſio manûs nummi cauſſa eſt. Accipiat mediante occupatione derelictum equum ſuperveniens aliquis: non tamen illa inventio & occupatio equi cauſſa eſt efficiens. Præſupponitur in his talibus *Objectum acquirendum*, cujus cauſſa efficiens non poteſt eſſe modus acquirendi. Nam ſi hic foret cauſſa, nondum eſſet illud objectum; nec poſſet acquiri, nec daretur hujus acquirendi modus. Quare præſupponendum alicubi imperium, quod acquiri poſſit beneficio electionis: quæ hâc ratione, ſi nomen cauſſæ alicujus rei mereri debet, *acquiſitionis cauſſa* dicetur, reſpectu certi ſubjecti

deno-

denominati: cum imperii caussa nihil habebit commune.

XII. Manet ergò immediata caussa Majestatis Deus. Unde pulcherrima Enunciata Politica consequuntur: quorum illud eximium est; *Dei vicarium Principem esse*, qui illius locum in terris subeat, & personam gerat. Hinc est, quod imaginem Dei in eo passim deprehendant gentes. *Artabanus* Persa, apud PLUTARCHUM, *in vitâ Themistoclis*, pulcherrimam optimamque legum Persicarum vocat illam, quâ sancitum fuerat, *regem esse honorandum & adorandum, ut Dei cuncta servantis imaginem:* idem docuit; *Regem, cum imperium gerat nulli obnoxium, & lex sit animata, Dei effigiem inter homines exhibere*; observante CLAUDIO SALMASIO, *Defensione Reg. cap.* V. Laudatur Eidem *Ecphantas Pythagoricus*, qui docuit; *optimam quidem naturâ rem esse hominem, maximè verò divinam regem. Eum meliori conditione esse praditum, quàm cateros homines. Et quamvis corpore sit similis reliquis, utpote ex eâdem materiâ creatus, ab optimo tamen artifice esse productum, qui eum fabricavit ad suum ipsius exemplar*, seu, *seipso utens prototypo.* Subjicit continuo, *Regem singulare quoddam, & unicum esse opus, utpote qui sit imago cœlestis Regis.* Idem αὐταρχίαν, quæ regit seipsam, & regitur à nemine, Dei primum esse propriam, deinde & Regis, dixit. CORIPPI AFRICANI, *in laudem Iustini*, *illud est*, lib. II.

Terrarum dominis Christus dedit omnia posse.

Ille est omnipotens, hic omnipotentis imago.

Ex his illud conficitur; *Principem tantum posse in civilibus dependenter, & Dei concessu, quantum Deus independenter valet efficere.* Pertinet huc, quod *Philippus* dixit, citante SALMASIO; *regem cum homo sit mortalis, accepisse potestatem divinæ parem.* Nec alienum est, quod *Diotogenes* ille scripsit; *ut se Deus habet ad mundum universum, ita regem se habere ad Rempublicam, cui praeest.* Et hàc de caussâ Principes, *Deos partiales*, vocat CHRYSOSTOMUS, Homil. XXXVIII. hanc ponens differentiam: quod Deus universi gubernator sit; Reges jus dicant uni regno. Quo ipso Enunciato amplissima Principis Majestas concipitur; & quæ circumscribatur interim egregiè cancellis honestatis & pietatis, ne quid prætextu absolutæ potestatis inhonestum jubeat, aut faciat. Quum enim Deus contrarium aliquid sanctitati suæ statuere nequeat: nec vicarius tàm impiam facultatem habebit. Quod si tale quid audeat, transilit officii limites, & subditi ad obtemperandum & obsequendũ in turpibus, obstricti non sunt. Porrò, quia Princeps Vicarius Dei est, illud sponte sequitur, *Principe in civitate superiorem non dari: nec Iudicem ejus esse, si Deum exceperis.* Judicium nullum sortietur Princeps in terris, multo minus condemnatoriam sententiam ab hominibus extimescet, si vel maximè affinis culpæ fuerit. Populus judicare illum, aut condemnare nequit: quod non contulerit majestatem, & ideò non superior sit, aut capax,

capax, qui judicis vices agat. Judex enim excellentiæ ſuperioris vocabulum eſt. Ejuſdem quippe eſſe deſtituere, quem conſtat conſtituiſſe, eſſe moris ac juris indubitati, notat idem SALMASIUS. Nam & plebejis animis cognitum eſt, Adminiſtratorem generalem, qui univerſæ Provinciæ impoſitus eſt, neminis privati ſententię ſubjacere; ſed Domini conſtituentis arbitrio relinqui. Quæ ſingula, ut & alia plura, ſuis locis oſtendemus.

XIII. Poſtquam nobis jam ſatis conſtat de vero Majeſtatis Auctore: rejicienda ſimul ſunt aliorum erronea in hoc argumento aſſerta. De origine enim imperiorũ, à quibus initiis eadem profecta primitus, & hodiè quoque deducantur; diverſas paſſim legere eſt opiniones. Qui ſecuriùs philoſophantur, fieri haud potuiſſe autumant, quin ſævâ violentiâ armorum ſub jugum ſervitutis miſſi fuerint, liberi ante, & ſui juris mortales. *Scilicet ad dominandum proclive humanum ingenium eſt: & imperandi libido animis, quo erectiores ſublimioreſque ſunt, eò magis aſſidet. ac cogit omnia facere, ut præceptum mente principatum obtineant. Id primis tempeſtatibus, quia bonis artibus haberi non poterat; (amantes enim libertatis ſuæ homines, ſponte ut ſubjicerent arbitrio unius ſe ſuaſque fortunas, nulla neceſſaria ratio adigebat) ad prava conſilia verſi dicuntur imperii avidi tyranni: & bellorum vi extorſiſſe nolentibus, quod æquâ ratione conſequi deſperabant. Primos ſubdebat ſtimulos impotens ambitio, cui ut facerent ſatis, armorum ſtrepitu infeſtabant omnium fines: & hoc*

hoc superbiæ instrumento malè conceptum, & affectatum diu imperium, sibi tandem asserebant. Argumento esse arbitrantur, quòd ab initio soli reprobi, potentiâ ad injurias innocentium abusi, imperium acceperunt: adducto exemplo *Caini*, qui ante diluvium primus dominus fuisse creditur. Et postdiluvianis temporibus *Nimrodum*, qui ex maledicto genere Chami oriundus fuit, ad regni fastigium injurioso itinere grassatum volunt. Neque enim credibile censent, *Libertatem, sine vi maximâ, aut non perruptis naturæ legibus, eripi potuisse.* Latrocinia quoque vertisse in regna, constans fama est: quare & *Nimrodum* latronis nomine vulgò insigniunt. Plurima ejusmodi regnorum initia historiæ memorant, Arabum, Turcorum, Tartarorum, ex latrociniis, in magnas Respub. desinentium. De Viriatho, ex venatore latrone, ex latrone Imperatore, Florus lib. II. c. XVII. Nobis aliter videtur: Deum imperiorum caussam omnino asserendum etiam hoc casu esse. Sit avidus dominationis humanus animus: nondum interim efficaci satis instrumento utitur, ad obtinendum regnum, quoties ambitione principatum quærit. Misceat licet omnia armorum strepitu, & securos invadat: nondum decessit victor, nondum rex. Frustra igitur sunt, qui ad ambitiosam violentiam recurrunt; & armorum injustitiâ primum imperandi parendique ordinem institutum somniant. Cęterum, ut appareat, quam incerta nimis sit, & meris conjecturis nitatur ea opinio, fundamenta, quæ suffulciunt, docent. So-

lis improbis ab initio concessa imperia, credat, cui promptum est, quidvis credere. Cainum primum dominum exstitisse & regem: infra rationem est. Urbem eum condidisse novimus: quâ exstructâ non statim ponitur regnum. Et nihil impedit, quo minus placeat *Gregor. Cedreni* sententia: *Ante diluvium neque gentem fuisse, neque regnum. Gens* enim est populus, in rempublicam concinnatus. In quem sensum apud *Ieremiam* Assyrii, vocantur *prima gens*, non vulgari notione, cap. v. 15. *Nimrodum*, infami latronis, aut tyranni nomine, traducere qui solent, viderint, num firmâ satis ratione inducantur, & solidis argumentis in non levi caussâ pugnent. Expugnaverit fortean aliquos, ferinos homines, & in societatem civilem transtulerit armorum beneficio; aliunde tamen caussa imperii fuerit repetenda. Unde nimirum imperium in exercitum, quô refractarios fudit? nam si & hunc bello captum dicamus, in infinitum quæstio procedet. Victoriam non militi adscribendam esse, sed Deo deberi, religiosa pietas credit: Eidem ut dominatum, subsecutum victoriam, adscribamus, necessum planè est. Cœperint igitur sic regna: bellis, *principii nomen*, in adstrictâ significatione asseremus, *caussæ* titulum non tribuemus. Non statim caussa est, quod Principium. Verùm, ut minus credam, imperia prima bellis originem acceptam ferre, facit, quod SABELLICUS I. *Ennead.* l. I. scribit; post jam dudum constitutas respubl., & plurima gesta bella, eum belligerantibus fuisse animum, ut ex victoriâ laudem

dem reportarent, in victum jus sibi assererent nullum. *Ninum* tandem, qui rem, non umbram secutus, primum devictis Scythis tributa imposuisse. Latrones si contingat in civitatem coire, & auscultare superioris, quem constituerunt, jussis; dubium non est, quin respublica dicenda sit ordinata illa multitudo, & majestatem quoque habeat electus Dux. Per electionem committitur illa quidem homini, non à prædonibus, sed à Deo: approbante communionis & societatis ordinem, non abusum imperii ad aliorum perniciem.

XIV. Mitiora fovent meditamenta, qui ad Jus recurrunt, aut per quendam naturæ ordinem exstitisse Imperia tradunt. Quam sententiam ARISTOTELES *lib.* I. *Polit. cap.* II. amplectitur. ubi vicum à naturâ constitutum defendit; qui domûs quasi colonia est, quæ filiis, & filiorum filiis constat, subdit: *Principio sub Regum imperio civitates erant, & nunc etiam gentes, quia ex iis, qui sub regno vivebant, convenerunt. Omnis enim domus ejus, qui ætate antecedit, regno subjecta est, ergo & colonia. id est, familiæ plures, quæ ab unâ domo fluxerunt, propter cognationem. Atque hoc illud est, quod ait Homerus: Iura autem uxoribus unus Quisque dat & natis.* Stabilire potest hanc opinionem ingens jus vitæ ac necis; tum belli quoque gerendi: aliaque patribus familiarum non minus, quam regibus usitata. Non faciunt tamen nostræ expectationi satis à Naturâ deducta imperia: domestica primitus, mox crescente familiarum numero, regalia. Speciosa magis,

quam vera derivatio est. Civitatem à naturâ constitui, planè defendimus: non item Remp. quæ imperium complectitur. Sit naturâ societatis appetens homo, studeat propagationi sui generis; deducantur liberi in suas familias, constituatur vicus quoque: imo, (vivat interim senior familiæ) ex pluribus vicis civitas: patriam potestatem exercebit familiarum princeps in liberos & nepotes, nullum imperium politicum & Majestaticum, quale quærimus, usurpabit. A quo mutaretur enim potestas illa domestica in familiares, dum multitudo liberorum respectum patris haud migrat. Nunc moriatur aliquando auctor hujus propaginis, quis in defuncti locum succedet? Quis credat fratres seniores, qui jam patriæ potestatis vinculis exempti, æquali fruuntur jure & libertate, tam faciles futuros in sui damnum, ut temere se pari submittant. Et fingamus id fieri; à voluntate eorum, qui se subjiciunt, & superiorem constituunt, universum negotium dependet: atque adeò naturæ ordinem excludit imperium uni concessum. Detur hæc venia *Aristoteli*, ut probabiliter interdum, & in speciem compositis rationibus, fidem facere in abstrusioribus negotiis conetur: eoque si non inventæ veritatis; ingenii tamen, solertiæque laudem mereatur. Liceat enim homini gentili atque profano ignorasse veram Majestatis originem, qui in universum de rerum, etiam naturalium, ortu, non nisi dubitanter sæpe, potuit disserere. Quod argumenta concernit, negari non potest, penes ejusmodi familiarum dominos plu-

rima

rima resedisse jura, (ita vocabimus interim,) æquali ferè excellentiâ, quâ hodieque ab Regibus exercentur. Jus vitæ ac necis, quod principem locum tenet, proprium fuisse patribus & dominis, non profanæ tantum; sed & Sacræ historiæ confirmant, supra nobis laudatæ. Sic novimus Abrahamum armasse trecentos vernas, & reges, qui abduxerant Lothum, persecutum oppugnasse, fudisse, castrisque & omni prædâ exuisse. Interim & illud nobis dari oportet; Jus vitæ & necis, jus belligerandi, ac cætera, quæ patribus familiarum competebant in liberos, diversissima esse ab illis, quæ reges in subditos habent. Subjecta insignem differentiam constituunt. Pater exercet jura in liberos, in suam familiam; at rex in ipsos patresfamiliâs: eâ virtute & efficaciâ, ut Jura, patribus ante competentia, trahat ad se; unâ benevolentiâ, aut castigatione modicâ relictâ. Eaque ipsa Jura, patribus ante constitutum regem domestica, non temerè & nascendi sorte, sed divinâ, & speciali ordinatione, concessa sunt.

XV. MARCUS ZUERIUS, BOXHORNIUS, *lib.* I. *Instit. Polit. cap.* II. *n.* 2. triplicem imperiorum fontem habet, Jus naturale, Gentium & Civile. *Imperia*, inquit, *& dominationes sensim atque gradatim provenerunt. Primum quidem imperium ex Iure* NATURÆ *profluxit. Estque quod parentum in liberos, & nepotes, & ex his genitos appellamus. Estque Respublica hæc quasi seniorum cognatorum; quod imperium humani generis exordio, cum longævi & fœcundi essent mortales, usum habuit. Secundum imperium*

vium ex jure gentium *prognatum est, estque quo gentes omnes eidem rationi, & unanimi consensu receptis institutis, se, velut legi, subjecerunt. Estque illa universalis Respublica omnium omnino hominum. Tertium imperium est, quod ex singularum gentium utilitate, necessitate & proprio, seu* civili jure, *peculiare & à cæteris diversum manavit, estque Respublica singularum nationum.* GUILIELMUS quoq; BARCLAIUS, partim ad *jus naturale*, partim ad *gentium* recurrit, *lib.* II. *contra Monarchom. p. m.* 277. *Quapropter licet regnorum quidem institutiones* juri gentium *rectè tribuantur, quod ea populi, dictante docenteque oratione, primitus amplexi sunt: tamen quà homines occulto quodam naturæ instinctu ad ea inclinabantur, eatenus* juris naturalis *dici possunt. Ac proinde, si quis rem altius repetat, inveniet, regalia cum ipso humano genere cæpisse atque crevisse imperia.* Verum quæ Cl. BOXHORNIUS de triplici Jure disserit, & ex eô constitutis Rebuspubl; animum non satiat. Obscura nimis, & intricata penitus sunt hæc de Majestatis origine effata: & quæ minimè concilies, si ad principia politica exigere velis. Primùm, domesticum parentum imperium, ex jure naturę profluxisse, nemini persuadebitur, qui satis assequitur, quid vocabuli genuina significatio & indoles importet. Scilicet jus naturale nihil aliud est, quam rectitudinis, seu Sanctitatis Divinæ instar, humano animo à naturâ infusum, ut sit regula agendorum: præscribens, quid in actibus hominum moralibus necessarium, honestum & faciendum; quid item turpe, exse-

exsecrandum, ac fugiendum sit. Jam facilis est dijudicatio, quousque se jus naturale extendat, & quarum rerum caussa sit. Objectum sunt actus morales: iique vel honesti, & necessariò faciendi; vel simpliciter turpes, & ideò necessariò vitandi. Ad alia citra confusionem istud applicare non possumus. Nunc quum Majestas & imperium, in censum agendorum referri haud queat: oppidò apparet, extra Juris naturalis terminos, & sphæram activitatis esse ponendum; & ideò ab hoc fonte non arcessendum. Occultus naturæ instinctus, & inclinatio ingenita, non satis probant jus naturale. Propendent aliqui naturâ in certas artes atque scientias: quæ tamen propterea juris naturalis non sunt. Tuetur se quidem BOXHORNIUS *Aristotelis* auctoritate, quam ex I. Pol. II. desumpsit. Si rectè tamen memini, Philosophus imperium *à natura*, non *à jure naturali* deduxit: quæ diversissima sunt, & minimè erant confundenda. Erit, & derivabitur aliquid à naturâ, quod cum Jure naturali nihil habet commune. Quamvis & Philosophi dictum falsum sit, ut supra vidimus. Interim à NATURA esse dicimus, quoties impetum intrinsecum, & aptitudinem connatam ad certum negotium deprehendimus. Sic civitatem à Natura esse dicit Philosophus, quod ibi statim explicat: *Natura igitur appetitio est in omnibus ad talem societatem.* Quod doctissimus PICCARTUS, *in commentario ad hunc locum*, liberius vertit: *Constare naturâ nihil aliud est, quam quod naturâ hominibus indidit impulsum & appetitum civilem*,

lem, id est, ad communem vitæ consuetudinem. Sæpè *sola aptitudo recipiendi & patiendi aliquid*, eam loquendi formulam sustinet. Ita *servi à Naturâ, Domini naturâ* dicebantur: quod nimirum illi, destituti ingenii solertiâ, indigeant alterius ope ad transigendam vitam, & instructi corporis robore, apti sint, qui meliori inserviant: hi, ob ingenii dotes digni videantur, qui simplicioribus imperent. Neutrum tamen reverâ naturale, vel juris naturalis est; aliàs omnes deberent esse servi, aut domini: quòd juris naturalis scita æqualiter & immutabiliter se habeant ad omnia subjecta intelligentia. Involvimus igitur rem miserè, quoties vocabulis tantopere abutimur. Quæ de Republicâ parentum & seniorum, exempli loco subjicit, sponte ex dictis concidunt. Nulla tum Resp. fuit, sed familia: & pater non Majestatem, sed patrium imperium exercuit. Ejusdem ponderis sunt, quæ de imperio, *ex jure gentium* prognato, affert. Æqualis efficaciæ censendum hoc in negotio jus gentium, cum jure naturali. Neutrum eò usque pertingit, ut imperium producat: neque explicatio adjecta id præstat. Subjiciant se gentes omnes concordi consensu eidem rationi, & veluti legi, receptis institutis: nondum video, quomodo exinde resultet imperium. Vero perquam simile est, primos mortales, quos Reipublicæ vis nondum in ordinem coëgerat, ad ductum rationis rectæ vixisse, & observasse instituta, quæ vel sana mens, vel vicinorum consensus sanciverant: interim nondum constat, imperium inde fuisse enatum.

tum. Nec quidem eam applicationem admittam, quòd gentes consenserint in imperia. Non omnis consensus populorum, jus gentium producit. In plura consentiunt gentes, non motu effectivo, ut ipsæ aliquid sanciant; sed parendi necessitate, quod accidit in naturalibus præceptis, & omnibus, à superiore, Deo, promulgatis. Addit: *Esse illam universalem Rempublicam omnium omninò hominum.* Quod minus politicè dictum videtur, & figuræ declamatoriç propius est. Nunquam omnes mortales in unâ vixere civitate: & ille consensus rectè sentientium Rempubl. non format. Certum est, nonnullos hæc vocabula transferre ex quâdam similitudine ad universum orbem, *Stoicos* potissimum si evolvas: sed illud quoque dubio caret, impropriam loquelam esse. Ita SENECA multoties se *mundi civem* vocat. *Duas Respublicas*, inquit cap. XXXI. de vitâ beata, *animo complectamur, alteram magnam & verè publicam, quâ dii atque homines continentur, in quâ non ad hunc angulum respicimus, aut ad illum, sed terminos civitatis nostræ cum sole metimur. Alteram cui nos adscripsit conditio nascendi. hæc aut Atheniensium erit, aut Carthaginiensium, aut alterius alicujus urbis, quæ non ad omnes pertinet homines, sed ad certos. Quidam eodem tempore utrique Reipubl. dant operam, Majori minorique, quidam tantum minori, quidam tantum majori.* Quis verò ex tali loquendi formulâ proprietatem, quæ hîc accuratissimè spectanda est, colligat, aut imperiorum genus constituat? Excludit ejusmodi flores, &

digressiones Oratorum, severitas civilis Sapientiæ: in negotiis præsertim, quæ fundamenta concernunt tantorum operum. Tertia derivatio est ipsa propago Juris Civilis; nullius imperii caussa. Ex utilitatis, aut necessitatis publicæ præscripto, aliisve caussis, populi jus congruum acceperunt. Sed populi nimirum, qui in rempublicam jam erant ordinati, qui jam suspiciebant Majestatem imperantis. Ut conderetur aliquod jus, ut sanciretur lex, necessariò requirebatur antecedens imperium. Nam juris constituti caussa est Majestas. Contra naturæ cursum & consuetudinem fuerit, si effectus suam caussam antecederet non tantum, sed produceret etiã. A jure civili non manavit Respublica: sed Republicâ, per Majestatem concinnatâ, ab eadem Majestate leges civiles, pro captu, indole, commodo, subditorum civium, latæ sunt.

XVI. *Necessitatem* aliqui, ac *indigentiam*, afferunt caussam imperiorum. Nollem sanè HUGONI GROTIO illa excidisse, *lib.* I. *de I. B. & P. cap.* IV. n. VII. *Notandum est, primo homines non Dei præcepto, sed sponte adductos experimento infirmitatis familiarum segregum adversus violentiam, in societatem civilem coiisse, unde ortum habet* potestas civilis, *quam ideò humanam* ordinationem *Petrus vocat:* I. cap. II. 13. *quanquam alibi & divina ordinatio vocatur, quia hominum salubre institutum Deus probavit.* Cui sententię quoque accedere videtur BOXHORNIUS *in Not.* ad l. I. *Inst. Polit.* cap. II. §. I. *Dictum porro est: utilitatis caussa Rem-*

publi-

publicam congregatam. Utilitas *enim omnium non est postrema* caussa originis imperiorum. Ceterùm experimentum illud infirmitatis, & utilitatis majoris procuratio, videtur ex illo genere caussarum esse, quod *occasionis* nomine venire solet; aut ad agendum animum impellit quidem, ab efficiente tamen diversissimam naturam habet. Imo tantum abest, ut vel imbecillitas familiarum, vel utilitatis & lucri cupido, imperiorum caussæ sint; ut ne quidem civitati, materialiter spectatæ, quam à naturâ deduci supra vidimus, originem dedisse, pro certo habendum sit. Et nimium sui obliviscuntur auctores, qui indigentiam, infirmitatem, nomina illa imperfectionis & defectus, caussas constituunt sufficientissimi imperii.

XVII. Qui sensuum magis, quàm rationis arbitrio utuntur, & spectra ac species à rebus discernere ignorant, ab hominibus derivant imperiorum primum fontem: ita tamen, ut hominem sibi posse quid comparare, negent; benè tamen alios, in quorum manu summa potestas residet. Sive universus populus, sive pars ejus validior contulerit: sive Majestas in mutatione Reip. translata, aut à retinente Monarchâ concessa fuerit Vasallo. Veteres evolventibus memorias temporum, non pauca numero se sistunt exempla eorum, qui militibus, parti validissimæ populi Romani, imperii dignitatem tulere acceptam. In Republicâ Romana, cum jam preceps iret, plurimi à militibus vel constituti, vel exauctorati Principes. Sæpe flagitiosissimus rerum summæ destinatus: sæpe fastigio

detrusus optimus. Prostabat venale Romanum imperium, cujus possessionem pecuniosis emptoribus facilè impudentissimi caupones vendebant. Novo quidem jure; ut quoties pluris offerretur, aut spes affulgeret majoris pretii adipiscendi, dejicerent pristinum dominum. Hâc continuâ usurpatione, jus conferendi imperium haud sinebant senescere. Quomodo parricidali manu, sublato *Pertinace*, milites, turpissimi mercatores, de venalis imperii præsente copiâ per clamosissimos præcones transeuntes adverterint; tum quomodo *Iulianus* contumeliosum dominatum licitatus & consecutus fuerit, narrat HERODIANUS *lib.* II. *cap.* VI. Syracusarum simile fatum observat CASAUBONUS, *commentar. ad Polyb.* Nulla tamen ratio subest, cur à militibus, sæpe mercenariis, Majestatem arcessamus. Non sine indignatione optimus quisque apud *Herodianum* legit, quam fœdissimâ nundinatione imperium promercale habuerint milites. Sed quid ad hunc contractum DIO? *Accidit*, inquit, *tum res turpissima, urbeque Româ, plane indigna. Namque sicut in foro & mercatu quodam, & urbs & imperium ejus venale edictum est:, vendentibus, Principis sui parricidis.* Senatus, Populusque diras imprecabatur. Et *prætereuntem*, verba sunt Herodiani, ex versione Angeli Politiani, *maledictis insectabantur, & turpes ambiguasque voluptates exprobrabant, sic ut etiam propalam in circo, ubi maxima vis hominum confluit, Iulianum incesserent, ac vindicem Romani Imperii, præsulemque summum principatus Nigrum vocitarent:*

tarent: orantes, ut quam primùm adesset, ipsosque à tantis contumeliis assereret. Quæ omnia illustri documento sunt, tale quid non nisi in prolapsa Republica, & corruptissimâ accidere. Premebatur populi libertas, calcabatur Senatus auctoritas, universa Respubl. in præsentissimum discrimen deducebatur, cum miles sibi jus legendi creandique principis per malam libidinem vindicasset. Lethaliter decumbentis, & mox efferendæ ac conclamandæ Reip. indicium est, quando exercitus sibi civilium rerum, & principis sumendi potestatem arrogat. In confusiones enim atque tumultus; in cladem atque interitum ea insolentia expetit. Quod pragmatica observatione Historicus annotavit, *in fine cap,* VII. Cæterùm nemo sibi corruptam Rempubl. imitandam proponit: vitant potius omnes, quæ fœda inceptu, fœda exitu in tali notaverunt. Neque igitur consultum est, scelus pessimorum hominum principii loco ponere, à quo profluat sacratissimum imperium. Nunquam effectricis caussæ titulum & dignationem merebitur, quod ne modi quidem legitimi nomen tuebitur. Si quicquam militibus debuit Julianus, tanquam injustis electoribus debuit. Penes Senatum, aut universum quoque populum, tum temporis residebat eligendi potestas: quę erepta veris possessoribus sacrilega manu, & ab invasoribus detenta, non poterat adeo mutari, ut efficeret illegitima Electio, quod rite & ex ordine facta nunquam præstitisset. Majori applausu à plerisque Majestatis auctor universus populus recipitur, qui imperaturis

turis tradere imperium intricatissima assertione dicitur. Nimirum populus sumit sibi in regem, qui nulla potestate instructus antè, per electionem, & populi beneficium, consequitur summum illud regnandi jus. Extincto quoque nuper electo rege, eandem facultatem recipit multitudo, quam in Principem contulerat: & alium demortuo substituit, aut mutat regiminis faciem, prout libitum fuerit universis. Quem sensum præ se ferunt illa GROTII, *lib.* II. *de I.B. & P. cap.* IV. §. X. *Quare si populus à cujus voluntate jus regnandi proficiscitur, voluntatem mutet, iis qui nondum nati, aut quibus jus quæsitum non est, injuriam non facit.* Et alibi populum *subjectum commune Majestatis* affirmat. In hanc sententiam nonnulla leguntur in Oratione Suasoria, de eligendo Friderico, apud GUNTHERUM, *lib.* I. *Ligurini, vers.* 242.

In manibus vestris regnum est: ea quippe potestas
Ad vos more suo semper viduata recurrit.

Decepit hæc eligendi potestas BARCLAIUM quoque, disertissimum Regiæ caussæ patronum, ut largiretur, à multitudine conferri potestatem in regem, à Deo confirmandam. Deceptus quoque fuit SALMASIUS, ut similiter concederet, Principem habere potestatem à populo, cap. VI. Defens. Reg. *Non timetur in regali, quia populi potestas in populo amplius non est, sed in rege, qui à populo eam accepit. In populari itaque statu populi est potestas. In regali populi fuit. Nunc regis est, qui in populum illam habet, quamvis à populo.* Et mox. *Quod statuemus ergo discri-*

discrimen popularis status & regalis, cum in utroque à populo potestas velut ab origine veniat? Hoc certè erit. In populari penes populum potestas manet, in regali à populo in regem transfertur. Populi esse desinit, ubi regis esse incipit. Nunquam benignius gratificari Monarchomachis poterunt regiarum partium Assertores, quàm si tam grande postulatum ignari concedant, *Potestatem principi à populo dari.* Et in præcedentibus tamen Barclajus, Grotius, Salmasius, luculentissimis rationibus ac testimoniis evicerant, potestatem regiam à Deo trahere originem. Sine figurâ & colore dicam; Populum tantum conferre in Principem posse, quamtum diabolus in Christum; cui regna mundi tàm prolixè pollicebatur, qui ne in porcum quidem habebat imperium. Cum præsentissimo periculo, imperii auctor populus constituitur: aptissimâ seditioni sententiâ, quæ Majestatem, quoties displicuerit plebi, ex facili evertat. Eligit interdum populus, aut procerum ordo, regem: interim non conferunt imperium. Non dare potest aliquis, cujus compos haud est. Si jam adesset Majestas in populo, aut proceribus, constituta foret Respublica, nec opus esset Electione capitis. Ipsa electio modus est acquirendi imperii, sicuti bellum, sicuti successio, Caussa non est. Non aliud præstant eligentes, quam ut producant personam, suo judicio dignam habitam, cui à Deo imperii axioma tribuatur. Demortuo quoque rege, non revertitur Majestas ad populum: sed potestas alium eligendi.

XVIII. Vul-

XVIII. Vulgaris ista opinio stabilem explicationem non habet; aliis aliter fundamentum conferendæ in Principem potestatis, declarantibus. Communissimus error actu realem Majestatem plebi concedit, ut habeat nimirum, quod alteri communicandum est. Invaluit absurda illa doctrina, *multitudini naturâ inesse imperium in singula membra.* Sunt qui triplicem viam, producendæ potestatis aperiunt, dum alia ratione *caussæ & effectus*, alia ratione *totius & partis*, alia denique ratione *agentis & patientis* nascitur. Secundam ita declarant. *Partem naturaliter subesse toti, & regi à toto. hoc modô Remp. habere auctoritatem in singula membra. Ab hac radice per commissionem provenire omnino potestatem Politicam Imperatorum, Regum, Principum, Magistratuũ: & consequenter omnium eorum, qui ab his auctoritatem habent. Rempublicã liberam, per se & ex naturâ rei, habere potestatem regendi sui, & omnia sua membra: unde eam possit alteri committere, sive uni, sive pluribus, idque secundum varias limitationes & conditiones, prout ei visum fuerit.* Et à Deo quidem, tanquam primâ radice, provenire potestatem politicam scribunt: sed per naturalẽ institutionem rerum. *Hoc ipso enim, quo fecit singulos homines, sui juris, & dedit inclinationem ad vitam communem & politicam, censetur etiam dedisse communitati, quæ ex singulis illis junctis conflatur, potestatẽ regendi sui & singula sua membra. Nam naturaliter ex potestate singulorum sic in societatem vitæ coëuntium, resultat potestas communitatis, à communitate autem ulterius per*

com-

commiſſionem derivatur ad Reges & Principes, ab his ad officiales inferiores. Hoc ſenſu, dici poteſtatem politicam eſſe à Deo, non quod poteſtas Principum aut Republicæ ſit ex immediatâ Dei commiſſione, ſicut poteſtas ſummi Pontificis, ſed ratione inſtitutionis naturæ ſocialis, conficientis unum corpus politicum. Eadem habet alius: *Cum verò Reſpublica conſtituta eſt, in ejus eſt poteſtate regimen Monarchicum, vel Ariſtocraticum, vel populi politiam inſtituere, atque ita Reſpublica à Deo primò & immediatè, magiſtratus ab eâ deſignati, à Deo mediatè, à populo immediatè poteſtatem habent, quæ ex naturâ rei eſt tota in communitate primò & immediatè.* Iterum. *Cùm verò in unum corpus politicum homines conveniunt, non poſſunt impedire, quo minus ſit illa poteſtas inter illos; nam per modum naturalis affectionis & proprietatis enaſcitur. Quiſque enim natura ſuâ ad ſocietatem hujuſcemodi adeundam aptus eſt.* Liberales nimis ſunt Auctores in fingendâ poteſtate multitudinis: quam ſi realem, perſonali Principis contradiſtinctam, intelligunt; ſpuriæ Politicæ figmentum eſt, & monſtrum, in ſolas terras deportandum. Satis enim conſtat, hunc infeliciſſimum partum ab accuratis Politicis nunquam ſuſceptum, ſed expoſitum fuiſſe. Naturalis illa multitudinis poteſtas nulla ſanâ ratione probatur. *Partē naturaliter ſubeſſe toti, & à toto regi*, ſi regimen civile, quale tractamus, intelligas, inſulſiſſimus eris. Lapides, arbores, cum nomen *totius* gerant, *partibus* imperabunt. Proculdubio partes animalis bruti, toti ſuberunt:

ſuberunt. quis autem beſtiæ imperium aliquod verum adſignaverit? Ne homo quidem; alias poteſtatis capax, in ſua membra aliquod jus habet: quod non diſtincta ſint ab ipſo regente; ſed eundem componant & integrent. *Facultatem locomotivam* loco regiminis malè accipiunt auctores. Subeſt pars toti ad hoc, ut componat totum, & ſub toto comprehendatur: non ut obediat toti, & hujus imperium ſuſpiciat. Nunquam majori periculo expoſita eſt veritas, quam ubi æquivocis locutionibus, in tam ſeriis negotiis, circumſcribitur. Nullibi oſtenſum eſt, *imperium eſſe de natura totius*. Id vero hic probari debebat, quia nuſquam in anteceſſum probatum legitur. Nullo conceptu tã temerarium axioma aſſequemur. Nam ſi Toti in partes imperium ſit, in omnes partes hoc ſe extendat oportet. Si hoc ſtatuitur, nullũ habebimus imperans. quia imperium, toti naturaliter competens, ſecundum aliquam partem, cui primario inhæreat, competere debebat: ubi verò omnes ſubjectæ ſunt æqualiter, nulla participabit imperium. quod ideò toti non inerit. Adde, ſi alteri partium jam ineſſet imperium, falſum foret, quod toti in partes competeret regimen: quod illa imperans non ſubeſſet, ſed alteram regeret. itaque totum partibus non imperaret, ſed totius pars imperans ſubjectam dirigeret. Præterea hoc ipſum de toto in genere prędicandum foret. at ſupra n. IX. oſtenſum eſt, rem inanimatam, & irrationalem, haud eſſe capacem imperii. quod huc repetendum. Suſpecta igitur omnino eſt aſſertio, dum non omni toti affin-

gi

gi poteſt imperium. Si totum aliquod rationale ſubſtituas, imperium competeret, non quâ *toti*, ſed qua *rationali*. ſecus enim omnibus *Totis* fuiſſet proprium. At ne rationali quidem Toti domeſticum id eſſe, ſimiliter demonſtratum eſt: quod ſibi imperare nemo ſciat. Ita redeunt difficultates, quæ premunt ejuſmodi opiniones, ſupra relatas & rejectas. Et ſi naturaliter toti inerat, in Phyſicis ſub qualitatum ſerie in genere explicandum & demonſtrandum erat Imperium: quod apud nullum Peripateticorum explicatum reperies. Facilimum autem eſſet, ire per ſingulas qualitates animæ cujuſcunque, tum rationalis potiſſimum, & oſtendere, quam nulla ſit, quę imperium complectatur: corpus, iners materia, inhabile eſt, quod percipiat illud & exſequatur. Adeo non tantum datur nulla facultas naturalis, quæ imperii nomine veniat, ut ſupra diximus: ſed ne quidem adeſt ulla, quæ imperio ſubſit intrinſeco, ex totius naturâ reſultante. Falſum igitur principium, ex quo nihil ſinceri & ſolidi confeceris. Tranſeamus ad applicationem: modò id habeamus perſpectum, Civitatem, nominari aliquod Totum, niſi cum ingenti vocis abuſu, haud poſſe. Examinemus civitatem, nullam claſſem Totius ſequetur. Non eſt totum *eſſentiale*; non *integrale*; non *Perfectionale*, quo titulo ſolus Deus utitur: non *Poteſtativum*; quod Majeſtati proprie quadrabit. Totum *univerſale* haud eſt, quod generis nomine præciſè intelligitur, & ſpecies includit, aut individua. *Individuale*, nihil novi introducit, ſed ſub aliis latet, vel eſſentialibus, vel integran-

integrantibus: & cum *Universali*, peculiarem affectionem Entis ponit. Si *numerale* totum quacunque applicatione adducunt; multitudinem habent, quæ tantum abest ab Toto, quantum ab unitate. Quod *Totum*, utpote vera affectio, de Ente vero, in classe Rerum occurrente, affirmetur. *Multitudo* autem, qua talis, nullam seriem Rerum intrat, & ideo affectiones Entis non sustinet. Annotanda hæc erant ex severiori Philosophia, nec pigebit similia, si occasio postubabit, monuisse. ne improbis Sophistis superfit color, qui patrocinium aliquod videatur præstare. Nunquam enim vilis, aut pudendus labor existimabitur, qui contra tenebriones ejusmodi, obscuris terminis nocentes, accuratius splendorem Majestatis asserat; & quascunque technas & strophas, quibus imperitioribus illudere poterant, aperiat & repellat. Fallunt igitur duo præcipua fundamenta, *Totum habere imperium in partes*; &, *Civitatem esse totum*. Non magis firma sunt innitentia illis fundamentis. Rempublicam per se, & ex naturâ rei, habere potestatem regendi sui & omnia membra; obscurissimè dictum est. unde enim est, quod per se habet ingentem illam potestatem? Quæ est illa natura Rei, quæ eam confert? Dum singuli sui juris nascuntur, & ad vitam communem ac socialem inclinant; ego nunquam censuerim, communitati concessam potestatem regendi omnia membra. Non se mutuò consequuntur, amor societatis, & civile imperium. Apertius deducenda hæc erant,

rant,quomodo inclinatio ad vitam ſocialem effectrix ſit Majeſtatis. Naturaliter ex poteſtate ſingulorum,reſultare poteſtatē communitatis, abſurdiſſimè ac imperitiſſimè dictum eſt. Quis enim ex pręmiſſis hęc tanta colligat? Quis ſanus connexionem deprehenderit in illis: *Quicunque ſui juris naſcitur, & ad vitam civilem inclinat; ille in ſe habet poteſtatem, eandemque communitati tribuit*? Nemo inquam, ſanus arenam hanc ſine calce probaverit. Si quis ſui juris naſcitur, non ſuberit ſui ipſius imperio. qui enim ulli imperio ſubeſt, non eſt ſui juris. Aptus eſt colendæ ſocietati & is, qui obtemperat: quod ſi hæc aptitudo imperium confert, nemo natus homo ab imperio actuali excluditur. Nunc verò ſi omnes imperant, ubi ſubditi? Inſtitutio naturæ ſocialis ſupra congregationem nihil operabitur:quâ effectâ, quæſtio redit, unde congregatæ multitudini imperium? Singuli nec in ſe, nec in alios poteſtatem à naturâ habent: & ideò multitudini huic nihil conferunt.& ſi conferrent, à Deo reſpublica immediatè non haberet eandem.Statuunt: *Poteſtatem ferendi leges non modo à Deo eſſe,ſed etiam immediatè proficiſci.Nō eſſe poteſtatem,niſi à Deo.Id vero indicare, tum alios actus,tum verò punitionē,quæ eſt corporū, præcipuè mortis, quę homini non poſſit,niſi à Deo concedi.* Quæ ſi vera ſunt, ſicuti veriſſima, deleamus illa,*quod poteſtas ex naturâ rei totâ ſit in cōmunitate primò & immediatè.* Divellendæ ſunt tam repugnantes invicē,& contrariæ ſententiæ, ne commiſſæ altera alterā perimat.Si tota poteſtas eſt à multitudine, non debet legū ferendarū

jus

jus immediate Deo adſcribi, quod partem conſtituit Majeſtatis. Sin adſcribitur Deo legum poteſtas: multitudini immediatè non erit tribuenda. Probatio adjecta plura includit, maximè poteſtatem in caput ſubditi; quæ fundamentum eſt omnium jurium Majeſtatis, & facit, ut reliquâ ſuo modo ſe habeant; quæ ab hoc fonte congruâ derivatione deſcendunt, & quaſi compendio includuntur. Et nimis audacter vocabulo *naturaliter*, *naturalis affectionis* & *proprietatis* abutuntur. Multitudo non eſt ſubjectum naturale: & ideo naturales affectiones habere nequit. Recenſuiſſent illas naturales affectiones in Politicis, & materiam refutandi haberemus: nunc, quia ſatis habent, inani ſono decepiſſe lectorem, nobis quoque abundè erit, errorem indicaſſe. Si declaraſſet CONZEN, quare non poſſint impedire coëuntes in corpus politicum, quo minus ſit illa poteſtas inter illos; pluribus in ea pugnaremus.

XIX. Recentior illa explicatio eſt, quæ totam rem ad voluntatem, & ſpontaneum ſubjectionis pactum devolvit. Accipit civilem facultatem princeps *ab ipſa Republicâ, ſeu toto cœtu civitatis, in certum ordinem coëunte.* non quaſi ante ordinatam per principem rempublicam, apud populum reſederit, & nunc collata imperatori ceſſerit: ſed quia tota multitudo ejus arbitrio ſe permiſit, *& certo pacto ſub poteſtatem, ſive unius, ſive plurium, ultrò conceſſit. Res tota eſt voluntatis, & voluntarii pacti. Sic uxor, quæ non habet poteſtatem maritalem, illam marito in ſe concedit: milites imperium, quo ipſi*

non

non armantur, duci committunt. Liber antea erat populus ab omni superioris imperio: sed ultro concedit in obsequium principis, cui jus supremum sic permittit, ut neminem agnoscat superiorem. Idem docet THOMAS HOBBES in suis Politicis. Homines *hostilis* violentiæ metu cogi in civitates, & ut propria sit ac constans quies, Consilio alicui, seu Senatoribus, de re communi consultantibus, vel uni alicui deferre omnem potestatem de Republicâ statuendi. Illam potestatem pacto acquiri scribit, dum singuli voluntatem suam submittunt universæ Societati, aut eminentibus illis Senatoribus, aut denique Principi: & illud agunt, ut habeat vim cogentem in singulos, qui voluntatem suam expresso consensu & pacto subjecerunt, ut nolint aliter velle, ac superior jusserit. Plausibilis prima fronte hæc est sententia; sed quam admittat ille, cui integrum est, speciosa pro veris atque compertis agnoscere. Perniciosa enim eadem deprehenditur, si penitius introspiciatur. Scilicet hoc ipsum est, quod seditiosam plebem pestilentissimo instrumento armat, ut quoties displicuerit rex, aut subjectionis aliqua conditio cessaverit, mutet voluntatem, & illum deponat solio. Immobile fundamentum est, posse dissolvi vinculum, quod libera voluntas colligabat sola, quoties ex alterâ paciscentium parte aliquid fuerit non impletum. Quicquid enim solo pacto colligatur, si altera pars contrahens, promissis non stet; altera impune solvetur obligatione. Ideoque si Princeps contra subditorum utilitatem aliquid designaret,
cessaret

sensus subditorum: & necessariò aliud principium quærendum, cum bello subjugantur subditi; aut paterno solio insidet hæres. Dubium hoc reddidit *Adamum Conzen*, qui cogebatur priorem casum excipere, licet per quandam naturæ necessitatem, populum auctorem Majestatis asseruisset. *Quod si tamen Regem revelatione, & jussu suo Deus constituat, aut legitimè aliquam Rempublicam Rex quispiam bello subdiderit, potestatem à populo non dicetur habere.* Lib. v. Polit. c. VIII. §. 5.

XX. Majorem applausum mereri videtur assertum, collationem Majestatis tribuens *homini, qui habens verum imperium, hoc in alium transfert.* Cujus exempla haberi queunt, quoties Imperator Romanus Reges creat, Vasallos regio titulo ornat, aut plane dimittit à sua potestate. Item quando filium successorem declarat, eidem vivus regnum tradit: tum quando Politia mutatur in Monarchiam. Qui Romanæ Reipublicæ formam describunt, & Imperatorum potestates tradunt, unanimi asseveratione Cęsari jus creandi Reges adsignant. Quod de regno Daniæ, Bohemiæq; testantur Scriptores laudati Dn. CARPZOVIO, *in Comment. de Lege Regia Germanorum*, *Cap.* III. *Sect.* XIII. *n.* 13. *Et* Dn. LIMNÆO, *in Iure Publico, Lib.* II. *cap.* IX. *n.* 18. De Regibus Cypri & Armeniæ, coronatis ab Imperatore Germanorum, Henrico VI. ex *Arnoldo Lybecensi* aliqua annotavit celeberrimus CONRINGIUS, cap. XVI. *de Finib. Imper. Germ.* p.m. 304. Nemo negaverit, Imperatorem habuisse Majestatem: & coronasse

hos, illis honores regios circumfudiſſe, hiſtoria loquitur. quare dicendum pariter videtur, ab Imperatore collatam fuiſſe Majeſtatem. Et occurrunt antiquæ Romanæ exempla Reipublicæ, quæ ſceptra & diademata dono mittebat Regibus, quoties iiſdem poteſtatem regiam confirmabat. Verùm dicta exempla non admittunt regulam unam. Diverſum à reliquis judicium poſtulat coronatio Regis Cyprii & Armenii. Jam ante in ſuis regnis erant conſtituti ac confirmati à Deo, & obtinebant adeò imperium, non demum à Cæſare impetrandum. Expetierunt tamen coronationem, non ut acquirerent Majeſtatem: ſed eum conſequerentur honorem; Imperatorum judicio ſe dignos æſtimatos fuiſſe, qui regnarent. Approbatio igitur potius honorifica & benevola, quam collatio hîc apparet: aut intelligitur ſimul quæſitum arctioris ſocietatis vinculum; quod *Clientelæ* ſub occidentali Imperio mentio fiat. Quod ſi aliquid præſtitæ benevolentiæ repoſuerunt, cultus id fuit, quo ſolemus potentiores ſocios proſequi: aut obſervantia, quâ inæquali fœdere comprehenſi ſuperioris Majeſtatem comiter habent. Nam de verâ ſubjectione, & ejus effectibus, omnino tacent rerum conditores. Nec Coronatio ſola imperium confert: aliàs Pontifex Romanus, priſtinis temporibus diadema imponens Cæſari, & nunc ſive Moguntinus, ſive Colonienſis Elector, cauſſæ Majeſtatis haberentur. Coronatur Galliarum Rex ab Epiſcopo Rhemenſi: & tamen eum immediatè à Deo habere

bere poteſtatem, regni comitiis deciſum eſt. In reliquis ad varias circumſtantias acriter intendendus animus, & facilè patebit, à rebus diſtinguenda nomina eſſe. Regum Bohemiæ conditio, qualis tum temporis fuit, quando ab Imperatore conferebatur titulus, ſatis convincit, non habuiſſe eos Majeſtatem, ac proinde nec poſſe auctorem laudare hominem. Milites erant, ſeu Vaſalli Imperii, eô ipſo, quo Bohemiæ Reges. in vulgus autem notum eſt, militem, ſeu Vaſallum, qua talem, non obtinere Majeſtatem. Regii nominis axioma, ob virtutis excellentiam, & meritum conceſſum, mutabat quidem appellationem, non priſtinum obſequium. Neque enim alii fini militabat id ipſum munus, quam ut conſpectiores reliquis principibus, & digniores haberentur: non ut ſubtraherent ſe Imperatoris arbitrio. Sentiunt aliquando honorum incrementum homines, nullâ potentiæ majoris acceſſione. Ita in Romanorum liberâ Republicâ Princeps Senatûs dicebatur; non aliâ prærogativâ reliquos Senatores præcedens, quam primæ ſententiæ declaratione. Adhæc ſubjectionem dictorum Regum evincebant plura. Ipſa ditionum, quibus præfecti hi tales, inauguratio, impetranda à Cæſaribus erat. Tabulæ FRIDERICI II. Cæſaris, anno MCCXII. exaratæ, diſertè cavent: *Quicunque ab ipſis in Regem electus fuerit, ad Imperatorem accedat, Regalia debito modo recepturus.* Quotieſcunque etiam comitia Imperii fuerunt inſtituta Bambergæ, Noribergæ, & Mers-

burgi, Reges teneri in curiâ comparere, si vocentur: trecentos itidem cataphractos submitti à Regibus debere Romam; coronæ Cæsareæ caussa profecturis electis Imperatoribus, observat Cl. CONRINGIUS. *de Fin. cap. XIX.* Quæ omnia satis testantur, talium regum conditionem eandem fuisse cum reliquorum Ducum ac Principum, majestatem non habentium, & Imperatori subditorum. Ex GOLDASTO discere est, Tom. I. Const. Imp. p. 305. Imperialia testari diplomata, Fridericum II. de consilio Principum, Ducatum Austriæ & Stiriæ, cum pertinentiis, effecisse regnum. Cessare tamen iterum potuit ea dignitas, ut Principes Austriæ hodiè Archiducum nomine veniant, non Regum. Eandem sortem Danos mansisse, quæ Bohemicorum fuit, tradit laudatus ille CONRINGIUS. Postquam enim *Henricus Auceps* regem *Worm* (aliis *Wurmo*, seu *Gormo*, item *Grom* dicitur) profligasset, & *Otto Haraldum* devicisset, imperata tum facere, & regnum à Germanis suscipere coacti fuere Daniæ Reges. Quamvis etiam id jugum, sive *Suenone* potito rerum excussum; sive à *Cunrado* Cæsare remissum sit *Canuto*: imposuit id ipsum tamen iterum *Lotharius Nicolao*, & filio ejus *Magno*; quem in gratiam eâ conditione recepit, *si Romani Imperii militem ageret.* Ipse FRIDERICUS ad *Ottonem Trisingensem* scribit: *Rex Danorum Petrus* (quem Suenonem Historiæ gentis nominant) *ad curiam nostram vocatus venit, ac hominio ac fidelitate nobis facta, coronam regni de*

de manu nostra suscepit. De Evocatione pluribus agit OTTO FRISINGENSIS, lib. II. c. v. *de reb. gest. Frider.* & GUNTHERUS, *lib.* I. *Ligur.* Ex quibus facilè arbitrari possumus, creatum à Cæsare regem, nomen quidem, non rem tenuisse. Longè abest à Majestate Regiâ, evocari posse ab alio, ejus judicio & sententię se submittere, hominium & fidelitatem jurare. Dum igitur in his Regibus Vasallis Majestas non invenitur, Cæsares conferentes nomen regium, Majestatis Caussa nunquam æstimandi sunt. Interim non negamus posse Majestatem ab Imperatore, aut Rege, militi, seu Vasallo, non habenti, reverâ per coronationem permitti. Tali quidem modo, si conferatur, aut permittatur regius titulus; si vasallus reliquis solemnibus imperii insignibus decoretur, & superioris dominio tandem solvatur. Ita dicendum est, *Canutum*, Daniæ Regem, qui ex Antecessorum conditione obnoxius erat Imperio, beneficio Cæsareo, subjectionis nexu solutum, liberam accepisse Majestatem. Consequebatur enim absolutum imperii Danici regimen, postquam potestate Cæsaris esset liberatus. Omnia tum remittebantur tributa, omnia onera, præstanda imperio in signum obedientiæ. Ipsa illa firmata jurejurando fidelitas & hominium, exhibendum Imperatori, condonabatur: atque adeo Canutus, dimissus ex potestate Imperii, suique juris redditus, subditos, non ad provocationem alterius, sed proprium arbitrium regens, illibatam Majestatem consequebatur. Ut caussam

tamen Majeſtatis, exſerentis ſe in rege, ſtatuamus Cæſarem; nulla ratio ſufficienter concludit. Licet Imperator ſe non exuat omni ſibi propriâ poteſtate, eouſq; tamen potentiam ſuam deminuit, quatenus coarctatur territorii amplitudo, & egregia pars ſubditorum recedit. Hos eâ conditione dimittit ex ſuâ manu, ut præpoſito novo Principi ſubjiciantur. Qui majeſtatem quidem nanciſcitur beneficio ceſſionis & dimiſſionis: non tamen vel ceſſio, vel cedens acceptæ majeſtatis cauſſa eſt. Cæſar tantum in hoc negotio operatur, quantum in ejus manu eſt. Expedit Militem ſuum vinculis priſtinæ obedientiæ, quibus illigatur: quo ipſo ſubditus nihil conſequitur amplius, quam libertatem & immunitatem ab operis, præſtari ſolitis ſuperiori. Nihilo tamen minus accipit eô ipſo Majeſtatem Vaſallus, dum alterius arbitrio ſubtrahitur, Rex ſalutatur, & in terris ſublimiorem non agnoſcit. Solutio hæc & ceſſio, modus eſt congruus atque aptus, conſequendi imperium. Et abſurdum haud putaverim, qui ejuſmodi negotium inter Electionis nomina reponeret. Liberantur inferiores ſubditi à Juriſdictione dimittentis, ſub hâc lege, ut pareant recens electo Principi, quem Majeſtas deſignat, & talem publicè proclamat. Illud quippe videtur neceſſum, quoties Vaſallo permittitur regnum, ut vel conſentiant ſubditi, obtemperaturi novo Principi, aut Majeſtas dimittens Vaſallum, provinciam abſolutâ poteſtate, quoad determinandum ſucceſſore, regat. Quæ ſanè omnia electionis naturam ſapiunt. XX. E-

XXI. Evidentior videtur Majestatis collatio, quoties popularis status, in Monarchicum vertit. Quando *Iulio*, quando *Augusto*, permittitur rei Romanę summa: *& ei, & in eum omnis populi potestas confertur.* Caussa Majestatis Monarchicæ videtur populus transferens. Non jam negabimus populari Statui Majestatem: quod ipsum dubium præsens statim tolleret: sed concedemus vel ex abundanti, ut excusemus formulam loquendi, tot scriptoribus usitatam; *translatam eandem Majestatem, quam habuit populus, in electum principem.* Dicamus licet, Principem accipere omnia jura potestatis supremæ, quæ exercebat antea civitas: nihil quicquam tamen efficitur inde magis, quàm populum translationis auctorem esse, non imperii. Non statim aliquis caussa est rei, quam transfert. Manet enim hîc idem Majestatis translatæ conditor, qui primus erat ejusdem parens, quum populo concederetur. Verum translationem nullam populo largimur: à Deo potius immediatam traditionem proficisci dicimus, quando in Monarchiam mutatur popularis cœtus. Non sine urgentissimâ caussa ea conversio locum invenit. Ex suo ingenio ambitiosum vulgus est: & quicquid publici regiminis consequitur, tenacissimâ contentione retinet. At ubi civilis domesticique belli, aut seditionis pestis grassatur, aliave externa vis atque tempestas, ruinam civitati minitans, ingruit; cui declinandæ non sufficiunt vulgares Magistratus, nec aliud in manibus est, quod sartam & te-

ctam societatem præstet: cedit pristinâ administratione multitudo, & abdicat se regimine, alii designato conferendo. Hæc cessio, hæc abdicatio, non est novæ Majestatis caussa, sed possessi regiminis renunciatio, atque exclusio: multum operatura, si sistat personam aliam, capacem imperii, cœlitus dandi. Non tàm verba Auctorum attendenda, quam ipsa natura Rei. Non prius confertur imperium in Monarcham, quam ubi se abdicaverit suo jure Multitudo: eo ipso momento, quo se abdicat, imperium non habet, & ideò non transfert; sed eligit, qui à Deo accipiens potestatem, imposterum regnet. Eadem respondendi ratio locum invenit, in successoris denominatione, cum omnimodâ abdicatione: quoties Princeps vivus successorem constituit, & imperium eidem tradit. Quod Davidem fecisse Sacræ litteræ asserunt: & in Carolo V. tradente Philippo omnes ditiones Hispanicas, Ferdinando autem Imperium Romanum, observant Auctores. De quo negotio ita censendum. Provinciarum imperia abdicantur, jurata fides remittitur populis, ipsa Majestas ad primum auctorem redit. reducenda iterum, & communicanda designato heredi, electo ad hoc ipsum, illâ cessione & denominatione. Illustria sunt, & apprimè faciunt ad hujus loci declarationem, quæ DIDACUS SAAVEDRA scribit, *in Idea Principis Christiano-Politici. Symb.* XIX. *Tametsi ista regnorum faces communiter à Parentibus ad liberos transeant, illud tamen reges semper meminerint, à Deo se accepisse*

cepisse, eidemque suo tempore restituere debere, ut norint, cui acceptas eas referre debeant, & quam stricta de iis reddenda sit ratio. Ita fecit Rex Ferdinandus, cognomento Magnus (Mariana Hist. Hispanic. ix. 6.) *qui sub extremum vitæ spiritum, sic Deum fertur allocutus:* Tua Domine est potestas, tuum est imperium. Tu supremus es dominus super omnes reges, & omnia tuæ subsunt providentiæ. Regnum quod de manu tuâ accepi, tibi restituo. *Totidem penè verbis in eodem mortis articulo, usus est alius rex Ferdinandus, quem Sanctum cognominant.* Preclarè *Patres Concilii Parisiensis,* l. 2. c. 5. *Nemo regum à progenitoribus regnum sibi administrari, sed à Deo veraciter atque humiliter credere debet dari. Hi vero, qui à progenitoribus sibi succedere regnum terrenum & non potius à Deo dari, putant, illis aptatur, quod Dominus per Prophetam improbat, dicens:* Ipsi regnaverunt, & non ex me, Principes extiterunt, & non cognovi. *Ignorare quippe Dei, proculdubio reprobare est. Quapropter quisquis ceteris mortalibus temporaliter imperat, non ab hominibus, sed à Deo regnum sibi commissum credat.*

CAPUT II.

DE

IMPERIO IN PERSONAM.

I. *Iura Majestatis non sunt divisibilia.*
II. *Contextus jurium Majestatis.*
III. *Imperium in Personam.*

 IV. *Et*

IV. *Est fundamentum Legislationis.*
V. *Ius divinum Necessarium, & Positivum.*
VI. *Ius Gentium.*
VII. *Ius civile est hujus loci.*
VIII. *Legum distinctiones.*
IX. *Potestas Legumlatoria quanta.*
X. *Princeps nec naturali, nec divino universali, nec gentium jure solutus est.*
XI. *Sed civili tantum.*
XII. *Iurisdictio.*
XIII. *Extrema provocatio, Evocatio.*
XIV. *Comitiorum, & conciliorum coactio.*
XV. *Munerum onerosorum impositio.*
XVI. *Deductio in hostem.*
XVII. *Obsidum datio.*
XVIII. *Deditio nocentis.*
XIX. *Innocens dedi nequit.*
XX. *An tradi possit in matrimonium.*
XXI. *Talium fundamentum non est ordo Reip.*



Xtrinsecum illud & summum Principium, quod Majestatis naturam producit, contemplati sumus hactenus: nunc porro nos penetrabimus in intimiora, quę summi imperii essentiam absolvunt. JURA MAJESTATIS vocant communiter: quod nomen congruè retinemus; modò per *Ius* intelligamus *Potestatem* aliquam, in suo ordine summam, & *facultatem imperativam.* Nam qui JURA MAJESTATIS aliter conciperet, vocabuli sono in moralem, legum & Juris doctrinam abreptus, vehementer erraret, & diver-

diversissima opera indignè misceret. Jus igitur Majestatis perpetuò nobis potestatem aliquam summi imperii notabit. Et quamvis subinde *partes* vocentur *Majestatis*; id tamen ideò haud contingit, quasi Majestas aliquod totum essentiale, aut quantitativum sit, cujus distincta membra, & invicem conjunctæ atque conglutinatæ partes reperiantur: sed potius, ut distinctius saltem caperemus diversas operationes, quæ ab una essentia Majestatis procedunt. Hæc enim civilis potestas simplicissimam naturam habet, & longissimè remotam à tam crassa compositione, ut in distinctas, & separatas invicem portiones, scindi queat. Indissolubile suâ naturâ imperium est, & divisionis nescius contextus: nos mentali operâ unam eandemque rem, propter variam efficaciam, aliter atque aliter concipimus, & delineamus. Plures virtutes eminenti compendio Majestas complectitur: quas ubi in plura subjecta diffundit, alia sortiuntur nomina, cum tamen eandem ipsissimam facultatem designent. Similitudine liceat uti. Solis idem radius, & illuminat aërem, & calore viventia animat atque vegetat, humida exsiccat, duriora quædam liquefacit, pro capacitate & conditione scilicet objecti, in quod operatur. Non tamen propterea solis radium ex tot partibus componimus. Ut propius accedamus, consideremus Divinum imperium, cujus soboles Majestas est: extenditur illud sane in plura, cùm in Majestatem ipsam humanam validum sit; & universos homines, in

tot rebuspublicis, multiplici ratione gubernet: nullas interim constituimus partes, ex quibus coadunetur. Nullum jus Majestatis numerabis, quod Deo excellentiori modô non assideat: absurdissimus autem fueris, si ex his juribus, tanquam partibus, fabricare volueris aliquod totum imperium. Imitatur hanc indivisibilem naturam Majestas, & natales suos refert sincerè: ac propter operationem in diversum objectum, diversum sortitur nomen; suâ essentiâ una & indivisibilis.

II. Quousque se porrigat vis Majestatis, cognoscemus haud melius, quam si revocemus in mentem illa, quæ de *Caussa Majestatis* dicta sunt. Hoc enim fundamentum est omnis civilis imperii. Scilicet Deus Opt.Max. ubi per suam omnipotentiam, cuncta visibilia & invisibilia creasset, continuò imperium atque dominium supremum in hæc sua creata habebat, & secundum placitum regebat ac disponebat singula, tum universa. In hominem, natura rationali præditum, competebat *imperium*, propriè dictum: obligans Adamum ad exsequendas leges, à Deo præscriptas. In reliqua animata & inanimata *Dominium* se exserebat: cujus vigore liberrimæ dispositioni creatoris relinquebantur. Imo in universum hoc pertingebat Regimẽ, & Dispositio generalis, quę seriẽ totius tam concinnè temperabat, ut singulis benè esset, Consequebatur itaque creationis omnipotentiam, triplex (pro conceptu nostro potestas) *Dominium* in res irrationales; *Imperium* in hominẽ; *Regimen* universi. Ex singulari bene-

benevolentiâ creato homini concedebatur dominium in res fungibiles: ut iisdem ad vitæ commoditatem uteretur. Postmodum Adamo concessum est imperium in Evam: quæ deficiendo à Deo, & transgrediendo ejus præcepta, hanc quoque pœnam promerebatur, ut subjiceretur viro. Quum verò postdiluvianis temporibus augeretur subitò humanum genus, & in familiam quidem Patris imperium valeret; in ipsos autem familiarum Principes, ac universam multitudinem, regimen nullum competeret: magnificentior introducta est à Deo potestas, quæ terminos gentibus assignatos, ad modum universi, tanquam orbem quendam terrarum particularem, veluti Numen aliquod gubernaret. Introduxit quippe Reges, qui divinas subirent vices, & in designatam regionem, & commissum populum haberent jura, exercerentque, tanquam in sphæram suę civilis activitatis. Huic Vicario, & Pro-Deo, in partialem orbem facultatem attribuit similem illi, quam ipse habet in universum mundum. Cujus beneficio consequitur Princeps universę Reipublicæ Regimen, Imperium in hominem, & Dominium in regionem subjectam, seu Territorium. His enim absolvitur in se augusta Majestas: quæ dum omnia posse debet in civitate, tria illa necessariò complectitur. Repetenda sunt, quæ in doctrina de Caussâ Majestatis diximus; eo ipso dum Princeps Vicarius Dei est, tantum potest in civilibus dependenter, quantum Deus independenter

ter in universo potest. Ut autem melius perspectam habeamus summi Imperii civilis indolem, in operationes excellentissimas descendemus: pro numero quarum diverso, distinctas concipiemus potestates. sed eâ lege, ut unam & indivisibilem Majestatem cogitemus, cujus virtutes, tanquam diversæ partes, cognitionis caussâ, interim proponuntur. Cognoscimus autem operationes illas, quando Majestatem vel IN SE, & ABSOLUTE concipimus; vel in aliquali COMMUNICATIONE. In SE considerata Majestas, continet omnia, quæ summum in civitatem imperium exprimere queunt. Hoc imperium respicit & universam Rempublicā, & Partes singulares, imperanti subjectas. Neq; enim aliter fieri potest, ut universitas aliqua regimini subsit, quam si partes singulæ imperanti pareant. De *contextu* igitur, seu *cohærentia* Jurium Majestaticorum ita censendum est. Majestas primariâ notione, nihil aliud notat, quam *Imperium in caput civium*. Quatenus enim in caput & personam civium efficax est, eosdemque justis suis mandatis obligare potest, propriè dicitur Imperium. Hinc proximè surgit LEGISLATORIA. Propter imperium validæ sunt quælibet Leges civiles. Nisi caput pareret Majestati, frustra sancirentur jura. quare extra subjectionem viventi, obligationem nullam injungit lex. Quod si non obtemperet legibus subditus, præsto est Principis JURISDICTIO, quæ immorigerum civem judicat, damnat, castigat. Eidem Jurisdictioni adhuc subjacet, quam-

quamvis ab inferiori judice fuerit dimissus. nam si fuerit iniquè judicatum, PROVOCATIONI locus est. Surgunt ex hâc protestate in Caput, seu Imperio in personam, complura, quæ dispersa hinc inde sunt in aliis juribus; puta *comitia cogere*, *concilia vocare*. Hæc enim congregatio illi propria est, qui vocandi hominis caput regit. Ita cogi potest subditus, ut in *hostem tendat*, & periculosum in acie locum occupet; ut *Obses* proficiscatur, aut *Legatus*, ad gentem minus moratam; ut nocens *dedatur* hostibus. Verbo; hujus potestatis vigore imperari possunt omnes actiones, licet cum præsenti periculo conjunctę: modò in se licitæ sint, & contra divina jura non impingant. Hoc imperium in personam ordinariè consequitur DOMINIUM, in bona publica atque privata. Duplex hoc est, alterum in Territorium publicum, & ejus proventus publicos; in subditorum res alterum dirigitûr. Prius communiter *Fisci* nomine, & *Patrimonii* Principis indigitant. quò pertinent *Viæ*, & *Agri publici*, *Flumina*, *Fodinæ*, *Foresti jus*, & omnis generis *Venationes*; item, quæ ratione publicorum itinerum accedunt *Vectigalia*: & quæcunque res privatorum possessioni non sunt permissæ. Posterius vocamus *Dominium Eminens*: quod detur in res, quæ privatis possessoribus adscriptæ, & vulgari dominio adjudicatæ sunt. Nam quum Dominium privatum aliqua poteftas sit: non aliter datur in Republicâ, quàm cum subordinatione, qua locatur sub Dominium Eminens. ne scilicet fingamus potestatem ullam,

lam, Majestati non subditam: aut heterogeneas caussas effectis politicis assignemus. Dominii Eminentis extraordinaria operatio est *privatarum opum occupatio:* ordinaria, est *exactio tributorum*, quocunque nomine veniant; tum quælibet de dominio privato acquirendo, retinendo, amittendove dispositio. Postquã ita in singulorum civium personam ac bona Majestas potens est, non potest non complecti *universæ Reipublicæ Regimen.* nam qui singulis, & omnibus perfectè imperat; universum cœtum proculdubio regit. Quatenus autem in universam civitatẽ fertur Majestas, complectitur illa jura, quæ communiter omnium regimen, & vel *utilia*, vel *necessaria* promovent. Utilia publicè vix sub certam classem vocabuntur: quod pro diversitate populorũ, & ingeniorum differentiâ, alia atque alia sint. Sub exempli tamen ratione hic nominarem *Annonæ provisionem, Cursus publicos, Nundinas.* quod potestas in hæc talia oriatur, ex regimine in universam publicam rem. Quocunque alio nomine promoveri egregium publicum posset, sub hâc dispositione utilitatis continerem. Maximè autem necessaria & conspicua est universi dispositio, *Sacrorum, Belli, Pacis, Fœderum* jure ordinata. Hæc enim universam civitatem respiciunt, & ex regimine universali palã procedunt. Majestatis munus est, de quacunque re sacra, ad ductum divinæ normæ, leges ferre, Religionem, & verum cultum Dei ordinare; Bellum gerere; Pacem, ac Fœdera sancire: quatenus eidem integræ civitatis gubernaculum com-

competit. His præcipuis juribus tota machina civilis movetur. quæ Motio præterquam Motori summo civitatis, nemini permittenda eſt. Ea deinde urget neceſſitas, ut actu de his ipſe Princeps conſtituat; & nullo modo alteri permittat eorundem Sanctionem. Priora iſta, utilia, negligētior aliquis rex inſuper habebit: hęc Neceſſaria, niſi Rempublicam perditam velit, neutiquā juxta æſtimabit. Hæc tanta comprehendit Majeſtas in SE conſiderata. Id præterea habet commune cum divino Regimine, ut ſe pluribus modis cōmunicet ſubditis: quatenus hi communicandæ rei capaces ſūt. Fit hoc quoad *Dominiū*, quando ſingulis privatis rerū dominia permittuntur, Modi acquirendi à Majeſtate præſcribuntur, & in cōmunes uſus Moneta expenditur. Deinde cum Majeſtati ſumma dignitas adhæreat; per hanc confert omni varios gradus *Nobilitatis*. Præcipuū vero eſt, quod imperiū aliquod producit in ſuis, dum *Magiſtratus* inſtruit poteſtate, ad exercenda & expedienda jura, quibus omnibus pertractandis haud ſufficit Princeps. Tandem quoad poteſtatem & dignitatem ſimul ſeſe effigiat Majeſtas in *Legato:* qui Principem ubique, apud amicos & hoſtes, eximio invento politico exhibet. Nunc ſingula, qualia ſint, ſeparatim examinabimus.

III. IMPERIUM *eſt poteſtas in caput, ſeu perſonam ſubditi, cujus vigore Princeps injungere poteſt ſubdito quæcunque non illicita; & refractarium, & negantem obſequia duriori modo coërcere: & pro qualitate ac conditione peccati ultimo ſupplicio afficere.* In eo quippe imperiorum

periorum vis & substantia posita est, ut personam subjectam ad quælibet justa, sub pœnâ mortis, possint obligare. *Ius vitæ ac necis* vulgò nominant: in quolibet imperio repertum. Observamus enim, potestatem hanc naturalem esse omnibus imperiis. Supra vidimus, imperium maritale, paternum, herile, includere facultatem in caput uxoris, filii, servi. Cum autem civile & Majestaticum imperium omnes has potestates complectatur & superet: vero consonum est, in eò multo magis hoc jus latere. Quisquis contra senserit, experimentum ipse capiat, scrutando naturam imperiorum: re ipsâ docebitur, omnem efficaciam, & animam imperiorum extingui, si potestatem in caput, quæ jus vitæ ac necis complectitur, removeat. Fieri nullo potest modo, ut intelligatur imperium, sine facultate coactivâ, quæ potestatem in personam notat. Omnis enim imperii virtus in eo consistit, ut compellatur subditus, si imperanti non fuerit dicto audiens. Tollatur hæc compulsio: inane nomen erit imperium. Quin istud semel observamus, vix ullum jus Majestatis reperiri, quod vim suam non mutuetur tandem à Potestate in caput subditi: quæ adeò per reliqua est dispersa, ut separari inde haud possit. Frustra leges promulgarentur, nisi esset subditum caput, quod easdem observaret. Idem circa alia, etiam universalia jura observandum, quibus nunquam non hoc fundamentum opitulatur.

IV. Principium ergo omnium jurium, quæ
in

in Rempubl. valent, eſt jus, ſeu poteſtas in caput ſubditi. Cui innititur omnis NOMOTHESIA; tum ſpecialis, quæ perſonam & actiones ſubditi concernit, & mores diſponit, ac definitè in ſubditum directa eſt: tum generalis, de quacunque civili re aliâ. Niſi enim obnoxium foret caput parentis imperio Superioris; nunquam hic conſtitutionibus ſuis & ſanctionibus illud ſibi devinciret. Hinc enim profluunt omnes leges, quæ ſubditum ligant, ut aliquid faciat, vel omittat. Maximè circa res ſuâ natura indifferentes: quæ ſine præcepto Majeſtatis, nec in bonum, nec in malum morale feruntur. Quale illud interdictum Salomonis, ne Simei tranſiret torrentem Kydron, niſi ultimo ſupplicio vellet affici. Cui affinis eſt vetita tranſcenſio murorum; apud Romanos, Germanos, & alias pleraſque gentes, capitali puniri ſolita judicio. Ea indoles eſt hujus juris, ut res intrinſecè non malæ, ſub pœnâ capitalis ſupplicii poſſint prohiberi. Plurima exempla in Romanarum legum corpore occurrunt, quæ hunc fontem agnoſcunt: & modò habitum veſtimentorum determinant, modò definiunt mores, aut conventiones civium limitant, ſive quaſcunque tandem operationes ordinant. Omnium ac ſingularum auctoritas proficiſcitur à Poteſtate in caput: cujus virtute voluntas ſubditi, quæ cauſſa eſt actionum civilium, aliarumque liberarum, regitur ad arbitrium Imperantis: & niſi obediat, animadverſioni ejuſdem ſubjacet. Non obiter, ſed attentâ accuratione exaudienda

ſunt

ſunt verba Supremi Numinis, uſurpata in formulâ, quâ Imperium in Evam Adamo aſſignatur; ubi ſignanter Evæ *voluntas marito ſubjicitur.* Quod omni imperio eſt naturale & perpetuum. Juſtum commentarium implere-mus, ſi, quouſque ſe Nomotheſia in animi ſubditi bona exſerat, & omnes effectus alios hujus poteſtatis, ſigillatim vellemus perſequi. Primũ locum ſibi vendicat hæc facultas: quod videatur omnia reliqua jura ambitu ſuo complecti. Omne enim Principis verbum, legem ferè cenſendum eſſe, benè intellexit, quiſquis dixit; Legis vigorem in civilibus obtinere, *quicquid Principi placuit.* Confuſionis tamẽ vitãdę cauſſâ, Nomotheſiã ab aliis Iuribus ſeparabimus: cujus contemplabimur *Objectum*, & *Poteſtatem ipſam.* Objectum Legiſlatoriæ eſt LEX, ſeu Ius: de cujus indole, cum diverſa genera legũ aliàs contineat, non inutili, nec intempeſtiva, credo, digreſſione impræſentiarum diſpiciemus.

V. In genere dicimus, *Ius eſſe regulam actuum moralium, obligantem ad id quod juſtum eſt. Obligatio* eſſentiale quid Legis eſt, & hâc actiones diriguntur, quæ expreſſè mandatæ, vel prohibitæ ſunt. Nam *Conſilia*, & *Permiſſiones*, quia in utramque partem propendent, nec obligationem inducunt, nec regulæ neceſſariæ ac cogentis vices ſuſtinent, hîc non attendimus. Dividimus Jus in DIVINUM, & HUMANUM. DIVINUM vocamus, quod auctorem habet Deum. Eſtque vel *Neceſſarium*, vel *Voluntarium*: illud *Naturale*; hoc *Divinum* in ſpecie, ſeu *poſitivum* ſalutatur. HUMANUM reſpicit vel Gentes

Gentes universas, invicem sibi obligatas; dicitur Ius GENTIUM. vel certum populũ, superioris legibus devinctum; dicitur Ius CIVILE, quod hujus loci est. *Ius Divinũ Necessarium, seu Naturale, est habitus connatus, suggerens principia practica, quæ actum moralem honestum præcipiunt, turpem vetant.* Satis accuratè CICERO. L. I. de LL. *Lex est ratio summa, insita in naturâ, quæ jubet ea, quæ facienda sunt, prohibetque contraria.* Non erraverit, qui dictamen illud rectę rationis, particulam quandam, & *reliquias imaginis divinę* dixerit. Sanctitas enim divina sui imaginem & effigiẽ imprimit humanis mentibus: & benevolâ indulgentiâ illã largitur intellectui nostro regulam, quam sibi pręstat ipsa. Quare & *Sanctitatis Divinæ idea*, non absurdè appellabitur. Unde facile patet, subjectũ Iuris Naturalis non esse nisi naturam intelligentem; aptã natã participare expressum sanctissimæ Legis instar. de quo jam alibi prolixè. Hujus Legis duo sunt pręcipua attributa, *Immutabilitas*, & *Evidẽtia*. *Hæc* in eo posita est, ut perceptis saltẽ terminis, sine prævià ratiocinatione, assentiatur animus affirmanti: aut quærenti respondeat, sine hallucinatione, in alteram contradictionis partẽ inclinans. Unde colligitur; ea nõ esse juris naturalis, quæ per impeditas & difficiles conclusiones demũ rationi rectę conformantur. Cautè tamẽ hîc versandum est, ne consuetudinẽ pro naturali judicio acceptantes, decipiamur. *Immutabilitas* alterum indicium hujus Juris. Cum enim Recta ratio, quam Naturale Jus, vel includit, vel ingreditur, originem suam cœlitus agnoscat,

&

& ad Divinam Justitiam referat; hæc verò immutabilis sit: necessum est, imaginem & instar ad sui prototypi rationem accedere. Secus enim contradictorium quid à Deo sanciretur, & Divina Justitia atque Sanctitas, variationem in pejus ac iniquum pateretur. *Ius Divinum Voluntarium*, seu Positivum est, *quod Deus Israëlitis dedit observandum, & in Sacris Litteris consignatum est.* Hoc naturalibus præceptis contradistinctum, commodè distribuitur in *Forense*, & *Ceremoniale*. Quorum illud in judiciorum forma, actionum civilium moderamine, pœnarum irrogatione, & similibus politicis negotiis consistit: hoc in Sacris, sacerdotiis, victimis, & quæ typum aliquem venturi Messię prælucebant, occupatur. Quod hodie, præsenti corpore, antiquatum est: cùm isti adhuc locus in judiciis nostris & Rebuspublicis pateat.

VI. Jus Gentium similiter à ratione naturali inter omnes gentes constitutum esse dicitur. eô discrimine; quòd jus naturale in simplici, & apertâ justi notitiâ consistat: Jus Gentium circa negotia, jure naturali non determinata, cum discursu, & quadam disputatione versetur, & per præmissas inferat aliquam conclusionem. Sed non satis explicant objectum hujus Legis, qualia sint illa Negotia, jure naturali non determinata. Nec enim omnia huc trahenda erant. Et quę naturalis ratio colligit, cum ex principio aliquo, & præcepto Juris naturalis deducantur, Conclusiones sunt Juris naturalis, non statim objectum

Juris

Juris Gentium. Cæterùm circa obligationis caussam variè disputatur apud Doctores. Plerique Jus Gentium *à Consensu populorum* & ortum, & vim obligandi accepisse, tradunt. Sed cum interim non ab omnibus observari cernerent, moratiores saltē constituunt caussam hujus juris, quorum præsumitur consensus. Quare GROTIUS putabat, *in unâ parte orbis terrarum frequentari jus Gentium*, lib. I. c. I. n. XIV. d. J.B. & P. *quod alibi non est usitatum. exemplo captivitatis & postliminii*. Sed hîc pręcipimus verbo, quod infra notabimus: *plura dici Iuris Gentium, quæ reverà illud non attingunt*. Servitus, Moneta, plurimi Contractuum, ad Jus Gentium vulgò referuntur, quæ nihil de naturâ ejusdem participant. Certum quidem est, Juris Gentium sancita, quadam ratiocinatione confici, & consensu populorum stabiliri: sed illud simul notamus; non omnem statim ratiocinationem, ex principiis naturalibus deductam, Jus Gentium efficere. Poterant aliquæ longius esse petitæ: poterant non spectare ad societatem populorum. Latet enim ingens ambiguitas in Juris Gentium vocabulo. Significat aliquando id, *quod pluribus populis, ob aliquam commoditatem placuit*; sed non sub formulâ alicujus obligationis. non raró in sensu propriissimo, illud notat, *quod mutuam obligationem complectitur*. Ipsa caussa Obligationis à consensu peti nequit. Consensus enim solus exiguam populis inducit obligationem, quia non est universalis: quia incertum, num plerique consenserint tam arcto vin-

vinculo: quia denique indubitatum, posse mutuo dissensu iterum solvi, quod solo consensu colligatum erat. Sed perpetuitas juris gentium, & obligatio, omnes stringens, inducens observantiam, vel pœnam, fixum aliquid, & mansurum postulat. Putarem igitur, verum, & strictè ac propriè sic dictum Jus Gentium, in eô positum esse, ut gentes obliget singulas, quà Gens sunt. Sicut Jus Naturale est, quod homines instruit, & dirigit: Jus civile, quod cives, & subditos devincit: ita Jus gentium dicendum erit, quod plures populos in publicis commerciis ligat. Quare non dixerim, *Gentium moratarum solum esse:* cum omnes, etiam barbaras, obstringat. nam si contraveniant illius scitis, subjacebunt pœnæ, quòd contra-jus gentium fecerint. Fundamentum autem obligationis, non quæsiverim in præsumto consensu populorum, qui incertus & mutabilis: sed in ipso contextu Rerumpublicarum, & Sanctimonia Imperantium; quæ nec in se, nec in suis temerari debet. Hoc fonte, & bellorum solemnitates, & Legationum jura, & alia, quæ Rempubl. concernunt derivantur. Adeoque Gentium Jus est *regula quædam Actuum publicorum, qui diversis gentibus, quà gens sunt, intercedunt; dirigens populorum ad invicem operationes, in communem Justitiam, & omnium tranquillitatem.* Verùm de his alibi.

VII. Jus civile est *quod Majestas in civitate proprium constituit, pro usu & conditione Reip.* Cùm enim Jus Gentium ad exteros spectaret; Jus

Jus Naturale verò non sufficeret omnibus actionibus, & negotiis, quæ ingenium humanũ adinveniebat: necessariò quędam erant instituenda, quæ mores civitatis dirigerent, & utilitatem promoverent. Multa enim incidunt, quæ diversas Sanctiones flagitant. Temporibus, hominumque variis ingeniis servire, vel potius, scienter imperare, planè politicum est. Hæc de Legum, seu Jurium differentia, præmuniendæ cognitioni erant supponenda. Hîc potissimum consideramus Leges, ex jure humano merè voluntario, hoc est, civili natas. Naturales huc non pertinere; satis certum est. Gentium Jus non subjacet Majestatis arbitrio: nisi quando impropriè dicitur. Remanent igitur leges civiles, quæ de talibus constituunt rebus, quarum natura indifferens est: hoc est, quæ neque justæ, neque injustæ intrinsecè sunt; sed post legem latam ad utilitatem Reipublicæ, jubendo fiunt justæ, vetando injustæ. Quare ante promulgationem neminem obstringunt; post eam, omnes subditos. Negari equidem non potest, Naturalia quoque præcepta occurrere: ea verò *confirmativè* potius, & *approbativè*, quàm *effectivè* sanciuntur. Unde *legis naturalis præceptum, à præcepto observationis*, quod plerumque in transgressorem certam pœnam sancit, discernendum est. Exempli caussâ; Blasphemiam damnat Jus Naturale; prohibet eandem legislator: non quasi tùm primum sanciatur interdictum in civitate; sed ut Juris Naturalis assertum observetur à civibus, repetitur illud,

& in transgressores certam pœnam definit. Itaque lex de supplicio blasphemorum civilis est; prohibitio blasphemiæ, naturalis. Lex igitur civilis propriam & domesticam sedem hîc habet: quam describimus per *Jussum Majestatis, definiens quâ ratione unumquodque in civilibus agendum sit*. Non probamus illorum sententiam, qui legis esse putant, tantum *persuadere*, non autem *cogere*. Quam in sententiam citant *Platonem*, lib. I. de LL., & *Diodorum*, lib. I. Biblioth. ubi reprehendit barbarorum leges, *quod magis punire, quàm docere videantur*. Adferunt quoque *Xenophontem*, lib. I. de Instit. Cyri, laudantem Persarum instituta, *quod non ut cæteri, de pœnis, criminibus constituendis, soliciti sint, sed multò magis caveant, ne qua apud ipsos scelera perpetrentur*. Quod si vim coactivam legibus adimas, vanum nomen erit auctoritas Juris: nec differet à consilio, quod licitè omittitur. Illud obiter notamus; non satis accuratè locutos esse, qui primis temporibus Reipublicæ Romanæ leges denegant, eam ob caussam, quod manu regiâ omnia tunc fuerint administrata. Nam Principis jussus, licet in scripturam certo ordine non fuerit concinnatus, lex est. Nisi ad sensum Romanum, specialissimè legem dici velint, quæ ab universo populo sancitur. quo stricto significatu in præsenti non accipimus nomen; sed pro jure civili, à quocunque latum sit; modo lator habuerit Potestatem Nomotheticam. Ita Romulum condidisse Jura suis novellis civibus, auctor est LIVIUS.

Et

Et fragmenta proſtant legum, quas priores Reges Romanorum promulgarunt. Manet ergo juſſum Majeſtatis Lex. Poteſtas enim Legiſlatoria, quaſi effectum quendam producit, quando ſe diffundit in legem, & efficaciter jubet, quid fieri velit. Hoc juſſum commune id habet cum omni jure, ut ſit *regula faciendorum*, quæ dirigat operationes civiliter morales. Huic directioni ineſt obligatio; quę eſt de eſſentia cujuſvis juris. Alias non diſtinctum quid eſſet jus à conſilio. Dirigit conſilium actionem; ſed ſub nullâ ſpecie obligationis: quæ ſolius & omnis legis perpetuum quid & eſſentiale eſt. Nec putandum, obligationem demum ſubſequi legem, & legis conſtitutæ eſſentiam, tanquam effectum aliquem comitari: intrinſeca quippe natura legis conſtituitur per obligationem; & rectè formalis ratio cujuſque Juris ponitur in *præſcripto obligatorio*. Hinc facilè dijudicari poteſt, quid arbitrandum ſit dę *Iure permiſſivo*, quod in omnium ferę ore eſt. Quia in neutram partem inclinat, & ad nullum contradictionis effatum adſtringit ſubditos, ſed permittit utrumque: jus non eſt, ſed abſentia juris prohibitivi. Imo toto genere à Lege diſtat hoc negotium. Jus enim eſt regula, eſt certa norma: ſed ubi licet agere ſecundum beneplacitum, ibi regula nulla præfixa eſt. Eadem cenſenda ſunt de Suaſione juris Naturalis, quando nonnulli matrimonium dicunt eſſe *Iuris Naturalis Suaſorii*. Suaſio eſt conſilium: quod diverſiſſimum eſſe à Jure, ſatis vident, qui primam definitionem

 dici-

didicerunt. Quoties autem *permissio* denotat *facultatem aliquam faciendi*; concessio plerumque est alicujus potestatis: & ex aliis capitibus judicari debet. In tempus obligationis solicitè inquirunt Politici, quando lex incipiat obligare. Et consentiunt hactenus ad unum omnes, promulgationem requiri ad ipsam essentiam legis, ut vim obligativam habeat. Si enim regula est actionum civilium; innotescere debet illis, quibus directionem præstare debet. Si jussum est; alicui debet insinuari. Absentem non jubemus aliquid facere: nec absens & ignarus obligari potest. Jure Romano aliquando præfiniti erant duo menses, quibus elapsis promulgata lex obligare demum incipiebat. ut nimirum possit in notitiam omnium pervenire. Quanquam in universum tempus statum non definiatur in Politicis. Quid enim si regni angustiores termini sint, ut intra brevius spatium innotescere possit jussum Principis? non desiderabimus illud intervallum duorum mensium. Quod si nullum tempus præfixum sit, statim post promulgationem scientes devincit. Unde consuevit iste mos observari in nonnullis locis, ut sacratissimæ leges de suggestu & cathedra templi prælegantur, aut in curiis per campanam congregatis civibus promulgentur. Antequam verò à Principe promulgata lex est, nondum est lex: sed conceptus de lege constituendâ, si vel maximè concepta jam verba sint, & in scripturam redacta. Tunc enim in Fieri lex est, quæ complementum suum accipit, & consumma-

summationem perfectæ naturæ, quando promulgatur. Lex enim respectivum vocabulum est, quod imprimis ad inferiorem refertur, quem obligare debet.

VIII. Variæ sunt distinctiones Legum, quæ passim adferuntur ab Auctoribus. sæpe exiguum discrimen divisionem subministravit. Hinc repertæ leges *Scriptæ*, & *non scriptæ*; *affirmativæ & negativæ*. Prioris generis illæ dicuntur, quæ scripturâ comprehensæ sunt; Non scriptæ, quæ vivâ voce in publicum promulgantur. Verùm quia confusio Legum & Consuetudinis facilè potest inde oriri; satius est, eam distinctionem non attendere: imprimis cum ab extrinsecâ promulgationis formâ, quæ essentiam legis non tangit, petita sit. Scriptura nihil quicquam confert legi. Nam priscos Germanos habuisse leges, cogit nos credere Historia: quæ tamen negat, in scripturam illas fuisse redactas. De Celtis idem fama perhibet; affirmans, utriusque populi jura consuevisse cantari. Quod *Aristoteles* quoque de aliis notat, in *Problematibus*, sect. XIX. Qu. XXVIII. *Cur*, inquit, *leges pleræque* ODÆ, *seu* Cantilenæ, *appellantur? An quòd homines priusquam literas scirent, leges cantabant, ne eas oblivioni mandarent? Quod & nostris temporibus Agathyrsis in more est. Ergo primas posteriorum quoque cantilenarum eodem appellarunt nomine, quo omnes superiores vocabantur.* Quod attinet posteriorem distinctionem, in *Legem Affirmativam*, & *Negativam*, usum habet in rerum momentis nullum: & ideò

ideò citra periculum, & notam imperitię, ignorabitur. Nullum enim tale discrimen in naturâ legis occurrit: & nullam difficultatem vana divisio tollit. Sunt qui legem distribuant in *Naturalem, Civilem*, & *mistam ex utraque*. Tolerabili utcunque distinctione: modò convenienti in sede id facerent, ubi de Jure in universali agitur. Hîc naturales excludimus leges: quia sub definitione legis civilis, cujus species in divisione proponendæ erant, non comprehenduntur. *Legem* quoque *fundamentalem* hic tractant Auctores, quæ modum imperandi præscribit. Sed ex Legis descriptione non surgit hæc distinctio, ut lex aliqua sit *Fundamentalis*, vel *non fundamentalis*. Tantum abest, ut Imperantis potestas legem fundamentalem, tanquam proprium effectum, producat, ut potius illâ coërceatur, & quodammodo deprimatur. Ex occasione quidem Mistæ Reipublicæ, quam vocant, seu limitatæ Majestatis: hoc est, cujus exercitium aliquo modo per pacta solemnia circumscriptum est, lex fundamentalis tractari posse videtur. dum Ordines nimirum Principem, vel seipsos mutuis obstringunt conventionibus, ut neuter absolutè aliquid valeat efficere. Quanquam in simplici Republicâ, nihilominus locum invenire dicatur, quoties modus habendi imperium, quacunque ratione limitatus & restrictus est. Attamen quia fundamentales hæ leges, propriè leges non sunt, sed pacta; & hic nobis cum Republicâ mista, aut limitato modo habendi Majestatem, nihil commercii

sit;

ſit; & confuſionibus ingentibus ſternatur via, ſi ſimplicior quis veram legem eſſe crediderit fundamentalem: è re veritatis facere cenſendi ſunt, quotquot pactionibus illis Principum, & Ordinum, Legis nomen detrahunt, & totam rem ex doctrinâ de Poteſtate Legiſlatoria ablegant. In legem *juſtam & injuſtam*, admittendam eſſe partitionem, plurimi putant. *quaſi ad legis naturam injuſtitiæ vitium concurrere poſſit, non aliter ac Reipublicæ bonitas & corruptio, eſſentiam ejuſdem non variet. quaſi generaliter concepta lex in utrumque inclinet: & malitiam non minus, quàm bonitatem moralem, ſuſtinere poſſit.* Sed ſi per injuſtam legem capias illam, quæ jus Naturale, divinum, aut gentium oppugnat: dicendum eſt, legem non eſſe legem, ſi injuſta fuerit. Nam eſſentia legis ceſſat, quæ in obligatione poſita eſt. Leges autem, contra honeſtatem latæ, ſubditos non obligant. Hinc PLATO in *Minoë* ſtatuit, *eam ſolam eſſe Legem Regiam, quæ recta eſt; non rectam verò non eſſe legem.* Et AUGUSTINUS, lib. I. cap. V. *de lib. arbitr. Mihi lex eſſe non videtur, quæ juſta non fuerit.* hoc eſt, quæ contra dicta jura impingat. Nam cum in civilibus res indifferens verſetur, non poteſt injuſtum civile committi, niſi à ſubdito. Princeps quamcunque propoſitionem ſanciat, juſtum ſanciet, ex auctoritate Legiſlatoris. Contra verum Jus gentium obligatorium ſi inſurgat lex, dubio caret, eam ferri non poſſe: niſi cum obtemperante Rex plecti velit. Quippe in cujus manu poſitum minimè eſt,

vincula illa, quibus Respublicæ invicem cohærent, labefactare. Similiter contra Naturalem legem nihil potest constituere imperans: quia & illa immutabilis, voluntati hominis non subjicitur. Quòd si verò audeat, vel gentium jura, vel Naturalis, aut divinæ legis dictamen temerare: violatoris mandato non est obnoxius subditus. Obsequium subditi præsupponit imperium. imperium nunquam ad injusta porrigitur, ergo nec obsequium. Quoties igitur injusta lex aliquid inhonesti præcipit, nullum debetur obsequium: quia caussa obligationis nulla subest. Legis enim tota vis & anima in obligatione ponitur: obligatio ex imperio nascitur; quod cum ad injusta non pertingat, tutò concludimus; Legem injustam non esse legem. Nam extra territorium jus dicenti, impune non paretur. Egreditur autem sphæram suæ potentiæ, qui contra legem divinam & Naturalem, contra communia itidem gentium sancita aliquid molitur. Magis est ut toleremus distinctionem legis in *Universalem*, & *Particularem*: cum fundamentum habeamus in obligationis modo. Supra, quando contemplati sumus civitatem, materialiter se habentem, seu Multitudinem; vidimus ex pluribus pagis, hoc est, majoribus membris & regionibus, ut plurimum constitui civitatem. Ea interdum incidunt negotia, quæ universos tangant: non raro, quæ aliquos. Ibi requiruntur universales leges, quæ statum universæ civitatis concernunt, & omnes ac singulos obligant: hîc

hîc particulares sufficiunt, qui ob necessitatem præsentem, certo alicui membro feruntur. In Rebuspublicis, quæ ex diversis populis coaluerunt, maximum usum habet hæc distributio. quòd cautissimè versandum in talibus, ne diversis populis, quorum contraria ingenia sunt, eædem proponantur leges; sed diversis diversæ, omnibus congruentes. In imperio Germanico, ex obligandi vi declaratur distinctio, ut *Vniversales* dicantur, quæ vim habent omnes obligandi, & in Comitiis Imperialibus sanciuntur: *Particulares* quodammodo illæ sint, quæ ex jure & potestate territoriali, provinciales obligant. Vel potius, particulares nominaverim, quæ in ipsis quoque Comitiis à Cęsare uni alicui provinciæ separatim dicuntur & præscribuntur.

IX. Hæc de Legum naturâ & distinctionibus. Potestas Legislatoria maximè conspicitur, *leges condendo*, *interpretando*, *mutando*, *& abrogando.* Potestas condendarum Legum valet præcipuè in rebus civilibus, Rempublicam quovis modô concernentibus: quatenus ex earum observatione, aut neglectu, commodum detrimentumve in Civitatem redundare potest. Accommodat se ingenio & actui civium prudens Legislator. neque enim omnes promiscuè civiles leges omnibus gentibus congruunt. Leges naturales, & gentium, ut ante dictum, non condit Princeps: sed ut eædem observentur, sancit. Porrigitur præterea Nomothesia ad omnes actus, aliàs concessos, ut pręcipere possit liberas virtutum actiones;

aut prohibere, quæ sua natura prohibita non sunt. Id obiter notamus circa condendam legem; non teneri Principem, consiliariorum vota, tanquam normam, attendere, ut efficacem legem sanciat. Hac enim ratione Consiliariis adjudicaretur Majestatis præcipuum jus, si absque horum consensu legem sancire non posset Imperans. Laudabile illud est, prudentium hominum de quocunque negotio explorare sententiam: sed eò redigenda minimè est Principis facultas, ut ministrorum voluntati alligetur. Valet lex, non quia Consiliario placuit; sed quia Majestatem agnoscit auctorem. Nunquam interim Princeps, ex malâ libidine, prudenti consiliariorum voto, in perniciem Reipublicæ, contradicet: nisi & prudentiæ, & famæ detractum velit plurimum. Audit ergo illos, ut consiliarios in civilibus hisce: non sequitur ut Dictatores. Quod si aliquis Consiliariorum suggesserit legem, postmodum promulgatam; nihil tamen legislationi contulit. Distinguendus enim est à Legislatore, legum auctor & inventor. Novimus plures accuratè conscripsisse leges, qui potestatem Legislatoriam habuerunt nullam. Ita Plato, & Cicero, & multi alii, egregia nobis reliquerunt: quæ verò ad Nomothesiam minimè referenda sunt. Ita Lycurgus Spartanorum; Solon & Dracon Atheniensium Legislatores perhibentur: non quòd propriâ auctoritate promulgaverint jura; sed pro ingenii facultate, & justi notitiâ, concinnaverint leges, ab ipsâ universâ multitudine

tudine sanciendas. Non secus ac in Romano Corpore Juris plurimi JCtorum occurrunt: quorum effata, non ab Auctore, sed Approbatore Justiniano, vim ac pondus acceperunt. Secundum opus est *Legum interpretatio*. Quam *Authenticam*, & *Principalem* intelligimus, circa dubias versantem Leges: quæ judicio Magistratuum tam facilè expediri non possunt, nisi subsequatur Principalis declaratio ac definitio, ab *Usuali*, & *Doctrinali* longissimè distans. Alias quoque JCtis legum declaratio competit, qui ænigmata juris solvere docti sunt; & Consuetudinem judiciorum salutamus optimam legum interpretem: at diversum quid in hâc nostrâ interpretatione reperimus. Quoties enim duriorem legem componere cum aliis, nec Doctores, nec Judices audent; ad Principem itur, qui legis tenorem explicet. De hac Principali interpretatione aliquod exemplum occurrit in Romano Jure; ubi Impp. VALENTINIANUS & MARTIANUS hunc in modum rescribunt: *Si quid verò in iisdem legibus latum fortassis obscurius fuerit, oportet id ab imperatoria interpretatione patefieri, duritiamque legum, nostræ humanitati incongruam, emendari.* Et inibi JUSTINIANUS occasionem hujus interpretandi generis apertè ostendit. *Si enim in præsenti leges condere soli Imperatori concessum est: & leges interpretari, solo dignum imperio esse oportet. Cur autem ex suggestionibus procerum, si dubitatio in litibus oriatur, & sese non esse idoneos, vel sufficientes ad decisionem litis*

illi existiment, ad nos decurratur; & quare omnes ambiguitates judicum, quas ex legibus oriri evenit, aures accipiunt nostra, si non à nobis interpretatio mera procedit? vel quis legum ænigmata solvere, & omnibus aperire idoneus esse videbitur, nisi is, cui soli legislatorem esse concessũ est? Tum igitur maximè consulitur Princeps, & ejus petitur Interpretatio, quando constituti Judices & interpretes legem cum aliis nequeunt satis commodè conciliare. Nomothesiæ tandem innectitur *Mutatio*, & *Abrogatio legũ*: quæ secundum diversam naturam Juris restringenda est. Naturale jus, tantum abest, ut possit abrogari; ut nequidem mutationi vel levissimæ sit subjectum. Idem dicendum est de Jure gentium, propriè dicto: quatenus societati humanæ necessarium est, & regulam constituit actuum, qui populis, quà populus sunt, intercedunt. Aliter se res habet in Jure Gentium, quod secundariò modo, & impropriè tale dicitur: quod est consuetudo, liberrimè recepta, plurimis gentibus usitata. Hæc talia & immutari, & abrogari possunt. In civilibus constitutionibus libera potestas relinquitur, variandi, tollendiq; pro lubitu: quam tamen prudentia sæpe coërcet. quòd crebra mutatio Legum imbecillitatem judicii politici arguat, & confusionem nõ rarò in civitatem soleat invehere, imperantibus quam maximè vitandam. quin solitis, licet non adeò cõmodis legibus, constantius regnatur multitudo; quã novis, licet congruentibus ejus saluti. Ad mutationem particularem pertinet *Solutio à Legibus*: quoties Princeps aliquas per-

personas, ob certas circumstantias & rationes, à communibus Legibus liberas & immunes pronunciat. Cujus enim facultatis est, lege scriptâ obligare: ejus quoque fuerit, à lege pręstare aliquem exemptum. Nam qui invalidam reddere totam legem potest; quoad certos homines inefficacē efficiet. Inde *privilegia*, cujuscunq; generis. Quanquam hîc specialius beneficiū concessum intelligitur: quoties ob meritum virtutis, & operam, Reip. præstitam, remittuntur onera communia, quæ reliquos cives manebant. Ita *veniam ætatis* concedit Princeps, & *natales* minus solemnium nuptiarum legitimos reddit. Determinatio enim certæ ætatis, intra quā non est licitum, aliquid propriâ auctoritate agere, à solâ Majestate proficiscitur. Ita, qui ex secundaria uxore procreavit infantem, jus illud in partum non habet, quod pater, qui ex legitimis nuptiis sustulit filium. Quū verò tota hæc materia ex Legislatione Majestatis proficiscatur, Principis est, pro facultate, quâ pollet, impedimentum, ab illegitimo matrimonio profectum, tollere, aut mitigare. Hæc innuisse sufficiat, quomodo subditi legibus solvantur.

X. Illud disputari consuevit inter Civiles Doctores; *num Majestas legibus soluta sit*. Antequam respondeamus ad quæstionem, repetendum ex antea dictis est juris discrimen, & mutationis licentia. Dictum est, Jus Naturale, item Jus Gentium, non posse mutari à Principe: cùm in ejus manu positum minimè sit, illa migrare, quę ęternam sanctionem, aut populorum omnium salutem pro caussâ agnoscunt.

Nam

Nam quæ ex his fontibus ducunt ſcaturiginem, à nemine nato homine violanda ſunt. Solutum autem legibus eſſe, id notat; ut poſſis contra legem latam, ſine pœnâ, ſine crimine, aliquid committere. Quæ licentia, cum circa dicta jura nuſquam data permiſſave ſit; facilè videmus, Majeſtatem talibus planiſſimè obligari. De Jure Naturali dubium nullum eſt, quin Princeps, non ſecus ac alius, univerſaliſſimis illis ſcitis teneatur. Ita enim hoc Jus Naturam intelligentem ſtringit, ut nullo modô vinculum obligationis à quoquam poſſit ſeparari. Nam cum divina Sanctitas ſibi ipſi regulæ inſtar ſit, & aliis ſui imaginem imprimat: ſine negotio patet, niſi deſtructa Sanctitate divinâ, Jus Naturale non poſſe deſtrui. Cumque Deus ipſe omnipotens, ſine notâ infirmitatis & impotentiæ, non poſſit à Jure Naturali declinare: ſtatim apparet, hominem ſine exceptione his juribus teneri, & ſanctiſſimè obligari. Huic aſſertioni connectenda ſunt *Iura divina poſitiva univerſalia*, quæ Noachidarum præcepta Ebræorum Magiſtris vocantur, quibus repetuntur Juris Naturalis ſanctiones; ſed cum novo additamento certæ pœnæ; tranſgreſſoribus infligendę. Quale criminale Jus eſt illud Noacho, & per hunc univerſo generi humano datum, circa homicidii pœnam. Nimirum id Juris Naturalis edictum eſt; *Non occides*: hoc ipſum confirmativè repetit Deus, cum adjuncta pœna talionis, ſi quid in contrarium factum fuerit. Juris Naturalis beneficio judicamus,

quid

quid honestum, quid turpe sit: sed ex ipso illo Jure non surgit determinatio pœnæ; verum nuda dignitas pœnæ, dum transgressor dignus est, qui puniatur. Hæc dignitas non statim efficit, ut aliquis necessariò pœnam det; aliàs nunquam dispensationi, & aggratiandi juri pateret locus; & nullus hominum salvari posset: cùm ne Deus quidem dispenset contra jus Naturale: sed tantum idoneum reddit delinquentem ad pœnam sustinendam. Ita Cainus colligebat, se dignum esse ob fratricidium, quem obvius quisque occideret: Jus verò naturale nihil de hâc necessariâ interemptione dictabat. Eo enim casu non potuisset Deus de securitate Caino quicquam polliceri. Cæterùm ubi terrarum orbis, temerè fusi sanguinis reus, diluvio erat perditus; solusque Noachus cum angustâ familiâ servatus: jure universali divino, omnes homines obligaturo, denuò obstringitur, de fugiendo homicidio: eâ interminatione, si quis contra faxit, ut capital esset. Hanc legem de supplicio ultimo, æquiparamus Juri Naturali: non propter originem, & omnimodam ac absolutam necessitatem; sed universalem vim divini interdicti. Licet Deus possit circa hanc sanctionem dispensare: eripuit tamen arbitrium homini, ne quis temerè intempestivâ gratiâ, regionem sanguine fœdaret. Obligantur omnes in Noacho ad persequendum homicidam, quotquot de aliquo imperio participant. (quanquam & cognatis ante Rempublicam, jus fuisse datum videtur, ut ulciscerentur cędem, & armaren-

tur

tur contra interfectorem, tanquam hostem) Hinc in Sacris legimus, quâ ratione David, Ioabi parricidia plectenda commiserit Salomoni: ut sanguis, sine caussâ effusus, redundaret tandem in caput nocentis. Ita hodiè regnatrices Potestates jure non possunt eximere capitalibus suppliciis homicidas; cùm generali illi præcepto subsint: nisi velint tandem gravissimam ultionem à Deo, neglectori imminente, expectare. Maledictus, qui opus Domini negligenter exsequitur. Dantur quidem certæ circumstantiæ, quæ interdum gratiam Principi commendant: sed illæ dexterrimè dijudicandæ sunt; ne in societatem sceleris, suâ conniventiâ trahatur. De *Iure gentium* similia obtinent. Id quoniam non dependet ab unius voluntate, non potest ab eodem solvi. Ex intimâ Naturâ Rerumpublicarum proficiscitur: nec solvitur, nisi destructâ societate civili. Cùm verò læsio & destructio ad hostilem animum transferenda sit: statim apparet, id nullo jure licere Principi, propter quod tanquam hostis puniendus est. Malè statuit DOMINICUS à SOTO, lib. I. de Just. & Jur. art. III. Q. III. *Ius gentium, cùm positivum sit, cum discursu suo mutabile esse.* Nimium enim falsus est circa fundamentum & caussam Juris hujus: quod alibi ostenditur. Quare ita censendum erit, nec Juris Naturalis, nec Divini Universalis, nec Gentium decretis, Majestatem solutam esse.

XI. Restant solæ *Civiles constitutiones*, quæ de

de rebus indifferentibus feruntur. In his plenissimam facultatem asserimus Principi. Nec possumus aliter. Si enim suis legibus non esset solutus, non posset easdem immutare. Omnes autem hactenus concesserunt, Legis derogationem, obrogationem & abrogationem, Legislatoriæ facultatis esse. Huc illud ex Romano Jure advocaverim: *Neque imperare sibi, neque prohibere se quisquam potest.* Qui superiorem non habet in civilibus, nullâ lege impeditur. Non opus est, ut rem per se satis claram, obscuremus distinctionum difficultate, ut dicamus; Principem quidem solutum esse legibus, *quoad vim Coactivam*; teneri quoad *vim directivam.* Putant nimirum, in Principem nullam vim aut compulsionem à parte subditorum proficisci quidem; nec Majestatem ita obligari, ut legibus à se scriptis cogi possit aut debeat: cæterùm *æquissimum esse, sua sponte sequi tenorem præscripti juris; quòd ab imperantis exemplo pendeat popularis multitudo.* Verùm utraque vis cessat in Principem. Ubi coactio non subest, ibi nec vis directiva. Vis enim coactionem includit. Et quis in Republica dirigeret Principem? nemo sibi legem sancit. In naturalibus, divinis & gentium juribus hæc distinctio locum ideò non meretur, quòd coactio adsit: si non à plebe, & subditis; tamen *à Deo*, qui transgressorem suæ legis, tardo quidem, sed gravi supplicio tollit; aut *à Republicâ læsâ*, quæ violatorem juris gentium legitimo justoque bello coërcet.

In

In civilibus sine pœnâ, sine peccato, innovare potest jura Imperans: non tantùm in subditis per Privilegia, quod modò vidimus; sed multò magis eadem à seipso removere, cum à nemine obligetur. Unde Auctores aliqui hujus rejiculæ distinctionis & sententiæ statuunt; Principi legem propriam servandam esse, *ex quadam honestatis ratione & decentiâ*: quæ suadet legem melius posse imprimi subditorum animis, si à Principe servetur; non quasi obligetur, sed ut exemplum præstet suis. Per hanc explicationem plane nobiscum conveniunt. reipsa enim fatentur, Principem legibus non teneri, sed solutum agere: consultum autem esse Reipublicæ, ut Majestatis vita sit regula civitatis. Quod nobis prorsus affirmatur. Sed *consilium* & *civilis decor*, cum *obligatione* & *vi*, non erat confundendus. Decorum aliquando est, secundum Regulam civitatis incedere: necessarium haud est. In hunc sensum exaudiendæ sunt usitatæ voces, de valore exemplorum in vulgus, quas eximiè CLAUDIANUS effert, de IV. Honorii Consulatu.

Componitur orbis,
Regis ad exemplum, nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, ut vita regentis.
Mobile mutatur semper cum Principe vulgus.

Non aliter explicari debent, quæ *Theodos.* & *Valent.* Præfecto Prætorio rescripserunt, *Dignam vocem esse Majestate regnantis, legibus alligatum se Principem profiteri.* Sub aliâ interpretatione vim directivam asserunt, quod *non cogatur Princeps aut puniatur;*
in

in conſcientiâ tamen devinciatur ad ſuæ legis obſervationē. Quibus neceſſariò contradicendū eſt. Talem obligationem vel à Deo, vel jure naturali, vel populo, vel ipſo Principe procedere, neceſſum foret. Divinum jus, cum in Republica noſtra, circa res merè civiles, nihil diſpoſuerit; nulla ratione ad obſervationem poſitivi juris conſcientiam legiſlatoris obligavit. Jus naturale ignorat hæc merè civilia, & ideò de obligatione eorundem novit nihil. Populus, Nomotheſiâ carens, Majeſtatem nequit devincire. Ut Princeps ſe circumſcribat ipſe legibus, id verò abſurdum eſt. Legem fuiſſe, quam Simei dictabat Salomon, ne tranſiret flumen, omnes affirmabunt: ſed quis tam inconcinnus eſſet, qui aſſereret, Salomonem conſcientiâ fuiſſe obſtrictum, ut ipſe ſervaret hanc legem, nec tranſiret fluentum. Leges, cum obſequium flagitent, & ſubmiſſam venerationem, exhibendam Majeſtati, pugnant cum perſonâ imperantis, ſi in eandem concipiantur ſub obligatione.

XII. Proximè conſequitur Jurisdictio. Nam judicare propriâ auctoritate nemo poteſt, niſi qui imperium habet in caput judicandi. Quare inter præcipuâ Jura Majeſtatis nomen profitetur Juriſdictio. à multis quidem omiſſa; Principi tamen ante omnia aſſerenda. Quod in hâc & Judicum officium, & Appellationis fundamentum contineatur: & infallibile quoque lateat documentum ſummæ poteſtatis. Non alia res, bene Lipsius ait, imperium magis aſſerit, quàm hæc in bona

vi-

vitamque nostram potestas. Ubi eruditissimus vir necessitatem quoque exercendæ Jurisdictionis demonstrat, tum *à Caussa & Fine*; tum ab *Exemplis*. Hanc verò Jurisdictionem vocamus summam in rebus civilibus & criminalibus cognoscendi, statuendi, & exsequendi potestatem. Summam dicimus cognoscendi potestatem: ut Jurisdictionem magistratuum separemus à Principali. Est quidem in illis potestas, etiam publica: sed limitata interim, restricta, atque dependens. Quod si accuratè velimus persequi omnia, dicendum est, *Iudicibus non competere Iurisdictionem ipsam; sed ejus saltem exercitium*. Nam cum illa sit Jus Majestatis, nequit communicari subdito: cujus rationem subit omnis magistratus, ad principem relatus. Quia verò usus hoc vocabulum judicibus inferioribus assignavit, retineamus illud: sed hâc cautione, ut exercitium in Magistratu, non principale Jus intelligamus. Habet illud quoque proprium hæc Jurisdictio, ut non cognoscat tantum & statuat de oblatis negotiis: sed omnem etiam sententiam propriis auspiciis exsequatur. Sive civiliter, sive criminaliter concepta sit. Huc enim maximè respicimus in præsenti, & attendimus exsecutionem sententiæ: cujus qualitas distinctionem aliquam Jurisdictionis suppeditat. Nam quas adferunt divisiones, in *Ecclesiasticam* & *Secularem*; *Voluntariam & Contentiosam*: fundamentum in ipsa potestate non habent. Potius ipsam efficaciam in sententiæ tenore quærimus: maximè ubi ali-

qua

qua pœna infligenda eſt. Huc enim trahendæ ſunt, *quæcunque pœnæ*, ſive bona, ſive corpus, ſive libertatem & famam affligant. Imponunt quidem inferiores ſupplicia, pro captu ſuæ Juriſdictionis dependentis; ſed alienâ auctoritate :] cum certa præſcribatur formula, juxta quam decidenda eſt controverſia, ita ut ad ſuperiorem ſæpe rejiciatur ſententiæ complementum. Quicquid hi magiſtratus exercent circa Juriſdictionem ſimplicem, Mixtum & Merum Imperium, ut Romani loquuntur; ſive ut Saxones, circa altam, & baſſam Juriſdictionem; mutuatitium id omne eſt, & commodatum à Majeſtate, cui principale Jus, cum ſuis fundamentis adhæret. Reſolvitur enim univerſa Pœnarum poteſtas, in poteſtatem, quæ in caput Subditi pertingit. Sive reus condemnatus ſit in pœnam corporalem, ſive pecuniariam. Ut reus Majeſtatis ultimo ſupplicio afficiatur, & bonorum patiatur confiſcationem: Poteſtati in caput adſcribendum eſt. nam ſupplicium, corpori inflictum, manifeſtiſſimè id jus poſtulat: bona vero ſequuntur conditionem perſonæ. competit enim facultas in bona illi, cui in perſonam jus eſt. Non poſſumus coërcere, non multare hominem, in cujus corpus, & conſequenter in bona, non habemus poteſtatem. Hæc eſt ultimum fundamentum *Ereptitiorum*, & omnium *multarum*: quas vulgò inter Jura Fiſcalia referunt. Licet enim proximum fundamentum omnis pœnæ pecuniariæ, ſit Dominium in bona privato-

rum:

rum: ultimum tamen est potestas in caput, in quam resolvitur Dominium. Elucescit amplius judicandi sublimitas in *Remissione pœnarum*. Iudex inferior sententiam mutare nequit; quod alligetur legum observantiæ: secundum quarum tenorem judicat & damnat, nec quicquam circa earum voluntatem migrat. At Princeps non illam tantum sententiam Judicis infirmare; sed propriam quoque mitigare potest. In cujus potestate fuit situm, liberrimè initiò disponere de actione; is à nemine obligatur, ut perpetuò eandem normam observet. & se obstringere non potest ipse, ad immutabilem observationem semel fixæ sententiæ, aut legis. Immutare poterit igitur, vel ex parte, vel in totum, pœnam, aut remittere omnino. Hinc potestas remittendi supplicium, legibus civilibus definitum: quam *Ius aggratiandi* vocant.

XIII. Jurisdictioni Principis simul innectitur EXTREMA PROVOCATIO. Quam vocamus Jus Majestatis, cujus virtute Princeps litigantis subditi appellationem à sententiâ inferioris Judicis recipit, & controversiam ipse determinat. Sublevatur aliquo modô Majestas ministerio Judicum: sed nec supersedere potest omnino judicandi munere, quin subinde cogatur jus dicere, quoties ab inferioribus magistratibus ad Principis tribunal provocant litigantes. Rapit aliquando partium studium atque affectus; non infrequenter lucri cupiditas judices in transversum agit, quò minus ex æquo & bono decidant controver-

sias.

ſias. Ipſarum quoque cauſſarum intricata difficultas plerumque obſtat, ne verum omni ex parte poſſint deprehendere. Devolvitur ita ad Principem definiendi onus, qui incorruptus judex eſt, & auguſtiori judicio, quæ latebat, rei bonitatem, veſtigat & capit. Ita ſæpius ipſa neceſſitas ſubditos de Extremâ provocatione admonet; & ut eandem recipiat imperans, ipſa Majeſtas jubet. Non alia res ſplendidiorem confert auctoritatem, quàm Juriſdictio hæc ſumma & decretoria. Quare tam arctè Majeſtati creditur aſſidere, ut nullo modô, illâ ſalvâ & incolumi, poſſit ſeparari. De alienatione omnimoda nobis ſermo eſt. Nam conſtitui poterunt Magiſtratus, qui appellationes recipiant nomine Principis, & hujus auctoritate componant lites. Ita novimus ſumma conſtituta eſſe huic fini judicia & collegia. Sed tum miniſtris mandatur exercitium & uſus; ipſum jus, ipſa poſſeſſio hujus eminentiæ penes principem remanet. Perinde quoque fuerit, ſi conſtituantur Judices Majeſtatis loco, qui primam inſtantiam ultimatò decidant, ita ut appellari amplius non liceat. Tum enim una operâ, precariæ Juriſdictioni, appellationis effectus videtur incluſus. Cæterum, quamvis ejuſmodi judicia conſtituta ſint, à quibus provocare non licet; non omnis tamen ad ſuperiorem intercepta eſt appellatio: ſed eadem jam ſub *Reviſionis*, jam *Supplicationis*, jam alio titulo, ad primarium ſubjectum recipiendæ Provocationis defertur. Ab hujus tandem ſententia provocare utique

non

non licet. Nam superiorem non habet. & qui talem finxerit, Majestatis reus censendus est. Sanè CONRADUS, Romanorum Rex, Trajectenses perduellionis reos postulavit, quod ad Pontificem provocassent; testante *Othone Frisingensi*, de Rebus gestis Friderici. Nisi à Majestate ad Majestatem ipsam aliquis putet provocandum esse: à malè scilicet informatâ ad melius informandam. exemplo petito, à *Valerii Maximi* narratione, de Philippo Macedone. Similis Jurisdictionis species est EVOCATIO CAUSSARUM, quando imperans coram tribunali inferiori agitatam litem, nec dum plenè decisam, ad se vocat; cognoscendam, & dijudicandam ab ipsa Majestate. Quòd negotium hîc sufficiat nominasse.

XIV. Ex eadem scaturigine profluit COMITIORUM jus, quo congregantur in unum locum subditi, & vel mandata imperantis accipiunt, vel de utilitate publicâ interrogati, consultant in medium. Non immerito hoc negotium maximi momenti creditum est Politicis: quòd egregium publicum eximiè juvetur, si rite fuerint instituti conventus publici; & contra præsentissima pestis immineat civitati, quoties illegitimæ personæ excitaverint seditiosorum conciliabula. Quare Majestati asserenda hęc provisio est, quæ Reipublicæ tranquillitatem respicit, & ingens illud imperium in caput præsupponit. Solius enim imperantis est, convocare cives, & cogere comitia; cùm in ejus manu sit, compellere inobedientes. Nisi compareant vocati, spreti impe-

imperii pœnas dabunt. Si olim Prætor Romanus animadvertere poterat in omnes, qui non parentes jussibus, contemnebant Jurisdictionem: multò magis Imperantis Majestas dignâ severitate vindicabit neglectum hujus convocationis. Dirigitur enim hæc facultas in eos, quorum capita Majestati subsunt. Sicut in Jurisdictionis opere nemo citari, aut in jus vocari potest, nisi subjaceat territorio & Jurisdictioni: ita convocari ad comitia non solent, qui imperium in caput suum non patiuntur. Ex quo facilè apparet, Jus Majestatis præcipuum nefariè involare, quotquot sine superioris præscitu, aut jussu, multitudinem congregare fuerint ausi. Enimverò, quin seditiosa & incivilia agitent, dubitari haud debet. Invadunt illam potestatem, quæ summi imperii solius est: & ejusmodi attrectant munus, cujus substantia universæ Reipublicæ regimen concernit; & ideò, nisi Principi, non competit alteri. Id sponte sequitur, alienos subditos in unum locum haud posse jure Comitiorum citari. Nam cùm oriatur hæc vocatio à Potestate in caput subditi, palam est, in alienos subditos eam non pertingere. Simile judicium sit de CONCILIORUM congregatione. Eadem ratio, idem fundamentum, eadem potestas circa hæc, quæ circa comitia. Materiâ saltem differunt; dum hæc civilia, sacra & ecclesiastica illa tractant. Ultro patet, neminis esse, vocare CONCILIA, præterquam solius Majestatis; quæ potestatem habet in capita convocandorum Episcoporum; quę curam Sacrorum, injunctam à

Deo, eminenter agit. Cogi ergo poterunt clerici, ut à Majeſtate vocati compareant, & rogati ſententiam dicant, aut quidvis aliud expediant. Sed illi cogentur, in quos imperium valet. aliorum Principum Epiſcopi, non magis ac ſubditi huic congregationi parebunt. Quamvis igitur olim Imperatores Romanorum univerſalia coëgerint CONCILIA, cùm Romanus orbis æquè latè pateret ac Chriſtianus: hodiè interim, ubi tot Chriſtiani Reges vicinis terris præſunt, aſſeri haud poteſt id ipſum; quòd in horum cives, jus illud amplius noſtri Cæſares haud uſurpent. Niſi rogatu ſuo impetrent, ut Principes Chriſtiani permittant ſuis Theologis, CONCILIO intereſſe. Tunc enim invitatio erit amica, non imperioſa vocatio, aut coactio. Id obiter tangendum eſt, non omnes conventus comitiorum nomine accipiendos eſſe: nec jus Majeſtatis tribuendum continuò illi, qui convocare aliquos ſolet. Nam ſępe diverſarum civitatum ſocii, pacto & fœdere colligati, convenire, de publicâ aut communi utilitate deliberare, conſueverunt. Liberè conveniunt hi tales, nullius imperio coacti. Ita conſtituunt interdum principem aliquem fœderis, cui fas eſt, reliquos convocare: non virtute hâc Comitiorum, quę Majeſtatis eſt; ſed ratione pacti, & ſociorum liberrimo conſenſu. In confœderatos enim vim nullam exſerit Majeſtas; quæ non in pares, ſed inferiores & ſubditos, efficaciam ſuam ſpargit.

XV. Huic poteſtati in caput accenſendum

eſt,

eſt, quoties muneribus minus gratis, aliquando periculoſis, præficiuntur ſubditi. Quoties homines, rebus gerendis apti, ſed quietis amantiſſimi, & qui tranquillitatem rei familiaris atque privatæ anteponunt publicis, & moleſtioribus negotiationibus, protrahuntur in lucem communis adminiſtrationis; coguntur que eruditionem ſuam, prudentiam, atque dexteritatem, quam privatæ delectationi impendebant, omnium ſaluti & adjumento conſecrare. Novimus plures qui oneroſum Magiſtratum & honorem deprecati ſunt: ſed plurium quoque exempla proſtant, qui legitimâ vi adacti, à Majeſtate juſſi, provincias ſubierunt. Maximè idonei vel eô nomine habiti, quod ambitus puri, majorem integritatem viderentur approbaturi Principi. Hujus loci ſunt omnia iſta Munia publicæ adminiſtrationis, quę onus ſecum portant magis, quam emolumentum actori conferunt: ad quæ cogi civis poteſt, quà ſubditus Majeſtatis eſt, propter hoc ipſum imperium in caput. Non aliena eſt ab hoc argumento *Tutelæ geſtio*, quam declinare nequit civis, ſi à moriente in teſtamento fuerit nominatus tutor; aut ob proximitatem ſanguinis, ipſâ legis perpetuâ conſtitutione advocetur; aut Magiſtratuum denique auctoritate pupillis præficiatur. Lege Romana permiſſæ ſunt aliquot excuſationes: ſed poterat nulla admitti, ſola inſufficientiâ adminiſtrationis exceptâ, ſi Legislatori ſic placuiſſet. Illuſtre quoque exemplum eſt, quod huic poteſtati ortum debet, *Legatorum Miſſio*, re-

ſpectu ſubditi, qui invitus ablegatur. Sæpe ad exteras gentes longinquæ ac diuturnæ adornantur Legationes, quæ ſine incommodo miſſi nunquam ſuſcipiuntur, aut finiuntur. Prę ſentiſſima quippe damna rem familiarem affligunt, quoties abeſt ejuſdem genuinus Rector. Ut taceam itinerum incommoda, ſæpe adverſô aëre contractas valetudines; peſſima illa conditio imminet Miſſo, ut maxima pericula, non rarò mortem extimeſcendam habeat à barbarie populorum, quibus contra jus & fas legati perſona, quam ſua ſanctimonia debebat inviolabilem prętare, in argumentum ſęvitiæ trahitur. quaſi non ſatis ejuraretur humanitas, niſi innocens Legatus malè haberetur. Satis notum eſt, quàm atrociter Chriſtianorum Legatos pleroſque exceperit Turcus: & quàm parum à captivitatis carcere abſit publica illa cuſtodia, quando amicè, pro ſenſu Barbari, & commode tractantur. Nemo adeo incautus fuerit, & fortunarum, corporis, ipſius capitis ac vitæ ſupinè negligens, qui proſpiciens iſta detrimenta, optet ad Buſiridis aram mitti, & cultum illum publicæ auctoritatis, & ornamenta ſecuritatis, tanquam victimæ mactandæ, ſibi aptari. Et incidunt interim tempora, quę miniſterium tam periculoſi operis flagitant, & omnium potius ſaluti, quàm unius ſecuritati, cautum atque proſpectum volunt. Tunc animis non tantùm opus eſt, ſed facultate quoque eximiâ, quæ ſubditum ejuſmodi difficultatibus expediendis parem, ſed detrectantem pericula, juſtè cogat, ut ad ſævum

vum Principem tendat, & communem caussam oret. Hanc facultatem non aliam esse, quàm Potestatem in caput, persuasissimum habeo. Nam res ipsa loquitur, non posse aliunde hujus mandati, præcipuam & fundamentalem caussam derivari. Imponere munus, non satis acceptum, aut fructuosum gerenti, & aliquo incommodo afficere personam, idque jure, ex vi legitimâ, non nisi ejus est, cui in personam jus & potestas competat. Ita caput Legati itinerum molestiis, & sęvitiæ Barbarorum juste exponere haud poterit, pręterquam illum, qui in hoc caput plenam facultatem habet. In his omnibus, & similibus, objecta attendenda sunt, & ex Objectorum naturâ judicium fieri debet de indole potestatis, quo jure, hoc est, qua potestate, in talibus quid fiat. Objectum sanè quod in memoratis casibus cogitur, subditus est, seu persona civis: ex facili patet fundamentalis caussa coactionis, potestas nimirum in personam subditi. Nunquam cogeretur justè subditus ad pericula illa obeunda, nisi Majestas includeret imperium in illius caput, coactivum & impulsivum ad ejusmodi actiones.

XVI. Ex eodem hoc imperio planè surgit vis illa compulsiva, quâ fervente bello, in hostem ducitur civis, vel invitus. Ipsa quidem totius belli administratio infra nobis deducetur ex Provisione, quæ universam societatem civilem regit: at particula hæc bellicæ potestatis, quâ delectus civium habetur, & justus numerus mittitur in hostem, fundamentum ha-

bet in imperio, quod in personam subditi valet. Bellum gerere, in universum non est opus Majestatis: cum & privati duello possint concertare; & numerosiores familiæ, aut plurium familiarum congeries, extra Rempublicam, impressionem facere, aut hostem lacessentem repellere queant. At in Republicâ bellum decernere, & civium capita hosti objicere, solius Majestatis est. Privati enim illi gladiatores Reipublicæ nomine haud pugnant: & multitudo extra Rempublicam, neminem vi Majestatis cogit in expeditionem; sed quicquid geritur, vi præcedentium pactorum perficitur. Abrahamus, vernas suas armans in Reges orientis, cogit quidem subditam familiam ad prælium, eaque coactio ab imperio est: sed quia servos cogit, non cives; imperium utique herile, non Majestaticum, quæ Objectis parentibus differunt, caussa istius profectionis censendum. Socii verò Mamre & Escol, cum suis, propter fœdus, quod cum Abrahamo ictum habebant, sese adjunxerant. Manet igitur Imperii Majestatici opus, civem ad defendendam Rempublicam in bellum mittere: qui propter hoc imperium obstrictus est, patriæ suos labores, imò vitam ipsam immolare. Agnovit hoc debitum optimus quisque, & votis, consilio, manu, ingruentem à Republicâ arcuit hostem. Plures in Romanâ civitate fuerunt, qui privatâ clade publicam deprecari & amovere maluerunt. Quo referendi, qui se devoverunt pro patriâ: quod Decii, pater, filius & nepos, cum aliis fece-

fecerunt. Ob gloriam hæc talia perpetrata, ego non credam: qui certo ſcio, ob ſalutem omnium contigiſſe. Vanitas fuiſſet inanis, ob rumores & laudem vulgi, oppetere mortem velle. Convincebantur interno quodam ſenſu, deberi vitam Reipublicæ, ac ſanguinem; cujus parci haud deberent eſſe, quoties prodeſſe poterant in commune. Quod argumentum tantæ efficaciæ fuit, apud cordatos homines, ut non tantum ſocii tradere ſpiritum voluerint: ſed ne Reges quidem dubitaverint occumbere, ſi morte, vel ſaltem victoriam ſe paraturos ſubjecto populo ſperarent. De Codro vulgatum memorat PATERCULUS. Ille nimirum paſtorali indutus veſte, ut contra Lacedæmonios ſuis victoriam procuraret, ex oraculi Pythici reſponſo, maluit occidi, quàm ſuorum cladi ſupereſſe. Quanto magis ſubditum urgeat debita communi cauſſæ, & Majeſtatis imperio fides? Cui ſi non faciat ſatis, cogi poſſe, ut eat in hoſtem armatus, nihil ambigendum eſt. Si enim tenetur ex officii præſcripto ſtrenuâ manu ultro conſulere publico; ea verò animi hebetudine ſit, ut id capere nequeat, aut perverſitate, ut nolit: docendus omnino eſt, quid communi rei debeat. Efficaciorem autem Magiſtrum haud temerè inveniemus, præter imperantem, qui imperii dexteritate inſtructus, citra negotium & ambages, rudem ac contumacem civem informabit, & ipſô actu admonebit, quid ſponte facere debuiſſet. Si tenetur ad aliquid ſubditus, propter imperium Majeſtatis tenetur,

& ab eodem ſimul cogi poteſt. Aliàs inanis foret obligatio, cujus, ſi contraveniatur, nullus daretur effectus, nullum jus exſequendi. Quod ſi aliàs caſtigari debet culpa, & animadverti poteſt in immorigerum: hîc vel maximè proſpiciendum eſt, ne contumaciâ perfidi ſubditi, aut imperantis ſocordiâ, Reſp. detrimentum capiat. Niſi competeret imperantibus hæc poteſtas in caput ſubditi, quâ hoſti eundem poſſint opponere; in præſentiſſimo verſaretur diſcrimine omnium ſalus: quæ a ſuis civibus deſerta & prodita, cujuſque inſultantis hoſtis ferro & libidini pateret. Hoc igitur jure cum ſuo cive tendit in hoſtem Majeſtas, & illum periculoſiſſimo loco ſtatuit: nihil peccatura, licet ille inter acerrimos pugnatores conficiatur. modò malignitas, & necendi animus non abutatur ejuſmodi prætextu. Uriæ, celebratæ fortitudinis bellatori, aſſignare ſtationem, quam pugnaciſſimi hoſtium infeſtarent, extra culpam hactenus erat, & militaris circumſpectionis laudem merebatur: at ubi proditorio conſilio objicitur præſentiſſimæ morti, & deſeritur à ſociis; nunquam excuſabitur, imperii allegatione, tam præmeditata malitia. Multæ particulares circa bellica juſſiones ex hoc principio propullulant, utpote, quando cives, ab hoſte obſeſſi, jubentur repugnare fortiter, donec vita ſuperfuerit: parebunt juſtè, & reſiſtent, quamdiu reſiſtere poterunt. Ubi verò fames adeò premet, ut prorogare vitam, niſi ſe dedant, haud poſſint: inhumanum fuerit, injungere ſubdito,

ſubdito, ut miſerum illud moriendi genus anteponat deditioni. Sive pereat fame, ſive permittat ſe hoſti ſubditus; utroque caſu imperanti ſuo perit, & munimentum hoſti cedet. æquius tamen agetur, ſi vitam quocunque modo ſervet obſeſſus. Nec video, quomodo contrarium ullum ſtrictum jus ſatis defendat, ut ſubditus tam indigne extinguatur, nullo in publicum uſu, nullo hoſtium detrimento. Illud enim ſatis patet, truculentiſſimum imperii genus eſſe, quo jubentur milites, accenſo pulvere tormentario, ſe cum munimentis atq; navibus perdere, ne in poteſtatem hoſtium perveniant. Nunquam eò porrigetur imperium in caput, ut ſubditus cogi poſſit ad violentas manus ſibi inferendas. Nec inſanum illorum obſequium cum ratione quiſquam laudaverit, qui ad probandam obedientiam, de ſublimi ſe præcipitarunt ad juſſum imperantium. Intra limites honeſti & juſti conſiſtit imperium: nec ab infinito illo bono, Deo Opt. Max. jus ſceleri datum, aut ulli conceſſa eſt facultas, aliquid impii jubendi, faciendive. Si exceſſerit hanc formulam commiſſæ poteſtatis Princeps, ſubditus non obligatur ad parendum. aut ſi ſtultiſſimum obſequium præſtiterit impio pręcepto, reum ſe facit impietatis, & vindicem Deum experietur.

XVII. In eandem claſſem referenda eſt OBSIDUM datio. Quoties enim pactiones populorum non ſatis ſincere obſervantur, & fides alterutrius partis vacillare videtur, ad firmitatem conciliandam conventionibus fre-

quentiſſimè ſolent obſides poſtulari & impetrari. Cum verò moleſta & periculoſa conditio ſit obſidum, quam pleriquc deprecantur: ad implendam pactorum fidem, Majeſtas etiam invitum hoſti, ſeu populo, cum quo interceſſit fœdus, Obſidem dare, vi poteſtatis, quę in caput dirigitur, valet. Cogi poteſt, ut eat obſes; & ſi fefellerit cuſtodum ſolertiam, à civitate, ad quam redit, reddendus eſt. Ut *Clœliæ* factum laudem, non ſatis argumenta ſuppetunt. In hoc enim tradita erat à Civitate, ut pignus pacis eſſet: nec arbitrio ejuſdem permiſſum, utrum redire vellet. Et populi Rom. rędditio magis congruit præſcripto Juris. Valet hactenus poteſtas in caput, ut obſes invitus tradatur; & ſi aufugerit, remittatur. Sed utrum vita obſidis innocentis obligetur, mihi nondũ liquidum apparet. Si vel maximè traditionis formula transferat facultatem in Accipientem, ut eidem jus ac fas ſit, ſi pactis non ſtet civitas, ſumere pœnam ab Obſidibus: diſpiciendum interim eſt, num civitas alterum, innocentem, hunc in modum poſſit obligare; & ex alterâ parte, utrum ulli populo fas ſit, innocentem ob alterius perfidiam trucidare. GROTIUS ſanè putat, *Obſidem interfici non niſi Iure externo Gentium poſſe: interno tum demum, ubi par ipſius culpa accedat.* Externum illud Jus *conſuetudinem licentiæ* Auctori ſignificat, quæ apertę injuſtitiæ ſpeciem in ſinu fovet. Mihi dubitatum minimè eſt, reſpectu Imperantis, poteſtatem in caput eò haud porrigi, ut innocens tradatur mactandus. Quod autem Jus
Maje-

Majestas non habet, in alium nunquam conferet. Ipsa innocentem justè haud interficit. Nec patietur moralis doctrina, ut quocunque tandem figmento, aliorum perfidiâ, nocens fiat aliquis, ignarus & invitus. Ideoque Majestati accipienti obsidem, nullum Jus in vitam traditi, vel à tradente conciliabitur, vel ex subsecutâ violatione pactorum. Nunquam in his talibus rerum gestarum exempla sequar, nisi firmissimis rationibus stipata. secus furor irritati populi nihil moderabile suadebit. Neç video, quomodo sarcimentum plenum recipiat læsa perjurio pars, si vel obsidem trucidaverit: nam si præterea bello vindicanda erit injuria, in sontes potius expetat justa ira, quam in Obsidem. cujus cædes nec ad victoriam futuram quicquam confert, neç acceptum damnum reparat. Sed prolixior circa hoc argumentum commentatio Juris Gentium est, quatenus nimirum accipientem spectat: nobis sufficit, verbo innuisse, potestatem in caput tradere quidem & remittere posse subditum; cæterum ejus valoris haud esse, ut vitam ejusdem obligatam alteri sistat.

XVIII. Sequitur proximè cognata materia DEDITIONUM. Ut Jure possit subditus dedi hostibus, id unicè proficiscitur à Potestate in caput; non à Dominio eminente: nisi diversa Jura Majestatis velimus confundere. Et præcedentia satis evincunt, non aliud Jus Majestatis circa personam subditi occupari, quam Imperium, seu potestatem in caput. Quod quidem statim patet, rem non obiter intuenti. Id

nunc paucis ſcrutabimur, quouſque hæc poteſtas dedendi civem porrigatur. Ubi primo loco venit conſiderandum, num aliquid adverſus alium populum, poſtulantem deditionem, admiſerit dedendus; an innocens ſit. Nec enim ſimplici reſponſo abſolvenda eſt quæſtio. Si laceſſiverit vicinam gentem civis, & ingens damnum inflixerit, aut grande aliquod nefas deſignaverit; & ad hæc talia vindicanda imploretur Majeſtas; ut nefarium civem ne toleret amplius in ſuâ civitate, aut protegat, ſed permittat læſorum judicio, ut dignam pœnam à ſceleſto ſumant: non eſt quod inficiemur, Imperanti jus eſſe, ejuſmodi hominem dedere, ſi liquidò de perpetrato delicto conſtet. Hoc enim omnes dederint, Majeſtati fas eſſe, ſubditum ejuſmodi, vi Juriſdictionis, caſtigare, & pro qualitate criminis, vel ultimô ſupplicio afficere. Hæc facultas cum Majeſtati citra dubium competat, perinde fuerit, ſive ſuis lictoribus tradat judicatum, & condemnatum ſubditum; ſive læſæ Reipublicæ exſecutionem ſupplicii malit permittere. Totum enim negotium pendet ab arbitrio Imperantis. Quod ſi polliceatur læſo, ſumturum ſe pœnam à violatore alienæ tranquillitatis, idque pro atrocitate ſceleris juſtè præſtet; cogi haud poterit, ut læſo vindictam concedat. Intereſt læſi, ut ſcelus plectatur: ſi Princeps id puniat, ſatisfactum eſt juſtæ petitioni. Quare ſub alternante petitione hæc plerumque ſolent urgeri, ut nocens vel dedatur, vel dignis pœnis afficiatur. Nihilominus ut dixi, Majeſtati

jeſtati liberum eſt, lædentem dedere. Id quando uſu venit, fundamentum habet in imperio, ſeu poteſtate in caput, qua peccantem ſubditū quovis modo, ac per quoſcunque, punire apta eſt.

XIX. Intricatior excitatur diſputatio *de cive innocente*, an deſerendus, aut tradendus etiam ſit hoſti à Civitate, ad evitandum totius Reipublicæ excidium. Si GROTII de J. B. & P. II. xxv. 3. ſententiam retinemus, non ſaltem deſeri, ſed & tradi poſſe, ſtatuemus. Interim, ut deſertioni forſan, ubi impares ſunt Majeſtatis vires ad defendendum ſuos, ſine diſquiſitione noſtra patet aditus: ita non video tam præſens excidium, quod maturare debeat deditionem innocentis. Et fateatur oportet ſuam infirmitatem civitas, quæ extimeſcere poteſt aliquod malum, ſi hominem, nihil mali meritum, inſolentiſſimæ crudelitati evertendum non tradat. Latiùs imperantis regimini ſe aſſocient, qui tale quid verentur, & ſecuri erunt, ab hoc metu ac diſquiſitione. Indigentiſſima bonorum conſiliorum fuerit ejuſmodi civitas, quæ, ſibi conſcia imbelliæ ſuæ, ſaltē non impetraverit potentioris vicini parentelam, & defenſionem contra injuſtum petitorē. Quibus ſolatiis ſi deſtituatur Reſpublica infirma, ut diu juris ſui regimē ſervet, vix eſt, quod ſperet. Quid enim ſi impetrato uno, alterove cive plures concupiſcat hoſtis: formidatū illud excidiū hos quoq; dedendos ſuadebit, donec univerſi erunt traditi. Infrequentiſſimū hunc caſum arbitror, & vix ſemel aut iterum contigiſſe credo. Poſtulaverit enim Philippus Demoſthenē, alios

Ora

Oratorum: num ideò statim impetravit? aut eversi sunt Athenienses, Demagogos suos retinentes? Indigna sit civitas, quæ potestatem in suos habeat, si hoc negotium habeat extimescendum. Nec puto, petitorem eousque insaniæ processurum, ut repulsæ caussa, quam impii postulati nomine passus est, bellum minetur. Et fac inferat: non aptus erit hostis tot clades accipere, quot intulerit? Non tam facili negotio evertuntur Respublicæ: nec memorant hactenus rerum monumenta gentium, his minis excisarum, nomina. Sed adumbremus, minus horibili conceptu, controversiam, & fingamus, expeti civem innocentem & nisi tradatur, ingens imminere periculum civitati: jamque videamus, utrum deditione juste possit defungi Majestas, vi potestatis in caput, ad amoliendum præsens illud detrimentum. Rimandus hîc nobis est petentis animus, cui fini factam velit deditionem: & pro captu illius destinationis respondendum. Si perditum velit innocentem, nec Majestas poterit traditione juvare parricidium: nec cogere civem, ut ipse copiam sui faciat hosti: nec ullo charitatis officio tenebitur subditus, vitam suam prodere. Potest quidem imperans subditi caput periculis objicere; sed periculum non statim absumit contratendentem bellatorem. Victoriæ spes educit militem; non perdendi consilium. Non excusabitur à consortio parricidii, & proditionis Princeps, immoderata illa desideria, & cædem sui civis traditione adjuvans. Non huc extenditur usque potestas in caput,

put, ut conspirare possit Majestas in perniciem hominis, nihil committentis. Injustissimum esse postulatum, virum bonum morti adjudicare, omnes vident cordati: qui simul censebunt unanimiter, hoc impium factū citra participationem peccati, haud posse ullâ operâ promoveri. Quoipso conficimus pariter, cogi non posse subditum, ut spontaneâ deditione liberet civitatem periculo. Nunquam periculorum, vel incommodorum contemplatio adeo transversos nos agere debet, ut illorum metu aliquid injusti designemus. Utilitatis, & damni argumenta nihil operantur in materiâ morali, cujus immutabilis natura est. Num verò subditus ultro permittere se hosti debebit, ex lege charitatis, & officio? Multa quidem sunt humanitatis opera, quæ certissimam laudem merentur, & suo modò stringunt hominem, licet civili lege non fuerint imperata: non tamen invenio ejusmodi obligationem circa nostrum institutum. Opera alia charitatis subveniunt necessitati aliorum: præsens deditio, sine fructu futura mihi videtur. Vulgaris, & infimæ sortis hominis cædem non quæsiverit tyrannus: quid enim plebeja anima Principis alterius consilia moretur? Pone interim, talem postulari: manu prendes, insolitam rem occasioni velificari, qua prætextui quæratur aditus, ad infestandam bello Remp. vicinam. Circumspicit nimirum bellandi materiam petitor, & credens, dissensuram Civitatem, semina & speciem suis iniquissimis armis sperat. Sponte se sistat trucidandum ho-

nestus

nestus ille & simplex civis, nimium credimus, si amotum periculum esse, confidamus. Dilatum bellum est, & proximæ inhiabit occasioni alter, dum absurdius quid petens, (si quid absurdius peti posset) & rejectus, vel palam hostilem animum manifestabit. Si virum, gerendarum rerum dexteritate commodum publicè, exposcat, nemo dixerit, charitatis præscripto hunc talem debere se barbaro tortori dedere. Satis enim videbunt prudentes, cui hæc militatura sit deditio. Dum subdolo proposito adoriri cogitat, & obstantem reperit viri auctoritatem, vel solertiam, exarmare satagit hoc munimento civitatem, ut improtectam invadat, & sibi subjiciat. Quis putaverit, consulturum publico clarissimum civem, si spontaneo discessu destituat miseram futuram multitudinem. Id verò est, suos prodere, & latam sternere viam, quà latro grassetur securius in apertam, & suis firmamentis nudatam Rempublicam. Non sunt hæc Charitatis officia, hosti in suos facilem victoriam procurare. Et quis ad hæc talia, hoc est, ad perniciem Reipublicæ, cogi à Majestate posse meritissimum civem, seriò affirmaverit? Cęterũ ad nulla tenetur opera civis, vel ex præscripto charitatis, vel officio, ad quæ cogi non potest. Ubi cessat imperiũ compulsivũ, ibi obligatio subditi nulla subest. Eadẽ respondebo, si non ad cędem, sed ad aliud nefas perpetrandũ, adjutores & ministros destinaverit dedendos. Nulli enim impietati famulari debet vel imperium Majestatis, vel officium subditorum.

XX. Aliter censendum puto, si certo constet,

ſtet, nec ad cædem poſtulari, nec ad ſcelus aliquod, tradendum civem. Puta ſi vir, rerum civilium peritus, aut eximius aliquis artifex petatur. Circumſpiciet Imperans, num aliquod ingens detrimentum hâc via poſſit inundare rempublicam: an nihil metuendum ſit poſt traditionem. Si ſatis à damno proſpectum ſit, & cautum Civitati: nulla injuſtitiæ ratio impediet deditionem. Quum enim nec tradenti, nec tradito timenda ſit durior conditio; nihil morale ſuſpendet dimiſſionem ſubditi. Extendam hæc ad negotium matrimonii. Quoties vicina gens paucitate fœminarum laborat, connubiorumque ſocietatem à volentibus impetrare haud poteſt; mox implorat Principem, ut efficaci ſuaſione, aut imperio, mulieres jubeat faciles eſſe ſuis procis: non peccabit in ullam particulam juris, qui honeſtis petitis annuet: quin humanitatis laudem merebitur, quod naturæ deſideriis non illegitimo modo ſatisfecerit. De Aurelio, & Mauregato, Hiſpanicarum rerum ſcriptores memorant, fœdere, quod cum Mauris fecerunt dicti reges, comprehenſum fuiſſe, ut annui tributi nomine traderentur ingenuæ virgines. Quod pactum nefarium, & ignominioſum Chriſtiano nomine vocat *Mariana* lib. VII. c. VII. At ſi ingrata *Mahumediſmi*, aut *barbarię* nomina demas, aut in matrimonii opere excuſes: poteſtate ſuâ non impiè uſi deprehendentur Reges. Hæc enim humanitatis commercia, ſi in ſe ſpectentur, detractis invidioſis circumſtantiis, nullam culpam includent. Infideles

fideli-

fidelibus junctos, Apostolorum severitas non damnavit. Et vix tanta excogitari poterit barbaries sponsi, quam non aliquo modo vicina femina participet. Si nudam quæstionem contemplemur, *utrum imperium valeat ad elocandam invitam mulierem:* non possumus non affirmando respondere. cogitantes facultatem in caput, in omnia licita potentem; & examinantes hanc elocationem, quæ nihil moraliter malum includit. Tota difficultas *in religionem infidelis hic resolvitur.* At matrimonium, actus naturalis, & externa quoque cum infideli conversatio, cum lege naturali non prohibeatur, haud incusabitur injustitiæ. Nam si vitium aliquod subesset, sanctissimi Apostoli, aut Veteris quoque Instrumenti Doctores, omnia connubia talia rescidissent. Dum jubetur infideli nubere Christiana virgo, non jubetur impietatem mariti recipere. Et quid, si instrumentum existeret, cujus consuetudine salutarem fidem amplecteretur maritus? *At durum est, invitam barbaro & infideli sociare.* At durum quoque est, eximiam aliquam multitudinem virorum conjugio excludi, & invito cælibatu in ea prolabi scelera, quæ humanitas & natura horret. *Sed petant ab aliis connubiorum fœdera.* Quid si & illi alii denegent? ad te redibunt. Romanos enim, quasi consulto & ex composito, omnes vicini repellebant. Et quid, si volens fœmina ejusmodi Mauro, & infideli jungeretur, num peccaret? Vix in morali prudentia inveniam argumenta, absolutè crimen affirmantia. Ab-

solvendus

ſolvendus ergo Princeps à crimine, quando impellit ſubditum ad ea opera, quæ ſi volens ſponte ſuâ faceret, non peccaret. Num etiam ſeverè damnandi fuiſſent Mauri, ſi ab Hiſpanis repulſi, raptu ſibi conſuluiſſent? Qui raptas Sabinas commentantur, benignius reſpondent pro raptoribus. Et cum Benjamitarum maximâ parte cæſâ, quadringenti ſupereſſent cælibes, qui conſenſu patrum filiarum, uxores ducere prohibebantur: ſeniorum conſilio decretum eſt, ut virgines, in choreas procedentes, raperent. Id quoties contingebat, juſtè factum pronunciabant iidem ſeniores. Quomodo igitur injuſtè traderet Majeſtas illam, quam vicinus juſtè raperet?

XXI. Hæc omnia, & ſi quæ alia ſimilia forſan occurrant, ex Poteſtate in caput deducenda ſunt. Non me præterit, eſſe plures, qui ad finem univerſæ Reipublicæ reſpiciunt, quoties cauſſæ ejuſmodi poteſtatum deſignandæ ſunt. Præclarè oſtendunt, deſtinationem ordinis communis haud poſſe explicari, ſine actionibus illis ſi eſſet: finem autem in moralibus jus dare. Peſſimam fore conditionem omnium privatorum, & proinde Reipublicæ quoque, ſi defuncti civis liberi infantes aut impuberes defenſore deſtituerentur, qui nec caput imbellis pupilli, nec fortunas imperiti moderaretur. Inde detrimentum privatis bonis, quod Reipublicæ ubique nocet. Poſtulare concinnitatem univerſæ multitudinis, ut Munera publicæ adminiſtrationis, vel ab invitis Magiſtratibus ſuſcipiantur. Idem velle ſecu-

ritatem

ritatem omnium circa Legatorum missionem. Sed confunditur caussa impulsiva cum efficiente. Si enim ordinis observatio hæc talia operatur, non opus est Majestate: aut si ordinem à Majestate pendere, necessum habent fateri; motionem finis ne pro caussâ effectrice venditent. Quicquid cogitat, suscipit & molitur Majestas, saluti communi, & conservationi ordinis militat: propterea verò ordo hic non est caussa, producens imperatoriam actionem; sed saltem instigans Majestatem, ut tali modo operetur. Nam si dixeris, propter concinnitatem, aut salutem totius civitatis, civem oneribus gravari, periculosæ Legationi adhiberi: redundabit quæstio; quâ potestate civis caput, propter utilitatem publicam, in discrimen adducere possit Majestas? Ambages quæret, & nunquam respondebit sincere, qui non asseverabit; Potestatem in caput esse fundamentalem illam caussam, cujus virtute propter egregium publicum, labori, aut periculo exponi possit justè subditus. Hæc semel brevibus tangenda erant, cum auctoribus utramque paginam soleant implere.

CAPUT III.

DE

DOMINIO IN BONA PUBLICA.

I. *Dominium differt ab Imperio.*
II. *Dominii origo.*

III. *Quan-*

III. *Quantum concessum primitus.*
IV. *Summum retinet Deus, & regi communicat.*
V. *Bona publica in agris, sylvis, venationibus.*
VI. *Via publica, vectigal.*
VII. *Ædificia publica, Res sacra.*
VIII. *Salinæ, Fodinæ, Thesauri.*
IX. *Bona maris, fluminum, naufraga.*



DE Imperio in caput Subditi hactenus: alio respectu Majestas continet *Dominium in Territorium*, & *res, territorio adhærentes*. Separatam hæc à se invicem formalitatem sortiuntur, & non saltem Objectis, verùm etiam regendi modò, distinguuntur. *Imperium* est potestas in personam subditam, quam jubendo obligat ad obsequendum. *Dominium* est potestas de re corporali propriâ disponendi. Ibi *Persona*; hîc *res*, subdita est: quæ patitur domini sui arbitrium, & dispositionem, citra ullam cooperationem. At subditus, natura intelligens, jubetur, jussum exaudit, capit, obligatur, obtemperat. Assequitur intellectu mandantis Principis voluntatem, & expendens imperii, & actionis naturam; ad illud hanc componit atque exigit. Res inanima, aut bruta, regiminis, quod in eam est, nullum sensum habet, & ideò juberi potest nihil, nec obsequi imperanti: adeoque imperium, strictè dictum, ut in præcedenti capite usurpavimus, non nisi cum ingenti improprietate, in rem irrationalem dicetur pertingere. *Imperare* enim aliquod mandatum com-

complectitur, quod nisi in naturam intellectualem non dirigitur. Adjicienda etiam est illa diversitatis nota, quòd Dominium Majestaticum consequatur Imperium, sive in publica, sive in privata istud se exserat. De privatis suo loco. Dominium in publicum Territorium nasci ex imperio, hinc declaratur, quod persona subdita imperio, nunquam extra locum aliquem ponatur; sed certum aliquod terræ spatium occupet, ipsâ divinâ indulgentiâ facultatem ad id commodante. Quotiescunque autem Majestas conceditur alicui, multitudo insignis hominum præsto est, quorum singuli commodam sibi fixerunt sedem, universi autem sufficientem regionis tractum suæ civitati destinarunt. Ubi jam supervenit Majestas, & sub imperium recipit multitudinis hujus capita, non potest non locus, à singulis possessus, subjici potestati imperantis. Quod personâ redactâ sub imperium alterius, omnia bona mobilia, & immobilia simul subdantur regnantis potestati. Qui enim habet imperium in personam, simul habet potestatem in omnia bona, tanquam in accessoria. Ita constitutum imperium extemplò comitatur dominium in Territorium, seu regionem, quam sibi colendam multitudo, accipiens regem, sumserat. Quamvis illud quoque verissimum sit, Deum omnipotentem definivisse regnorum terminos, & Principi in universam civitatem tradidisse facultatem, divinæ parem, (infinitum & independens imperium in his formulis ubique excipimus, tanquam uni Deo dome-

domesticum) cujus vigore & homines regat, & dominetur terræ, sicut utrumque propriâ potestate Maximum Numen moderatur: ac inde surgere dominium in regionem. Attamen, quum ad unum aliquod primum caput, quicquid ubique rerum est, ordinetur; non nimis divellendus est conceptus dominii Majestatici, quasi separatim absque imperio subsistat, suâ virtute: sed reducendus est, ad fontem suum, ex quo derivatur. Præsertim, quum Deus regem constituat; & Majestate instruat, ut hominibus imperet; non ut primaria destinatione terram regat. Huic enim operi Dominium sufficeret; non requireretur Majestas: quæ imprimis homines subjectos habet, & propter homines, res illis subditas.

II. Antequam ad uberiorem hujus Dominii explicationem progrediamur, paucis occurrendum est dubio, quod obstare videri posset. *Nimirum ante Regis creationem, jam singulis dominium cessit in res suas, in animantia & immobilem sedem; & universis in universam regionem. Sive id jure naturali, aut gentium; sive etiam divinâ liberalitate contigerit: nunquam sine scelere vel singulis, vel universis eripietur, & Majestati assignabitur.* Huic difficultati ut faciamus satis brevi digressione ut dispiciamus, quæ origo dominii humani fuerit; tum quanta, & qualis concessio ejusdem, opus omnino est. Fictitiis originibus Juris gentium & naturalis, non immorabimur prolixè; verbo saltem tangenda sunt. Dominia *Iure Naturali* constituta esse, & *quarundum rerum domi-*

dominia singulos nancisci jure naturali, *quod cum ipso genere humano natura prodidit*; subinde legimus in Opere Romanarum legum. Quæ loca, quoties occurrunt cautissimè accipienda sunt; & interpretanda, de *permissione Iuris naturalis extra constitutam Rempublicam:* non de verâ concessione dominii, & perpetua sanctione. Capere feram, volucrem, piscem, ubi civili lege nihil contrarium decretum est, Juris naturalis dicitur esse. non quasi Jus naturale tradat facultatem occupandi bestiam; sed quod non prohibeat. Diversissimum est à Juris Naturalis indole, efficaciâ, objecto, quicquid potestatem sapit. Jus norma est actionum, quibus honestatem commendat, turpitudinem condemnat. Dominium, nec actio est, nec res in se turpis, aut moraliter honesta: & ideò jus naturale de dominio nihil novit. Istius juris perpetua nota est, ut immutabile, & omnibus hominibus infusum sit. Omnes autem species occupationis, inventionis, & quas alias Romani *Iuris Naturalis* affirmant, immutatas hodie jure esse, quis est, qui nesciat? Aquam sanè, cujus usus communissimus censetur, in quibusdam locis venditam, observamus. In Sacris notabile est *Num.* XX. 17. XXI. 22. *Deut.* II. 7. In ipso Romano Jure vestigia sunt, in L. I. L. XIV. §. 3. *de alim. vel cib. leg.* Omnibus hominibus commune est Jus naturale: trahe huc dominia, & una cum illo singulis inerunt. Sed quid dicemus de servo, qui jus naturale participat, nec tamèn dominium, ex illo surgens? Quo jure supera-

ſuperatum hoſtem ſpoliabimus dominio, & in illum ſtatum detrudemus, in quo dominii omnis reddatur incapax? Jus naturale cum ſuis regulis, nec conſuetudine Gentium, nec Majeſtatis civili Nomotheſiâ abrogatur. Non magis verum eſt, Iure Gentiũ cœpiſſe Dominia. Tribuat huic juri diſtincta dominia Rom. J Ct: non magis tamen hoc certum eſt, quàm *Regna hoc Iure eſſe condita.* Supra obſervavimus, nimis ambiguè hâc voce ſcriptores uti, & per eam *conſuetudinem ab aliquibus populis receptam*, intelligere, cujus interim cauſſæ reſtant indagandæ. Eo ſenſu quicquid in materia Dominiorum ad Jus Gentium refertur, accipiendum eſt pro more & conſuetudine; ſed nec perpetuâ, nec obligante. Hæc enim citra obligationem recipiuntur à populis: plenâ libertate aliud atque aliud conſtituendi. Quæ autem veri Juris Gentium ſunt, mutabilitatem ejuſmodi ignorant. Id quoque naturale eſt huic, ut omni Juri, ut actiones humanas moderetur: non ſit principium ullius poteſtatis effectorium. Nam ad productionem poteſtatis, aut imperii, nullum Jus, quà tale, aſcendit. Nos divinam indulgentiam Cauſſam allegamus dominiorum: Sacrâ Scripturâ teſtimonium perhibente. Excipimus Apoſtoli dictum, *Omnem poteſtatem à Deo eſſe*; generaliſſimè, ut dominium quoque, veram poteſtatem diſponendi de re, comprehendat. Ubi primordia mundi ſcrutamur, Divinæ conceſſionis illam reperimus formulam: *Creſcite & multiplicamini, & replete terram, & ſubjicite eam:*

& dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, & universis animantibus, quæ moventur super terram. Gen. I. 28. Confirmatum hoc dominium post diluvium, recenti quasi orbi in *Noacho* fuit, *Gen.* IX. *Terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ, & super omnes volucres cæli, cum universis quæ moventur super terram: omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt: & omne quod movetur & vivit, erit vobis in cibum.* Hinc arcessenda dominiorum incunabula. Benignissimi enim Numinis liberalitati acceptus ferendus est tot beneficiorũ cumulus, quibus in primâ creatione humanum genus in divinitatis consortium extollebatur. Nam & animam rationalem, instar illud divinæ sapientiæ, inspiraverat Deus: & sanctitatis suæ ideam voluntati impresserat; regulam verò inscripserat intellectui. ut homo ubique circumspectè ac providè; ubique honestè ac sanctè versaretur. Adhæc cum Supremo Numini in universa sua creata competeret absolutissimi dominii potestas; in societatem ejusdem benevola communicatione traxit Adamum: ut ad modum terrestris Numinis, de animalibus, plantis, & reliquis, pro arbitrio ad usum suum disponeret; omniaque pro lubitu moderaretur. Qua dominii concessione, ipsis rebus subjectis, animantibus imprimis, quæ sensuum opera subtrahere se humano dominatui poterant, nova quasi circumfusa qualitas fuit, ut hominis metuerent potestatem, ejusque effectibus resisterent. Unde in sacris illa de *terrore*, & *tremore*, quæ animantibus cœlitus imponuntur.

III. Hu-

III. Hucuſque ſacra nos abundè inſtruunt: quantum autem conceſſum ſit, non uſque adeò clarum eſt. Quum enim dominium Proprietatem notet, quæ excludit alterius diſpoſitionem: dubium emergere poteſt, quomodo primis parentibus diviſim, & poſtea tot liberis, dominium in omnes res fungibiles datum ſit. THOMÆ quidem HOBBIO illud in mentem venit, *Iure naturali quemlibet habere jus in res omnes: adeò ut facere pro lubitu, quæcunque voluerit, & ad ſe trahere ac poſſidere ſingula queat. Hac lege conceſſum eſſe, alterius invadere bona, & univerſum mundum ſub jugum ſervitutis mittere, quando cuilibet in cujuslibet fortunas ac corpus ea ſit facultas.* Verum tam turbulento principio erat opus, ut ſtatus naturæ meræ & belli, quem omnis natura & recta ratio damnat, ſtabiliretur. In rebus tanti momenti nullius dictatoriam agnoſcimus ſententiam. robuſtiſſimis argumentis fulcienda, & validiſſimis rationibus animanda ſunt, quæ in tam arduis negotiis, & nunquam alias inauditis, primum conſcribuntur. Iure naturali rapinam & cædem probari, novum eſt in morali ſapientia. Quin ipſe Scriptor tandem agnoſcit, dominium in res omnes, omnibus competens, fruſtraneum eſſe. Dum alius quoque in res omnes habet dominium, noſtrum irritum fiat, oportet. Dum alter in rem meam plenam habet facultatem, res mea non eſt: dum ego in aliorum bona competens aliquod Jus poſſideo, reverâ detentoris non eſt dominium in rem detentam. quòd duo ſeparata do-

minia nunquam ſubſiſtant, quæ ſubordinatione concinnâ ſibi non cohærent. Aut enim meum dominium impediet alterius: aut hujus evertet meam diſpoſitionem. Quando in ſacris etiam legimus indefinitè *hominibus in res, & terram dominium permiſſum eſſe*: cavendum eſt, ne plus tribuamus ſingulis, quàm reverâ acceperunt. Ego planiſſimè exiſtimo illâ divinâ beneficentiâ non eſſe permiſſum ſingulis rerum omnium dominium: ob rationem antea poſitam, quod hoc caſu omnes omnia, & univerſi ac ſinguli nihil haberent. Non inficiabor, Adamum ſatis amplum dominium, ſine detractione, ſine concurſu alterius accepiſſe: & quamvis poſt lapſum apprehenſio paullo fuerit laborioſior, proprietati tamen nihil deceſſiſſe. Tantam verò poteſtatem ad poſteros propagare, quo minus potuerit, ipſa dominii ſingularis natura, quæ in diverſos dividi neſcit, obſtat. Multiplicatis autem hominibus & poſteris Adami, hunc in modum proviſum eſſe arbitror, ut ſingulis aſſignata ſit facultas, ſufficiens ſibi ſpacium occupandi, & quærendi in hoc dominium: & ſi ita loqui licet, *non continuò dominium ipſum*; ſed *jus ad Dominium licitè acquirendum*, datum eſt. Unde ſignanter à Domino dictum cenſeo illud; SUBJICITE *vobis terram*: quod terram, dominio nondum ſubjectam arguit; aptam tamen & habilem eâ permiſſione, quę ſubjiceretur. Contingebat hoc beneficio Occupationis, quâ perfectum dominium quærebatur poſſeſſori: ne cui alteri Jus eſſet, impoſterum, de loco jam capto ali-

aliquid constituendi. Postquam aliquis posuerat sedem, consecutus dominium, excludebat omnes alios. In hoc enim momento omnis dominii virtus consistit, *ut sit proprium:* hoc est, *ita personæ adhæreat, ut ipsa præferatur omnibus in usu rei quæsitæ*, & avertat alterius occupationem.

IV. Quamvis autem possessor hunc in modum verum dominium sibi compararet, ut arceret alium hominem à rebus acquisitis: non abdicabat interim Deus in easdem res dominium suum. Animadvertimus enim nullâ traditione, aut communicatione, hominibus facta, posse à Deo removeri, quæ potestatem aliquam sapiunt, qualis in dominio utique comprehenditur. Sicut imperium, homini in hominem concessum, à solâ divinâ potestate oritur; simul tamen penes communicantem eminentissimo quodam modo remanet: ita in dominia humana validum manet dominium Dei; ut inferius illud hominum pro lubitu inhibeat. Ex hoc fundamento interpretandum est mandatum, de mutuandis vasibus Ægyptiorum. Non excusarem Israëlitas à furto, si aliena ipsi vendicassent sibi: sed ubi summi Domini auctoritas accedebat, non potest alicujus sceleris insimulari acquisitio. Rem quippe suam auferebat Dominus indignis possessoribus, & in chariores transferebat. Idem censendum est de damnis, tempestate, igne, fulmine, terræ motu, similibus, illatis. Quæ omnia naturæ mala justitiam immittentis in eô tuentur, quod dominia humana ab su-

premo Domino, ob caussas sibi soli cognitas, eripiantur. Hoc supremum dominium amplissimè communicat Vicario suo Deus. Quando enim multitudinem hominum unius Majestate regendam decrevit, Principi inserit jus, quale in partialem illum orbem ipse habet; hoc est, imperium in personas, & dominium in regionem, atque res ibi positas. Et nihilominus in hoc Principis dominium retinet Deus excellentius aliquod, præponderans hanc Majestatis potentiam. Eximius locus exstat apud *Ieremiam*, XXVII. 5, 6. qui dilucidè docet, Deo Opt. Max. quia creavit universa, & imperium in homines, & dominium in animantia & terram ipsam, competere: quod utrumque pro lubitu suo distribuat Regibus. Verba apponam: *Ego feci terram, homines & jumenta quæ sunt in superficie terræ, virtute mea maximâ, & brachio meo extento, ideò trado illam cui rectum videtur in oculis meis. Nunc itaque ego trado omnes regiones istas in manus Nebucadnezaris, Regis Babyloniæ, servi mei: quin etiam bestias agri trado ei, ut serviant ei.* Et in Psalmis (LXXXII. 8.) notanter dictum est: *Surge ô Deus judica terram: tu enim hereditarium, seu perpetuum, dominium habes in omnes gentes.*

V. Postquam ita in Majestatem transiit dominium rerum, præprimis territorii: dividitur hoc ipsum in duas partes, quarum altera subditis cedit, reservatâ Principi superiore facultate; altera in possessione Principis manet, & *Bonorum Publicorum* titulo venit. Partiri

hæc

hæc bona poſſumus, reſpectu *terræ* & *aquæ*. Aut enim ſolidus fundus eſt, aut fluvius, ſtagnum, mare, quod fines & limites alicujus Reipublicæ ingreditur. Terram iterum diſtribuimus in *Superficiem*, & *partes interiores*. In *Superficie* publicum eſt omne, quod privatis poſſeſſoribus non eſt traditum. Qua in claſſe ponimus *agros*, *ſegeti*, aut *gramini* deſtinatos, ad uſum Principis. Item *hortos*, & quemlibet locum, fructibus floribuſque ferendis conſitum; & in genere omne ſpatium, quod vel utilitati, vel honeſtæ voluptati Regis inſervit. Huc pertinent *Sylvæ*, & omne Sylvarum commodum, undecunque proveniens. Cujus enim territorium & ſolum eſt, ejus omnia fiunt, quæ in ſolo naſcuntur. Inde *Ius Foreſti*, & diſpoſitio de lignis innaſcentibus ſylvæ. Hac occaſione oritur *jus venationum*, quod illi tantùm juſtè tribuemus, cujus territorium eſt, in quo nutriuntur, in quo capiuntur feræ. Si peregrinum, ingredi parantem fundum, prohibere privatus poteſt: quidni multò magis ſubditos arceat Majeſtas ab ingreſſu publici arbuſti? Sed cum hâc ratione plures utilitates interciperentur, ſatius erat concedere tranſitum per ejuſmodi ſylvas: ſed ne quid attrectet ſubditus, aut peregrinus viator, quod privatis uſibus dicatum non eſt, ſeverâ lege ſanciri poteſt. Venationum igitur, ſubditis interdictarum, fundamentum, eſt Majeſtatis dominium in territorium, ſpecialiter, in ſylvam, & naſcentia in ſylvis. Quô poſito, non habemus opus confugere ad infirmas rationes, quibus excuſatur

Jus Venationum, Principibus solis in plerisque locis assertum. Dicunt; *Principem continuos labores pro Republicâ sustinere; eos solandos esse aliquâ voluptate. Accedere praescriptionem longissimi temporis, possessorum jus firmaturam. Nascituras lites inter venatores, & rem propè absuturam à seditione, si promiscua venatio, & usus armorum esset vulgo. Verendum esse, ne agricultura negligatur, aut species quoque ferarum perpetuo venatu extinguantur.* Honestè disserunt, qui ita statuunt: sed nisi aliunde accesserit justitia, & facultas feras sibi attribuendi, dictis argumentis non asseretur Principi Jus. Concessa voluptas abundè est Regibus; sed illa ne injusta sit oportet. Sola voluptas hucusque justitiam non includit. Quid si Princeps eam voluptatem sectetur, quem Reip. cura non nimis tangit? cessabit laboris praemium, & iniquè forsan excludetur subditus à venatu? Praescriptio nimis extenditur ab Scriptoribus ad negotia, quae plerumque fulcris aliis non sustinentur, & alienissima sunt insuper à praescriptionis virtute. Necessum est, ut Praescriptio habeat fundamentum in aliquâ Potestate, & versetur circa negotium, suâ naturâ non injustum. Si venatio subditis iniquè eripitur, nullo temporis spatio iniquitas in aequitatem vertet. Ingravescit injustitia, diuturno tempore exercita. Lites & certamina averruncari poterunt legibus, certum modum venatori definientibus. Venatio concessa fuit, cum armorum usus esset illicitus. quanquam seditionem, ob con-

cessum

cessum armorum usum, non metuat, nisi corrupta Resp. Incertus metus, negligendæ agriculturæ, non sufficit ad auferendum certum jus. Nec periculum erat, ut omnes species interirent; quum vix capiantur tot à singulis, quot à Principe unâ venatione. Non tuerentur Principem invalida hæc auxilia, nisi Dominio suo tutus atque securus esset. Quid enim responderent, si Princeps, Reipublicæ non satis studiosus, nec laborum, quas dignitas illa secum trahit, patiens, prohiberet subditos à consuetâ hactenus, & nunquam vetitâ alias venatione: si præterea populus pacatissimus, qui Majestatem reverenter habeat; & ferarum copiosissimus numerus esset, singulis venatoribus abundè sufficiens? Tali rerum statu affirmandum fortean erit; Principem injustè ad se trahere venationes. Tantum est ignorasse actionum regalium fundamenta. Eadem conditio est *Aucupii*. Quanquam enim aëris dicuntur volucres, qui aër proculdubio communis est: nidificant tamen vel in terrâ, vel sylvis & arboribus, & ex territorio aluntur. Domino ergo territorii cedent. Quod tum quoque affirmandum est, quando in privatis fundis capiuntur. Idem quippe Judicium hîc est, ac si privati jumentum in alterius fundo reperiretur.

VI. Huc referendum est spatium illud superficiei, quod à Principe quidem separatim non possidetur; nemini tamen privatorum assignatum, sed omnium transeuntium usui dicatum est, quod *viam publicam* appellamus.

Intuitu poteſtatis in hanc viam, promulgit Majeſtas illa Edicta, & Interdicta, quæ hunc locum concernunt. Animadvertit quoque in omnes, qui contra privilegia viæ publicę aliquid commiſerunt. Summa enim ſecuritas huic tramiti debetur, ut peregrinantes, & cives hinc inde commeantes, extra periculum poſiti ſint. Hîc fundamentum ſuum habent *Vectigalia*. Nemo enim cogitur, ut patiatur ſuas poſſeſſiones quemlibet ingredi: præſertim ſi aliquod damnum ex frequenti tranſitu emergat. quod uſu venire ſolet, ut viæ, quæ frequentantur, refectione indigeant, & ſumtuum erogatione. Quamvis autem vectigal in genere ſignificet omnem pecuniam, quæ vel *tributi*, vel *collectæ*, vel alio nomine in publicum confertur; unde Festo, vectigal dicitur *æs, quod ob tributum & ſtipendium, & extraordinarium populo debetur:* regna quoque, principatus, & agri dicuntur *vectigales*, qui aliquod tributum ſolvunt, aut publicè locati ſunt. Nobis tamen eſt precium, *quod à tranſeuntibus ſolvitur*; præſertim pro evehendis, invehendis, aut diſtrahendis mercibus. Imperatur nimirum ordinariè mercatoribus, qui commerciis ſuis rem faciunt. Quanquam etiam perſonæ poſſit imponi; modicum tamen illud eſt, & ab exteris præcipuè petitur, quando regionem noſtram appellunt. Quemadmodum in Angliâ fieri, notum eſt. A civibus tantundem exigere quidem Majeſtati fas eſt: prudentię tamen rectricis monitum erit, ut extra neceſſitatis caſum vel planè remittatur hoc

onus

onus, aut exiguum quid pendatur. Minus molestum erit ſubditis, vel peregrino æquiparari in vectigali, pro tranſitu per pontem, aut aliam molem, quæ commoditati & utilitati Reipublicæ, ſumtibus Principis exſtructa eſt. Tum enim præter Dominium in locum, accedit impenſarum ratio: quæ vectigal æquum pronunciat. Verùm æquitas exercendi vectigalis, alii doctrinæ, quæ officium Principis explicat, propria eſt: præſenti opere Poteſtatem perſequimur: cujus vigore Majeſtas exigit aliquid à quibuſvis tranſeuntibus, & ſi opus ſit, ſolitas exactiones auget. Inſtituere ſimul vectigalia, & augere licet Majeſtati: tum certis perſonis gratiam facere hujus expenſæ; item Pœnam Commiſſi infligere, ſi quis gnarus ac ſciens, & ſatis monitus, defraudare voluerit publicum. Ejuſmodi merces eripere impoſtori, vindicatæ poteſtatis opus fuerit. Ignoranti autem dictare mulctam, nulla poteſtatis efficacia poteſt.

VII. Ex genere publicorum Bonorum eſſe *Ædificia publica*, Armamentaria, Curias, Regias, ſimilia, clarius eſt, quam ut dici debeat. Circa *ſacras res*, templa, vaſa, & alia loca atque inſtrumenta, Deo dicata, dubium reſtat. Nam conſecraſſe hæc Numini devotas mentes, in aperto eſt. Romanorum lege prohibitum eſt talium rerũ commercium, ut nec alienari, nec pignore obligari queant. Verùm ſatis certum eſt, ejuſmodi res mobiles vel immobiles, exemptas quidem eſſe privatorum patrimoniis; non tamen deſinere eſſe ſub domi-

nio & possessione Majestatis. Nam constitutio, de non alienandis, aut oppignorandis his talibus, ab imperantis potestate, quæ in hæc extenditur, procedit: tùm maximè approbati casus, quibus venditio rei sacræ permissa est. Excepta nimirum à prohibitoriâ sanctione, *captivitatis, & famis caussa*; item *sepulturæ*. Nam ut redimantur ab infidelibus capti, ut alimentis juventur egeni, ut mortuis insepultis præstetur ultimum humanitatis officium: legitimas venditiones, & oppignorationes esse, censent leges civiles. L. xxi. C. *de SS. Eccl.* cum *Auth.* quod non absurdum sit, *animas hominum quibuscunq; vasis, & vestimentis præferri.* Eximiè quoque Canones: *Aurũ Ecclesia habet, non ut servet, sed eroget, & subveniat in necessitatibus. Quid opus est custodire, quod nihil adjuvat?* c. aurum. 20. xii. 2. Eo ipso dũ alienari permittuatur Sacra, in potestate permittentis, & dominio Majestatis sunt. Nunquã efficaciter transfertur res ad alium, quæ nõ est in dominio transferentis, aut cujus permissu transfertur. Plurima exẽpla egregiè annotavit GROTIUS, quibus ex jure Gentium ostendere conatur, *Sacra Reipublicæ esse:* L. III. c. V. n. II. quod captâ civitate profana fiãt, & in potestatẽ redigantur hostium. Sed cùm facta & dicta, circa hoc argumentum, hominum sint gentilium; nescio, an satis tuto iisdem fidendum sit: & valdè dubito, num locum inveniant circa res, immortali Deo cõnsecratas, judicia Ethnicorum, qui hostium Idola plerumque pro falsis Diis habebant, quos spoliare atque contemnere fas

esse

esse putabant. Quo ipso satis controversũ redditur, quod illis probari debebat; quod *quæ sacra dicuntur, non eripiantur humanis usibus, sed publica sint, sacra autem nominentur à fine, cui destinata sunt.* Nam TERTULLIANUS etiam, in Annotatis citatus, *id negotium sine injuriâ Deorum non esse, ex hypothesi disputat.* Et *tot Sacrilegia Romanorum*, quod Trophæa, statuit. Non impugno Grotianam Thesin, cùm idem sentiam: verùm istis allegatis & exemplis, nondum probatã satis video. Tutius quid suppeditarent exempla, ex Sacris litteris petita. Thesaurum quippe sacrum à Regibus Israeliticis, non impiis, traditum hostibus, non uno loco observamus. *Ioas* enim *Hasaëli*, Syriæ Regi; sive tributi ac vectigalis, sive muneris nomine dedit, quicquid in consecratis bonis reperit. IV. *Reg.* XII. 18. Idem in *Hiskiæ* rebus gestis occurrit, qui Sanheribo, Assyriorum Regi, propitiando misit, quantum in regio, & sacro thesauro pecuniæ fuit. IV. *Reg.* XVIII. 15. Non arbitrandũ est, optimos illos reges, bona, extra potestatem suã posita, contrectasse. Nam monuisset procul dubio Hiskiam Propheta, quum supplex ille Dei auxilium imploraret, & impetraret. Justè igitur fecerunt dicti Reges: sed quodnam est fundamentum justæ hujus potestatis? Quod Poëta dixit ex personâ adulatoris; *Divisum imperium cum Iove Cæsar habet:* invertendum est, ut fiat civilis sententia, hunc in modum; Conjunctum imperium & dominium, cum auctore suo, Deo, Princeps habet. Fac, ejusmodi consecratione donari

donari Deo aliquid posse: eò ipso momento, quo donaretur, particeps dominii fieret Majestas. Qui Principem consortem fecit imperii, & dominii, in universam multitudinem, in integrum territorium, nunquam excepit hæc donaria. Sed simulac donarium à devoto homine capit, continuo illud sub vicario dominio Regis ponit. Quòd nulla caussa subsit, cur hæc subtrahat Majestati; quæ nunquam extra sacros usus adhibebit talia, nisi urgentissima forsan necessitate Reipublicę. Nam in hostium quoque, verum Deum colentium, sacra, nulla petulantia victoris excusabitur, quę profanis usibus illa aptabit. Quo animo quid fiat, hîc multum interest. Diruere templum, nostrum, vel alienum, nobis propter hostium præsentissimam vim nociturum, licitum esse per Dominium publicum, omninò censeo. In contemptum Numinis non violabit, nec vasa, destinata sacris, in luxuriæ instrumenta vertet, nisi qui cum Belsazare certo & condigno infortunio cupiet mactari.

VIII. Intra terram Bona Publica habet Majestas, quantum in intimis recessibus & visceribus continetur. Quò pertinent *Salinæ* & *Fodinæ* omnis generis: quæ non tantùm sub viis & locis publicis, sed privatis quoque, Majestati cedunt. Non movemur dicterio; *quòd prædia, ut supra terram libera sunt in cælum usque: ita libera debeant esse usque in profundum.* Nam libertas ejusmodi ex naturâ privatæ possessionis nunquam surgit. Concessio superioris utrumque permittet, utrumque poterit

erit impedire. Nam vel sola superficies agro, aut prædio destinari potest; aut quantum fundamentis jaciendis satis est: reliqua servabuntur imperanti. In hujus quippe manu est, tribuere privatis possessoribus, quantum æquum judicaverit, in subterraneis. Sunt qui metallorum fodinas, propter amplissimas impensas, & ingentes sumptus, quibus privati non sufficiunt, Principi transcribunt. Sed dominium in territorium complectitur loca subterranea, ut non opus sit potestatem in metalla, & reliquas fodinas, ab heterogeneo principio divitiarum, opulentię, & sumtuum petere. Si enim universi subditi sufficerent sumtibus erogandis, forsan extorqueretur Principi facultas in hæc bona, & subditis assereretur? Num huc referri debeant thesauri, ambigere posset, qui reputaret, non amplius partem, aut proventum terræ esse, ab homine reconditam pecuniam. Interim, quia evasit dominium privatum, & facto hominis, plerumque avari, humanis usibus subducta, & pristinis tenebris, atque natalibus adeò restituta est; non arguemur ingentis confusionis, si eodem jure thesaurum censeamus, quo mineralia & metalla reliqua, & una cum his Majestatis dominio vendicemus. Nam quod interdum inventori totus, aut ex parte cedit, liberalitati Principis dandum est; non quasi nequeat sibi servare Majestas, & possessioni inferre, quod nullius privatorum est.

IX. Tandem dominio publico Majestatis subjacet *aqua*, cujuscunque generis sit. Non tan-

tantum in fluvios, aut ſtagna, intra territorium, valere diſpoſitionem Principis; ſed maris quoq; alluentis certos poſſe deſignari limites, intra quos imperium & dominium valeat, mihi indubitatum eſt. Utilitas ex hoc elemento in Rempublicam varia poteſt redundare: præcipua poſita eſt in piſcatione, & navigatione. Piſcatio omnino Principis eſt, tam in flumine, quàm mari, ſubjecto alicujus dominio. Neque adulatoriè locutus eſſet, qui Tyranni omnes piſces maris eſſe, reſpondit: modò de piſcibus intra limites Romanos id voluiſſet intellectum. nam hîc continens appropriat domino ſuo contentum. Sicut privatis poſſeſſoribus cedit, ſolo ſuperimpoſitum, inædificatum & implantatum. Naſcuntur piſces in flumine, aluntur in flumine, publico aliquo bono: cedent igitur publico. Piſcinas, & harum contenta non intelligo, cum artificiales aquæ ſint, & privatis jam permiſſæ. Sed publica flumina, & maria. Eodem modo ſe res habet, ac in venatione ferarum. quod & piſcatio genus aliquod ſit venationis. Ut igitur arcere poteſt imperans privatum venatorem: ita quoque repellere & ſubditum, & peregrinum, qui ripam & littora piſcandi animo acceſſerit. Non mirum eſt, Romanis licitum fuiſſe piſcari in flumine publico, & multo magis circa littora in maris: cum in hoc populo omnis venatio fuerit permiſſa. Nihilominus hæc permiſſio Majeſtatis eſt, quæ poterat non permittere. Quemadmodum videmus multis populis mare accolentibus, jus

jus piſcandi curæ eſſe, ne promiſcua licentia damnum inferat Reip. quâ occaſione ad arma ſæpe ventum eſt. Intereſt tranquillitatis publicæ, ut privatis, non niſi permiſſu Imperantis liceat piſcari. Navigationem, in flumine & mari, quatenus ſubditum eſt; determinare poteſt Princeps, in quantum dominium in hæc habet. Sicuti tranſitum per viam publicam definire valebat, vi dominii in partem illam terræ: ita navigantibus leges præſcribet, beneficio ejuſdem poteſtatis in aquam. Ex hâc facultate naſcuntur vectigalia, à navigiis exigi ſolita. quod in fluminibus frequentiſſimum eſt; nec non ubi maria in fretum anguſtantur. Eadem, quæ in terreſtribus vectigalibus, hîc ratio ſubeſt: quòd non cogatur ullo jure Majeſtas, permittere cuilibet flumen navigare; & impedire ideò poſſit, ſi quis contra voluntatem domini flumen, aut fretum tranſire paratus ſit. Inter fructus dominii publici, quod in aquam eſt, numeraverim ejecta in ripas & littora: quæ ſcilicet ex fundo ſuo fluvius, aut mare adjicit. nata in hoc fertili elemento, non ſecus ac metalla terræ, fiunt Imperantis, ut hujus ſolius juſſu, aut permiſſu occupentur: ſimiliter ſi maris unda quædam ex his ad vexerit, & littori appulerit, domino littoris proprium fiet. Et quamvis iterum Romanum jus talia ejecta inventori permittat; indulgentia eſt Principis, aut populi liberi communis uſus: non perpetuum & immutabile jus. Ita Electrum, quod in

littore

littore Borussiæ reperitur, Domino territorii servatur. Ita de omnibus ejusmodi advectis censendum est: Domini regionis esse, qui ex re suâ fructum percipit. In hujus manu positum est, indulgere subditis, ut aliquid ex his suum faciant: sed tum meminerint, ex beneficentia Majestatis illa acquiri, non suo jure aut merito sibi deberi. Quod in universum verum est de rebus, quæ nullius privati dominium adhuc dum ingresse sunt. Cæterum his bonis publicis nullo modò accensenda sunt bona naufragorũ, hyberno fluctu littori adjecta: quæ in pluribus locis, tanquam proventus maris, qui impendia, in aggeres facta, solari debeat, fisco adjudicantur. Immanitas est, & plus quam barbara consuetudo, amici & confœderati populi civem, qui nec læsit quemquam, nec lædere voluit, facultatibus spoliare, quibus tempestatis rabies pepercit. Iniquissimum jus est, quod afflictum exuit fortunis; salvum & divitem, dimittit integrum. Si in portum descendisset firma navis; jus nullum habebas in peregrina bona: nunc cum miser naufragium fecerit, deprædandus est, ne qua calamitas sola sit. Humanæ societatis interest, juvare miseros: afflicto verò addere afflictionem, paulo supra beluarum feritatem eminens crudelitas est.

C A-

CAPUT IV.

DE

DOMINIO EMINENTE.

I. *Potestas in bona privata;*
II. *Non est Protectio, Administratio, Iurisdictio:*
III. *Non Imperium.*
IV. *Non ordo Reip; aut necessitas.*
V. *Sed Dominium Eminens.*
VI. *Probatio ex jure civili, remittitur.*
VII. *Probatur à Consensu Doctorum;*
VIII. *A Scripturæ locis;*
IX. *Ab Essentia dominii.*
X. *Ostenditur Caussa proxima.*
XI. *Dom. Emin. non commendat rapinas.*
XII. *Nec peccat contra Principia juris.*
XIII. *Nec damnatur in Sacris Litteris.*
XIV. *Ejus effectus, Conservatio dom. priv.*
XV. *Vsucapio; ereptæ hostibus res.*
XVI. *Detractio, Mulcta, beneficii revocatio.*
XVII. *Tributum.*
XVIII. *Occupatio privatarum opum.*
XIX. *Dom. Em.* semper & ubique *habet Rex.*
XX. *An teneatur ad Compensationem?*



Ltera portio bonorum, quæ in Republicâ inveniuntur, in subditos transcripta, & singulis possessoribus assignata est: ita ut vi dominii, quod privati in has suas res habent, possint pro lubitu disponere; modò

modò dispositione tali nō peccent in leges imperantis, quibus illa circumscribitur & limitatur. Nam dominium privatorum potestas quidem est disponendi de re; verùm non absoluta & summa potestas; sed quæ superiorem agnoscit, à qua legem, & normam accipit. quare de essentiâ Dispositionis hujus, crediderunt JCti, esse restrictionem ad voluntatem legislatoris, ut procedat hactenus disponendi facultas, *quatenus quis lege non prohibetur*. Quæ definitio satis docet, de natura esse privati dominii, limitationem ejusmodi pati à Majestate, cui, post constitutum dominium singulorum, facultas superest in hæc ipsa possessa: quæ apertissimè se exserit in occupatione privatarum facultatum, quoties Reipublicæ ratio id postulat. Quoties nimirum hostis imminet urbi, munimentis non satis validæ, Imperantibus fas est, subvertere ædificia, incommodatura defensioni, & spatium dirutarum ædium, exstruendo propugnaculo, latiùs ducendis fossis, adhibere; & proximiores hortos, in valli usum transportare. Suburbia toties cognovimus diruta atque cremata, ne hosti receptaculo essent, quoties obsidionis periculum oppidanis incussit metum. Extra hostile periculum quoq;, ædificia, mœnibus & publicis operibus ita sociata & cohærentia, ut ex his incendium, vel insidias vicinitas reformidet, dirui ac prosterni, Imperatores *Arcadius* & *Honorius* præceperunt. quod ut in commune jus Romanis iret, æquum putantes JCti, Imperatorio Codici inseruerunt. L. XIV. C. *de op. pub.*
Et

Et hucusque consentiunt ferè omnes; esse Majestati jus, adhibendi privata in usum publicum: nec in diversum abeunt, qui ipsum Dominium Eminens inficiantur. Nam cogi posse subditum, qui suis fortunis nolit succurrere laboranti civitati, communiter tradunt, & à doctissimo FELDENO datur. in l. 1. Grot. *Quia munus civis exigit, ut omnia bona pro salute patriæ profundat: ad ejusmodi actionem virtuosam imperans subditos cogere, & nisi ultrò faciant, vel auferendo, vel pœnâ coërcendo, vim addere potest. Non tamen dominium absolutum in bona civium eidem competit.* Ad hæc formula Jurisjurandi, quo subjectionis fidelitatem sanctissimè pollicentur ac spondent inaugurato jam Principi, illud usitatum vinculum complectitur, ut *vitam & sanguinem*; tum *omnem fortunarum suarum substantiam*, Reipublicæ usibus, & Principis imperio, consecrent atque promittant. Ratio autem, propter quam subjicimus dominium privatorum Principi, illa est, quod dominium sit *aliqua Potestas; in Republica verò Majestati tanquam summæ potestati, omnis privatorum subsit potestas.* Cæterùm, qualis, & quanta sit illa facultas, qua Princeps obligatas subditi opes ab invito petere, & publicæ utilitati impendere queat, impræsentiarum dispiciendum est. Si cogi potest jure subditus, repugnans provisioni imperantis; considerandum accuratè, quæ sit illa potestas, cujus beneficio validè & efficaciter exigere queat bona subditi Majestas. Quodibet munus civis, cui obli-

obligatur, presupponit aliquam imperii facultatem. nec assequimur intellectu officium subditi, quod respectum non habeat ad praecedens aliquod Jus Majestatis. Aperiendum igitur erat, quodnam Jus imperantis, munus illud parenti tam potenter imponat, ut in nolentem justa procedat coactio, & occupatio bonorum sine scelere, & infami notâ rapinæ.

II. Qui vulgo hoc argumentum tractant, non rejiculam illius dispositionis, quę in privata se exserit, adduxerunt rationem: statuentes, *omnia Principis esse; Majestatem omnium in Republicâ esse dominam.* Sed verissimam assertionem corrumpunt, detorto interpretamento; Principis omnia esse, *ratione Protectionis, Administrationis, & Iurisdictionis.* quo ipso evertunt potestatem in bona privata. Sola protectio non denotat efficacissimam hanc potestatem: cum peregrina quoque soleamus protegere, in quæ nullum jus defensori datum est. Ita præsidiarii defendunt cives, & civium bona, contra hostes. ita custos aliquis mercede conductus, vigili oculo observat merces, ne furibus pateant. interim jus in bona nec vigili, nec militi competit. Et diversissimus à Protectione actus est, quem imprimis examinamus hîc. Occupandi scilicet jus quærimus, cujus beneficio Majestas, flagitantibus ita rationibus civilibus, invadere queat privatas possessiones. Tuetur suos atque defendit imperans, universali illa belligerandi facultate, quando ingruentium hostium impetus armorum

rum ope repellit, & integram Rempublicam ſalvam præſtat atque incolumem. Sed multum diſtat hæc tutela ab occupatione. Ipſe Princeps ſuo, & Reipublicæ tempore, invadens privata, quidvis potius aliud agit, quàm ut poſſeſſori eadem, quæ eripit, defendat. Quamvis etiam dixeris, *propter Defenſionem univerſæ civitatis, cui ſingulorum Protectio cohæret, eripi bona privata:* alieniſſimum à quæſtione attuleris. Non enim finem, ſcopum, ac deſtinationem eripientis attendimus jam; ſed fundamentum quærimus, & facultatem eripiendi. Supereſt priſtinum dubium; quæ ſit illa poteſtas, ex quâ involare queat ſingulorum fortunas, ad defenſionem univerſi. ADMINISTRATIONIS vocabulum minimè explicat tam ingentem rem: & mihi non uno nomine ſuſpectum eſt. quod ſacram illam referat ſententiam, opinantium; *Reges procuratores eſſe alieni imperii; quibus præter adminiſtrationem rerum, ad utilitatem publicam, conceſſum ſit nihil à populo.* Sed hi tales Majeſtatem, in faciem Magiſtratus transformant; & imperium regnantis in miniſterium atque ſervitium migrant. A quibus hominibus, non ſaltem civilis prudentiæ ſtudioſis; ſed ipſis Poteſtatibus regnatricibus cavendum ſedulo eſt. Magnum enim momentum in labefactandâ & evertendâ Republica faciunt ejuſmodi aſſertiones, quoties in vulgares & ſeditioſas animas inciderint. Uſurpabunt quidem hoc nomen *Adminiſtrationis*, etiam reverentes Majeſtatis viri: id tamen generaliſſimo ſignificatu, &

qui

qui idem notet, ac regimen, ſeu imperium, exaudiendum eſt. & tum maximè Deum intuebuntur, cujus Adminiſtrator, & Vicarius in regendâ multitudine Princeps eſt. reſpectu populi, imperans ubique Deum, præſentiſſimo imperio refert. Quis etiam miniſtro talem licentiam permitteret, ut invitis rerum dominis auferre poſſit bona? JURISDICTIONEM nonniſi præpoſterè allegaveris. Sive enim impropriiſſimè, & pluſquam vulgari notione, intelligas univerſam Majeſtatem: non penetrabis in veram & proximam cauſſam noſtri negotii. adhuc nempe ignarus, quale ſit jus iſtud, propter quod Princeps juſtè ad ſe trahit privata. Et in præſenti materia non ſatis habemus, nominaſſe integrum Jus Majeſtaticum: ad domeſticos fontes cujuſque actionis civilis & imperatoriæ reſpiciendum eſt; ſecundum quem particularem & determinatum reſpectum ejuſmodi quid poſſit Majeſtas. Sive ſuo genuino, & nativo ſenſu capias Juriſdictionis vocem, *pro Facultate judicandi*: in longè difficiliores ambages atque errores te indues; & eadem concinnitate, ex jure fœdêrum, aut pacis, derivare poteras hunc actum. Nimirum *ipſe actus* contradicit, & *objectum* Juriſdictionis longiſſimè hinc abit. Judicium Majeſtaticum circa controverſias civium, aut actiones, contra leges impingentes, & animadverſionem eis debitam, occupatur, nihilque aliud agit, quam ut cognoſcat, decidat, condemnet, puniat. Facultas autem in bona nec litem aut controverſiam reſpicit,

›icit, nec aliquod privati delictum; & o-
atur deinde illa, quæ à decisoriâ sententiâ,
pœnâ, quam maximè distant. Non enim
agimus tantum de illis, quę in pœnam eri-
ntur possessoribus. Nisi ergo velis distin-
ssima confundere, opum privatarum abla-
nem nunquam ad Jurisdictionem retuleris.
III. De IMPERIO idem affirmandum ar-
ror. Quamvis enim interpretum vulgus
n Protectione, Administratione, & Juris-
tione, conjungat *Imperium*: accuratiores
ilominus, deprehensâ istorum vocabulo-
n separatissimâ naturâ, maluerunt *imperi-*
i solum laudare caussam facultatis, in pri-
:a tendentis. Optimè poterant mereri de
ili studio, & reportare laudem rei dextrè
plicatæ, modò aperuissent, *quid nam sit il-*
d Imperium. Nam si quæsiveris hoc ab illis,
i ad ductum Romanarum legum hanc dis-
tationem tractant; non video quale, præ-
: *Merum & Mixtum*, imperium sint allega-
ri. & utrumque hoc sub Judicandi Potesta-
comprehenditur: dum alterum caussas ci-
les, & minus graves; alterum severiores pœ-
is moderatur. Aliud igitur fuerit hoc Impe-
ùm. Quod inexplicabile manebit, licet Cl.
ELDENI in L. 1. Grot. sequaris declarationem,
ii imperium civile *non dominium comprehen-*
t in res singulorum, sed disponit circa mores
vium, seu justum universale. Quomodo jam
rca bona privata occupabitur imperium,
iod mores civium format? quod justum or-
inat universale, cui ablationis actus minimè
M inne-

innectitur. Non obiter nominandũ ſaltem hoc principium; ſed perſpicuè illuſtrandum, ut ejus natura innoteſceret omnibus: tum robuſtis quoque rationibus firmandum erat; ut convinceretur quilibet, non aliud eſſe fundamentum, quando Princeps privata in publicos uſus trahit, quam Imperium. Hæc inquam, planis & vivis argumentis oſtendenda erant. Non ſatis eſt, *Senecam* adduxiſſe, qui primus videtur apportaſſe titulum *Imperii* in hanc diſceptationem. Pluribus quidem verbis explicare conatur illam loquendi formulam, *Principis omnia eſſe imperio:* num verò expleat cognoſcentis animum ſuâ declaratione, experiatur quiſque, ſeipſum ſincerè examinando, an ſatis capiat negotium. Verba *Annæi* hæc ſunt, *De benef.* VII. 4. *Iure civili omnia Regis ſunt: & tamen illa, quorum ad regem pertinet univerſa poſſeſſio, in ſingulos dominos deſcripta ſunt, & unaquæque res habet poſſeſſorem ſuum. Itaque dare regi & domum, & mancipium, & pecuniam poſſumus: nec donare illi de ſuo dicimur. Ad reges enim poteſtas omnium pertinet, ad ſingulos proprietas.* Et principio ſequentis capitis: *Enim ſic omnia ſapientis eſſe dico, ut nihilominus proprium quiſque in rebus ſuis dominium habeat: quemadmodum ſub optimo rege, omnia rex imperio poſſidet, ſinguli dominio.* Fateor me nec dum capere, quid ſibi velit Imperium: adeò ancipiti & inconſtanti ſenſu poſuit illud nomen. Interpretatur quidem de poteſtate: non malè; ſed qualis illa eſt poteſtas? Ambiguum per æquè ambiguum explicat. Millies dicat

:at licet, *Principis omnia esse Imperio*, hoc
, *potestate:* nemo doctior inde recedet. Po-
tatis vox generalior adhuc est Imperii voca-
lo: cum Dominium quoque respiciat, cui
ılè hîc opponitur. Istud quoque ignoro, quo-
odo ad regem pertineat universa possessio,
unaquæque res habeat possessorem suum.
actenus inauditum est in Possessionum do-
rinâ, duos unius rei possessores esse simul.
ec opus erat optimum regem huc vocare:
m pessimus Tyrannus eadem jura Majesta-
habeat, quæ pientissimus Rex. Et magis
magis suspectum mihi evadit hoc Imperi-
n, quo attentius contextum istius scripti,
asserti occasionem persequor. *Sapientis o-
nia esse*, dixerat. Hoc Paradoxum Stoicum
ustrat exemplo regis; sic omnia sapientis
se, quemadmodum optimi regis, imperio.
onsociat Regis imperium sapientis posses-
oni: quâ si verius illud non est, paradoxum
oportet. nam sapientis dominium in omnia
usquam figmentum est: in cujus consortium
Principis potestatem trahimus, nullam esse
tebimur. Et extinguunt totum negotium,
ıæ habet capite VI. *Possum donare sapienti,
10d viritim meum est, licet illius sint omnia.
'am cum* regio more *cuncta conscientia possi-
:at, singularum autem rerum in unumquem-
ıe proprietas sit sparsa: & accipere munus, &
ebere, & emere, & conducere potest. Cæsar
nnia habet, fiscus ejus privata tantum, ac
ıa: & universa in imperio ejus sunt, in pa-
imonio propria. Quid ejus sit, quid non sit,*
M 2 *sine*

ſine deminutione imperii quæritur. nam id quoque quod tanquam alienum abjudicatur, aliter illius eſt. Sic ſapiens univerſa animo poſſidet, jure ac dominio ſua. Deſtruitur Majeſtatis jus, imaginaria illa ſapientis facultate. Quoties imperium in tam vilem comparationem detruditur, ut privati hominis conditioni aſſimiletur, quantum in componente eſt, evertitur. Tranſcendit omnium privatorum, ſapientiſſimorum etiam, poteſtatem, quicquid Majeſtatem conſtituit. Regii moris haud eſt, conſcientia aliquid, aut animo poſſidere: præſentior, & efficacior vis ad noſtrum opus requiritur. Exponatur mihi, quid ſit *conſcientiâ poſſidere*, quid *animo*: in oppoſitione veræ poſſeſſionis, & veri dominii. Omnia eſſe alicujus, citra veram detentionem, & genuinum dominium, ſolâ conſcientia; hoc eſt, imaginatione invalidâ, quæ de rebus iſtis univerſis, aut ſingulis, nihil poſſit diſponere: nemo ſerius, qui extra figuram ludentem uſurpet vocabula, affirmabit. ad regiam verò poteſtatem, in privatorum bona ſe exſerentem, illud paradoxum non transferet, niſi Majeſtati inimicus. Quare non magis aſſentiar huic loco, quàm judicio, quod de hereditate, præcedente libro, vel probat, vel non reprobat. *Iuriſconſultorum iſtæ acutæ ineptiæ ſunt, qui hereditatem negant uſucapi poſſe: ſed ea quæ in hereditate ſunt: tanquam quidquam aliud ſit hereditas, quàm ea quæ in hereditate ſunt.* Et paſſim plura notavi in hoc Scriptore, quæ fundamenta civilia quatiunt & convellunt: & nolim

nolim auctor fieri Politicæ Studioso, ut cum eloquentissimo *Seneca*, qui argumento nunquam non servit, in tenebris micet. Cæterum, qui auctoritate *Senecæ* freti, aut suo ingenio usi, Imperii nomen adhibuerunt, ut modò dixi, quid per imperium intelligant, non aperuerunt. Quod si tamen politicum significatum inesse crediderunt, ut par est, huic voci, duplici notione accipi potuit: sed quarum nulla expediendæ quæstioni conducit. Si enim accipiant, tanquam *universalem & generalem terminum, qui integram Majestatem involvat*; minimè pugnamus, propter imperium habere Principem potestatem in bona privata. Idem quippe est, ac si dicerem; propter Majestatem Principi illud jus competere. nam imperium civile, & Majestas, hactenus Synonyma sunt. Verum quia non vulgariter & confuse tractanda sunt Majestatis Sacra: nominandum est jus certum, cujus virtute talia Majestas expediat. Redit enim quæstio; *qualis sit illa, & quæ potestas, quæ propter Imperium, & Majestatem, Principi in singulorum bona conceditur.* Ubi habemus actum aliquem particularem, ab aliis distinctum; non sufficit, imperium in genere, aut integram Majestatem allegare caussam: nisi jus armorum, leges ferendi, Sacrorum, cum reliquis, titulo suo & discrimine exuere, & relegato distincto singulorum conceptu, informe chaos velimus Politicæ inferre: sed ostendendum est, quodnam proximum, & genuinum principium determinata illa actio habeat. Eodem numero

ac jure censendam putaverim opinionem illorum, qui *Plenitudinem potestatis* in ore habent. nam præter summum imperium Majestaticum, nihil ex hac loquendi formulâ expresseris; quod cum imperio, nude posito, unum ac idem est. In eo nimirum peccat assertio, quod integrum adducat, ubi pars certa nominanda est. Originem interim suam satis defendet Plenitudo Potestatis, ut necessum haud sit dubitare, num à Deo, an à Diabolo proveniat. Nulla quippe potestas est, quæ ad Deum non referat suum ortum. Alio modo Imperium *strictiori, & adeò specialiori significatione accipitur, pro Potestate in Personam:* quemadmodum supra usurpavimus. Si dispiciamus jam applicationem, ad præsens nostrum negotium, neutiquam aptabitur hoc principium. quód persona satis discernatur à bonis, & imperium circa ejusmodi objectum occupetur, quod jussa regnantis exaudire possit. Ideo discrimen Imperii, & Potestatis in bona, supra ostendimus. Non potest autem particularis quædam facultas Majestatis, objectum suum deserere, & in aliud operari. quod singulæ circa congruam, & propriam sibi rem versentur: potestas autem inferior, non nisi ab analoga potestate inhibeatur & suspendatur. In occupatione quippe privatorum bonorum id potissimum agitur, ut dominium privatum, & ejus efficacia extinguatur: quod ut fiat, necessum est, *potestatem sublimiorem aliquam, & ejusdem generis intercedere.* Sic enim opus est, ut similia in similia agant. Imperium quod

Pater

Pater habet in filium, Maritus in uxorem, Dominus in servum, Principis absorbet excellentius imperium, in personam patris, mariti, domini. non aliter dominium privatum intercipi potest, quam per dominium aliquod sublimius; non per imperium, circa dominia minimè occupatum, nisi per mediatam consecutionem.

IV. Allegant alii *Necessitatem*, & *ordinem*, quem natura Reipublicæ servandę præscripsit. Verùm quod Necessitatem attinet, statim apparet, caussæ impellentis sustinere vices, non caussæ efficientis & fundamentalis. Posito enim, quod propter Necessitatem invadere possit Majestas privata: abundè constat, illud *propter*, non inferre principium, *per quod*, & *à quo* actus ille producatur. restat enim quæstio, *cujus potestatis jure Princeps contrectet privata, quando necessitas ingruit.* Necessitas nemini jus contribuit ad illa perpetranda, quæ in sua natura illicita sunt; multò minus confert potestatem aliquam. Figuratissimi sunt loquendi modi, qui ab inopiâ, & defectu ordinarii auxilii, aliquod insolitum jus mutuantur. Confundunt quippe caussam, *ob quam*, & impulsionem, cum caussa, *per quam*, seu efficiente. Solent quidam Moralium Doctorum defendere hæc de extrema necessitate; *quasi jus egenti concedat in res alienas; & ideo furtum non committat, qui in tali necessitate constitutus aliunde sumat, degendę vitę conducentia.* Quod ipsum primitivâ illâ rerum communione comprobat GROTIUS, in quam tali casu recidant

cidant res, ut cuilibet fas sit, easdem sibi adjudicare. Sed præterquam quod illa communio non est liquidæ veritatis: ipsę Sacræ litteræ furti coarguunt hominem, qui ad levandam famem aliena contrectat; & ad reddendum septuplum damnant. *Prov.* VI. 31. Et plures eruditissimi viri contendunt, ejusmodi necessitatē haud posse contingere. Quod ipsum in præsenti persequi haud licet. Utcunque se res habeat, nusquam sufficienter probatum est; necessitati eam adhærere virtutem, quæ jus det in aliena. Admisso etiam hoc ipso; communis hæc erit natura necessitatis, quæ singulis privatis tale jus conciliet: sed in Majestate excellentius quid sit oportet, quàm quod singulis assidet. Non conficies magis solidum fundamentum ex illis, quæ de *fine*, de *ordine Reipublicæ* disserunt: cujus natura aliquando insolito more fines inferiores negligat, ut summus, conservatio universi, constet sibi. Subtiliora videntur, & longius petita, quæ plurimi in hac doctrina, & alibi de juribus Majestatis philosophantur; quam ut percipi satis possint, vel negotium clarè exponant. Quis enim quęso *finis ille*, qui tantam potestatem tribuat? Singula curatè æstimanti patebit, finem qualemcunque posteriorem esse potestate. Propterea scilicet potestas data est, ut finem obtineamus. Finis, qui nondum est, operari nescit: multò minus facultatem concedere aptus est. non enim saltem dilutè nimis, sed periculosissimè quoque dicitur; *finem in moralibus jus dare*. De ordine itidem non satis perspicua res est.

non

non præcedit, aut confert imperii aliquod jus; ſed conſtitutum demum inſequitur. Et oppido difficile fuerit determinare, quis ordo ille ſit, qui in bona privata tantum permittat. quòd abunde pateat, novæ quæſtioni ſemper fore locum. Jam vero de *naturâ* ſi quærere inſtituas, quæ illa ſit, quæ Reip. modum & ordinem pręſcribat; vereor, ut ejus indolem vel declarare quis ſufficienter, vel aſſequi poſſit. Solemne quippe eſt in hac Philoſophia, quæ ex *natura finium & ordinis* res morales deducere conatur, ut plura verba reperias, quàm fundamenta.

V. Nobis ſine ambagibus, Poteſtas in bona privata, quæ præter actum ablationis plures alios producit, eſt DOMINIUM EMINENS. Quod vocabulum mutuamur hactenus ab incomparabili GROTIO; licet ab auctore non ſatis explicatum. nam præter titulum, pauca reperias, naturam hujus rei tangentia; & illa quidem talia ſunt, ut in nonnullis emendari velint. Ipſam rem alii pluribus perſecuti ſunt, & ad Jura Majeſtatis retulerunt, ſub generaliori inſcriptione, *Poteſtatis in bona privatorum*. Propius acceſſerunt plurimi JCtorum, qui proprietatem in privata Principi adſignarunt: quę proprietas, eadē cū dominio, ſub *Plenitudine poteſtatis*, intelligitur Scriptoribus. Quin ipſum vocabulum *Dominii Eminentis* non omnino primū à Grotio excogitatū, inde conjicio, quod *Dominiū Excellentię*, quod Deus habet in res omnes, etiam in poſſeſſiones privatas, apud Moralium Doctores occurrat. Forſā ex imitatione, Vicario Dei, Dominiū Eminens adſcriptū eſt. Apud

varrum quoque reperio, post *imperium regium* in universum orbem terrarum, Christo assertum, *Dominium in res singulas*, propter Imperium, Servatori secundum humanitatem vendicatum. Quod Dominium Recentiores vocant *Medium*; inferius quidem *Divino Excellentiæ*: sublimius tamen illo *vulgari humano utilitatis*. Quale imperium habuerit Servator, dispiciant Theologi: hæc tamen sententia commodè ostendit, præter summum ac independens Dominium Dei Creatoris, & commune illud, seu vulgare hominum singulorum, dari adhuc posse dominium intermedium, quod imperium regium consequatur. Tale asserimus Majestati, & cum GROTIO vocamus EMINENS: & dicimus, esse *summam in republicâ potestatem disponendi de rebus privatorum*. Ita enim generaliter definienda est hæc potestas, ut omnes effectus genuini, inde prodeuntes, possint includi. de quibus statim videbimus, ubi dederimus probatum, hanc facultatem esse verum Dominium: tam propriissimo sensu, ac JCti Dominium, privatis possessoribus tributum, accipiunt. In hoc quippe momentum contrariæ Disputationis positum est, dum impugnatores Dominii Eminentis acerrimis oppositionibus id inficiantur, & suum illud Imperium substituunt. Optarem autem, GROTIUS, aut alius hujus Dominii Assertor, perspicuis rationibus Dominii veritatem probasset, atque adversarios convicisset: & supersedere possemus jam hâc operâ, & ad alia transire: sed hoc subsidio destituti,

destituti, rem ipsi tentabimus: demonstraturi Dominium hoc, non tam auctoritate & consensu maximorum virorum; quam testimoniis Scripturæ; & imprimis ex naturâ intimâ Dominiorum. expositiuri quoque Dominii Eminentis caussam, atque effectus; tum commodâ sede satisfacturi contradicentium argumentis.

VI. Principiò removendæ mihi videntur, non satis robustæ veterum *Commentatorum* & *Glossatorum Iuris*, probandi rationes: quæ propter unam, aut alteram legem Justiniani, proprietatem & Dominium Principi addixerunt. Laudatur famosissima imprimis lex, *Benè à Zenone. 3. C. de Quadriennii Præscriptione.* quæ *omnia Principis esse*, affirmat. & non minus celebris illa *Antonini* ex veteri Jure, L. *9. Ad l. Rhod.* in qua se *Dominum mundi* appellat Imperator. Quarum neutra sufficit ad probandum dominium in privata, multò minus in orbem universum. Nam posteriorem assertionem Principis potius, quam veri studium, obsequentissimis viris extorsisse, tot imperantia sceptra, quæ præter Deum superiorem agnoscunt neminem, satis persuadent. & *Mundus* ibi pro *Romanâ ditione*, notissimâ loquendi formulâ, accipiẽdus est. Utraque verò lex, nudam continet assertionem, quæ suas probationes ulteriores desiderat. Ad res enim politicas universales, quæ omnes Respublicas, & specialiter Jura Majestatis concernunt, decidendas, nulla est auctoritas Juris civilis, qua civile est. non enim obligat alios

populos, præter Romanos. Quando autem communis aliqua ratio fubeſt, & allegatur, efficax ea eſt, ſuâ propria virtute; non legis civilis allegatione. Quanquam interim dictæ leges Romanis ICtis adhuc opponi poſſunt; quod phraſis illa, *omnia Principis eſſe imperio*, ex Iure Romano vix poſſit adduci: & dum *Antoninus* Romani orbis *dominus* ſalutatur, in eundem Dominium, quod præcipuè, & propriè res tangit, habere aſſerendus ſit. Hucuſque igitur ſuffragium darent noſtræ ſententiæ. Ratio autem quare inter argumenta, firmiter probantia, non reponamus hoc ſuffragium, illa eſt, quod novâ ratione firmante habeat opus. Cum enim nudè aſſeratur, Principis omnia eſſe; hoc enunciatum ſuis probationibus fulciendum eſt.

VII. Eadem claſſe recenſebo veterum atque recentiorum ſententias, concordes noſtræ: quæ conſenſui, circa hoc argumentũ probando, interim ſufficiunt. PHILONIS locus, l. II. *de Plant. Noë*, eximius eſt: *Quemadmodũ reges imperant quidẽ omnibus ſubditis, ſed maximè domeſticis, quorum ad corporis curã & reliquum victũ quotidianis utuntur miniſteriis. Iidẽ quavis totius regionis poſſeſſionũ ſint domini, etiam earum quæ privati juris ſunt, tamẽ ſola habere putantur, quę commiſerunt ſuis procuratoribus, à quibus annuos reditus exigunt. in eos ſeceſſus ſępe animi gratia ſe conferũt. graviſſimis regni ac Reip. ſepoſitis aliquantiſper curis & hi cenſentur poſſeſſionũ regiarum nomine. item argentum aurumq; & cætera pretioſa, quæ reconduntur apud ſubditos, regum magis ſunt, quã eorum à quibus habentur: atta-*

attamen sunt qui propriè dicuntur regii thesauri, in quibus ordinarii tributorũ exactores totius regionis proventus solent reponere. Iterum: *Et ne quis suspicetur Deũ indigere creaturâ quacunq; occinit* (Propheta) *necessario: Dominus regnabit in secula in æternum & ultra. Rex autẽ nullo habet opus, sed sub ejus jure sunt omnia.* Gemina habet GUNTHERUS, in Lig. l. III. ubi magnanimum FRIDERICUM, Principem suæ potestatis præclarè intelligentem, loquentem introducit:

Quo mihi divitiæ? cui servit gloria Mundi,
Quẽ possessor opum cum paupere dives adorat.
Quicquid habet locuples, quicquid custodit avarus,
Quicquid in occultis abscondit terra cavernis,
IURE *quidẽ nostrũ est, populo concedimus* USUM.
Rege figuratam, regis patet esse monetam:
Cæsaris & domino sub Cæsare fulget imago.

Non est, quod caussetur aliquis, hæc testimonia *Oratorum* & *Poëtarum* esse, quæ invalida sint ad tantam rem comprobandam: quod utriq; figuris uti consueverint, & veritatis scrutinium non semper cordi habeant. Qua de caussa GROTIUS, *in Prolegomenis ad Ius belli & Pacis*, rejicit ejusmodi argumenta. *Poëtarum & Oratorũ sententiæ*, inquit, *non tantum habent pondus:* (quantum Historiæ) *& nos sæpe iis utimur non tam ut inde adstruamus fidem, quam ut his quæ dicere volumus, ab ipsorum dictis aliquid ornamẽti accedat.* Quod si ejusmodi solitaria auctoritas loco rationũ nobis esset, suspectũ hac objectione fieri posset argumentũ. Jã alia ponderosiora nobis supersunt. Quamvis ex Oratorũ & Poëtarum dictis veritas & communis consensus

ſenſus de veritate poſſit elici. Nam & illud judicium in laudato loco GROTII eſt: *Vſus ſum etiam ad Iuris hujus probationem teſtimoniis Philoſophorum, Hiſtoricorum, Poëtarum, poſtremo & Oratorum: non quod illis indiſcretè credendum ſit; ſolent enim ſectæ, argumento, cauſſæ ſervire: ſed quod ubi multi diverſis temporibus ac locis idem pro certo affirmant, id ad cauſſam univerſalem referri debeat: quæ in noſtris quæſtionibus alia eſſe non poteſt, quam aut recta illatio ex naturæ principiis procedens, aut communis aliquis conſenſus.* Cumulari hîc poſſent loca Juris Romani, quæ auctoritatem Poëtarum, præſertim *Homeri* allegarunt, in deciſione controverſiarum. l. 1. §. 1. *de contr. empt.* item *Virgilii*, l. 6. §. 5. *de Diviſ. rer.* Quanquam cauſſa non eſt, quare *Philonem*, tanquam Oratorem; aut *Guntherum*, tanquam Poëtam ſuſpectemus. Non id agit Philo, ut cauſſam aliquam deſperatam peroret, & conquiſitis coloribus judici caliginem offundat: ſibi ſecedens, ac ſolitariæ meditationi intentus, explicare conatur, *quomodo Iſraël, ſit hæreditas Dei, cum in omnes homines habeat imperium.* utitur tunc exemplo regii dominii. quod idem facit in aſſerēdâ divinâ ſufficientia. Non opus erat, ut Tyrannum, aut ipſum Deum Opt. Max. adularetur: qui ſecum divinam clementiam atque potentiam perpendebat. *Guntherus* rem veriſſimè geſtam deſcribit: & ſententiam, ac verba Imperatoris exprimit. Quod ſi *Lucanum*, *Martialis*, *Servius*, ac plures alii eruditorum, teſtante VOSSIO, *de arte*

Poët.

Poët. cap. II. §. 3. eximunt Poëtarum numero, & Historicorum inserunt; quod non Poëma, sed res gestas scripserit: idem *Gunthero* facere haud dubitabo, qui nihil fictum suis libris intulit. Imperatorem quoque illius fuisse sententiæ, quod *proprietas rerum privatarum ad Majestatem pertineat*, notum est in vulgus. Dum efficiebat, ut *Martinus* JCtus, contra *Bulgarum* id defendens, & asserens æquum, haberet equum. Ventilabatur tum temporis vehementer hæc controversia; *num dominium & proprietas rerum privatarum penes Principem esset:* & prævalebant adeò rationes ajentium, confirmatore ipso *Friderico*. Propugnarunt hanc doctrinam plures Itali & Ultromontani JCti; quos recensere ordine, longum foret. Ex antiquioribus tacendus haud est Theophilus, qui signanter scribit de Principe: *non solum nostrorum bonorum, sed etiam nostrorum corporum dominus est.* Plures recentiores JCti atque Politici, Dominium Eminens, expressis verbis adstruxerunt. Ita Nobilissimus THEODORUS GRASWINCKEL, *in Dissert. de Iure Majestatis*, cap. IX. *Quin imo rectè rem censentibus, ne quidem vera sunt illa Senecæ*, Reges imperio cuncta possidere, singulos dominio. *Namque cum in bona nostra, cum in actiones nostras, major potestas sit legis ac Regis (cujus quidem Regis potestatem ostendimus excedere potestatem legis) quam sit nostrummet ipsa atque ipsorum; verius est, directum dominium esse penes Regem, subjectis vero non aliud superare, quam utile. Qua sane in* re,

re, ut ut dura & præfractior videri possit, nullum tamē est flagitium dominationis. Similiter sentit in subtilitatibus civilibus exercitatissimus BOECLERUS, in Disquis. de Dom. Em. *Simul illud intelligi datur, in jure supereminentis Domini, non quamvis & communem ordinationem summæ potestatis animadverti; sed exerceri actus verissimo dominio debitos.* Ut nunc celeberrimi Germaniæ JCti, HAHNII, & summi viri, HERMANNI CONRINGII, & complurium aliorum scripta ne tangam, qui omnes unanimi consensu, post severissima examina, Dominium Eminens approbarunt. Quorum consensus ingens momentum inquirendę veritati confert, & nostram sententiam à novitatis crimine facile potest excusare.

VIII. Non abnuunt Sacræ Litteræ. quę Majestati dominium in omnia privata tribuunt. Locus 1 Sam. IX. 20. de Jure Regio, eximius est, qui Majestatem compendiosè declarat, & post imperium in personas, dominium quoque in res exponit. Ubi post sublatas ad publica officia personas, id jus fore imperaturi Regis, proclamat ex formula divinæ Sanctionis Propheta: *Agros vestros & vineas, & oliveta optima tollet, & dabit servis suis.* Non est, quod dicas potestatem, non regiam, sed tyrannicam designari. GROTIUS ipse neutiquam ad jus referendum putat, quicquid ibi de Rege prædicitur populo: potius ad injuriam interpretatur, & declinationem regni in tyrannidē; cum effectu negatæ resistentiæ. quod in communē opinionem evaluit. Longè abesse à bono principe

rapto.

raptorem animum,& aliena invadendi libidinem. Suum cuique tribuere, & publicam salutem ante privatam ponere, id regii muneris atque ingenii opus esse. in id à Deo quoq; constitutos reges. Non præscribi normam igitur recturo, secundum quam imperari debeat, aut liceat: sed prædici imperaturi vitia, & iniquam potentiam, quam sibi arrogaturus sit, ex malâ libidine omnia turbans. Sed potestas nulla vitiosa,aut tyrannica est. Et Regem petierant Israëlitæ, non tyrannum; Regem quoque se daturum pollicebatur Deus, & regium Jus proponebat. Quod si tyranni fuissent illa commemorata à Samuele opera, jure excepisset populus; deprecari se talem sævitiam, bonum ac facilem Regem se petere. nunc ubi non movetur ingenti regis futuri potestate in capita & fortunas: indicio fuerit, nihil nisi regium à Deo fuisse prædictum & constitutum. Nec simile vero est, Deum licentiam dedisse sceleri, & ut fas esset Sauli, injusta quævis designare, amplissimo privilegio indulsisse. Jehovah non est Deus, cui placeat iniquitas: nedum qui eandē publicè promulgato diplomate confirmet. Id quoq; dubio caret, plerosq; actus, inibi designatos, fatentibus ipsis adversariis, vitium nullū tyrannidis continere. Quā ægrè ferat aliquis, si indulgētia Principis, vulgari conditioni exemptus, constituatur Chiliarchus, aut alio splendido munere decoretur. Partem decimam fructuum exigere, moderatissimum jus est. Ablatio sola vinearum, agrorumq; haud damnabitur: cum prægnantem caussam ubique inclu-

includat; & moris divini nunquam ſit, æqua iniquis commiſcere. Et non puto Samuelem pro adulatore ſe egiſſe, ubi Sauli, de aſina ſciſcitanti, regnum annunciat. *Cujuſnam erit, quod optimum habetur in Iſrael, an non tuum erit, tuæque familiæ?* Non habebat opus Propheta, ut Sauli blandiretur, & ejuſmodi ſuggereret, quæ in rapinas inclinarent animum futuri Regis. Poſtquam à cæde Orientalium regum Abrahamus rediiſſet, occurrebat Sodomorum Rex, & ſubditos ſuos, hoſtibus ereptos, ut redderet ſibi victor, petebat; bonis ſubditorum ei permiſſis. Abrahamus verò & viros reddebat,& negabat, ſe ex bonis, quæ ad Regem Sodomæ pertinerent, minimum retenturum. Impudentiſſimus ſimul, injuſtiſſimuſque fuiſſet rex, qui ſibi arrogaſſet facultatem aliena donandi: & quomodo Patriarcham à conſortio iniquitatis excuſem, quod non contradixerit continuò, increpando regem, quod liberalitatem voluerit exercere de alieno, non invenio. niſi dicamus, & Regem ſuum jus in privata bona noviſſe, & tale credidiſſe Abrahamum. Ex Novo Fœdere notatu dignum, quod Servator reſpondebat Phariſæis, de cenſu & tributo, Cæſari pendendo, ſubdolè interrogantibus: *Reddite Cæſari, quæ ſunt Cæſaris: & Deo, quæ ſunt Dei.* Quibus verbis expreſſè dicitur, Cæſaris jam eſſe quæ eidem ſolvenda erant. Et vocabulum *Reddite*, non eſt temerè poſitum: ſed præcedentem potius liberalitatem imperantis notat, qui nummum communi utilitati donavit. Plura ejuſmodi

modi advertere licet in Sacris, quæ Dominium Majeſtatis præclarè roborant.

IX. Nunc ad ipſam Naturam Dominii contendimus, oſtenſuri, ex ipſâ eſſentia Dominii, ut ſic, arguendum eſſe, Dominium Eminens eſſe verum Dominium. Deſcriptio Dominii accuratior illa fuerit; quâ dicitur, *Poteſtas perfectè de re corporali diſponendi*. nam uſitatior definitio, qua ſtatuitur, *jus diſponendi de re, quatenus lege non prohibetur dominus*; anguſtior eſt, & dominium ſub Republicâ conſtitutum explicat. In noſtra definitione autem duo præcipua membra latent, *Poteſtas non tantum diſponendi*, ſed etiam *perfectè diſponendi*. Utrumque jus aſſerimus Majeſtati. Habet facultatem diſponendi de rebus, non obſtante, quod ſinguli privati poſſeſſores ipſi quotidiè diſponant de rebus ſuis; emendo, vendendo, locando, commodando, donando, & multis modis alienando. Scilicet in hâc ipſa privatorum diſpoſitione, Majeſtatis diſpoſitio poſita eſt in Civitate: quod ab hâc dependeat illa. Ut poſſit ſubditus talem in modum de rebus ſuis diſponere, id omne proficiſcitur à diſpoſitione Imperantis. Hic introduxit modos privatæ diſpoſitionis, ut ſub hac, non aliâ conditione, liceat emere, vendere, donare, & ſua ad alium transferre: & conceſſit adeo facultatem ſingulis, de rebus ſuis legitimè diſponendi. Intra limites nimirum præſcriptos. quos ubi obſervat ſubditus, habet jus diſponendi, atque adeo dominium: ſin egrediatur definitos terminos, nihil agit; quod deſti-

destituatur jure disponendi, propter cessantem, aut contrariam Majestatis dispositionem. Utrumq; à Majestate est, ut possint subditi disponere, ut non possint. Quādo igitur quotidie privati disponunt de suis facultatibus, ipsa exercetur Majestatis Dispositio, quæ permisit civibus, ut disponant; & præscripsit regulas, secundùm quas tenentur sua ordinare. Si enim observent singuli Imperantis Dispositionem, in ordine disponēdi; nemo dixerit; exulare Principis dispositionem ab hac privata dispositione; cùm hujus integritas ab illâ, & in illâ consistat. Sive contraveniant, & legem dispositionis transiliant; conspicua magis redditur superioris dispositio, quæ illam subditi impedit, & irritam facit. Quotidie videas Judices disceptare litigantium caussas, & definire controversias: hæc ipsa tamen disceptandi, & definiendi potestas, à Majestate proficiscitur, conservatur, regitur: & Jurisdictio Principis, in Judicum sententiis viget ac observatur. Eadem Dominii ratio. Deinde *Perfecta* est illa Principis potestas: hoc est, secundum Moralistarum formulam, habet Jus prælationis præ suis subditis in jure disponendi de rebus privatis. Sola Majestas est in Rep. quæ modos transferendi dominii constituit, quibus alligatur subditi dispositio. In istius manu est, novas acquirendi proprietatem figuras introducere, pristinas immutare, atque adeò coërcere dispositionem privatam, aut novis legibus circumscribere. Perfecta illa, & propria facultas disponendi, in eo maximè illucescit; quod dispositio priva-
torum

torum nihil valeat ſine diſpoſitione Principis: hæc autem illi omnem ſuam ſubſtantiam largiatur, eandemq; poſſit plane evertere. Ad hoc ipſum enim, ut evertatur privata diſponendi poteſtas; amplior atque prolixior ſuperioris accedat diſponendi facultas oportet. Illud vero demonſtrari poſſet ad oculum, omnibus illis Dominii Eminentis effectibus, ſeu operationibus, quibus eripiuntur privatorum res, & ſubtrahuntur eorum diſpoſitioni. Ad illuſtriores retulerim, extraordinariam illam occupationem privatæ poſſeſſionis, quam civiles rationes ſibi poſtulant. Item revocationem prodigę donationis, ab anteceſſore potiſſimum factæ. Mulctas item, & bonorum publicationem, ob delicta: nec non omne impedimentum, prodigo poſitum, ne diſpenſet de rebus ſuis. Ut & Jus Detractionis, uſurpandum in bona emigrantis civis: uſucapionum introductionem. & ſi quid aliud eſt, in ſequentibus exponendum, privati dominium ſuſpendens, aut eripiens. In his omnibus deprehendes perfectiorem Principis poteſtatem, ſuperantem pluribus modis illam ſingulorum diſpoſitionem. Ut jure domino & juſto poſſeſſori eripiatur aliquid; excellentior aliqua poteſtas, de rebus legitimi domini diſponendi, præſupponatur oportet. Ut hominem, aliquid delinquentem, pecuniaria pœnâ caſtigare queat Princeps; in pecuniam caſtigandi habeat poteſtatem, ut invito poſſeſſori queat extorquere. Prodigus nullum hactenus deſignavit delictum, niſi quod liberalitatem incautius exercuit: ſupervenit Majeſtas, &
inter-

interdictione bonorum docet, quousque illud verum sit; *quemlibet sua rei arbitrum ac moderatorem esse.* Ut per usucapionem dominium alteri eripiatur, alteri adjiciatur, à proprietate illâ disponendi imperantis procedit. Major scilicet potestas minorem in his talibus absorbet. Et sublimior omnino est facultas disponendi, quæ alterius dispositionem sistit & extinguit. Unde clarissimè patet, Imperatoriam, seu Majestaticam illam potestatem disponendi de rebus privatorum, adeò perfectam, ut contra dispositionem & voluntatem possessoris jure valeat, verissimum esse Dominium.

X. Ejus fundamentum aperiamus, quomodo Eminens Dominium Principi adhæreat. Recurrendum principio nobis erit ad summam Caussam, à quâ Principis Majestatem descendere docuimus. Deus nimirum Optimus Maximus est, qui suam potestatem, quam habet in aliquam regionem, & ejus incolas, tanquam orbem particularem, Regi communicat, suo Vicario. Quemadmodum autem supra ostendimus, duplicem esse hanc potestatem, in personas & in res: ita utramque, imperium & dominium, conjunctim in Vicarium suum transfundit Deus. Et dominium quidem Dei, cùm non tantùm valeat in res immobiles, tractum illum, & definitum spatium, quod civitatis socii insederunt; sed res quasque mobiles, & omnem supellectilem atque instrumentum civium: consequens est, ut in immobilia atque mobilia quævis, Principi similiter concessum

jus

jus adstruamus. Tum propter naturam Vicarii, quæ in hoc consistit, ut Princeps, supremum Numen in suâ civitate referat, quoad omnem potestatem civilem. dominium autem in Republica esse potestatem aliquam civilem, nemo facile negaverit. Tum, ne in potestatibus hiatus detur, & vacuum politicum, si privati dominii potestas in Republicâ non agnosceret superiorem. Sed hucusque communicatio Dominii, Regi divinitus facta, generalis & remota caussa est: proxima est *Imperium in personam* subditi. Illud quippe effatum perpetuæ veritatis est; *Quicunque in personam aliquam plenum habet imperium, ille simul habet dominium in omnes fortunas, personæ subjectæ.* Ratio hæc subest, in vulgus notissima; quod *Accessorium sequatur conditionem principalis sui.* Iam verò citra operosam arguendi figuram manifestum est, Personam cujusque hominis principale quoddam esse; Bona autem & divitias, accessorium. Conficiendum igitur necessariò; Bona subjici potestati illius, cujus imperio persona subdita est. Eamus per omnia imperiorum genera, quatenus plena sunt, & naturam perfectam servant: in singulis deprehendemus inclusum dominium. Servum nihil habere proprium, clarius est, quàm ut dici debeat. Quicquid acquirit, Domini facultatibus adjicit. Non propterea, quod incapax t dominii, civilis facultatis, in servum haud adentis; quæ caussa remotior est; sed quia persona, seu caput servile, subest imperio domico. Propter hanc subjectionem capitis, impe-

peranti domino cedunt omnia bona, per servum acquisita. Similiter filiusfamilias, licet respectu servi liberum caput habeat, quia tamen Patriæ potestati subjacet, non habet dominium in res suas. Quod exemplis Romani Juris illustrari posset, præsertim si bona adrogati consideremus. Quoties enim sui juris persona se adrogandam dabat alicui; concedebat sub ejus imperium, & omnia sua bona illius potestati mancipabat. Circa maritale imperium eadem contingunt; ut mulieris, cujus voluntas viro subjecta est, bona quoque subjiciantur. Multo magis summum illud imperium Majestaticum, quod reliqua omnia transcendit, complectetur dominium. nisi forsan potestatem herilem, aut paternam excellentiorem Majestate absurdè statuas. Frustra sunt, qui dominii & imperii discrimen urgent. Novimus enim hæc distingui, tanquam constituens & consequens: illud quoque non ignoramus, proprietatem ita distingui ab imperio, ut dominus ædium, jus imperii in illas non habeat. At ideò invertere negotium, & negare, *imperio includi dominium*, haud licet. A CAROLO enim MOLINA perperam traditum puto, *proprietatem & directum dominium non esse de substantia regni, seu regiæ dignitatis, quia illa non principi, sed coronæ, sceptro & solio regio inseparabiliter cohæreat*. Quasi vero hæc verba sensum aliquem conficiant in civili doctrinâ. cùm nullus politicorum intelligat, quid sit corona, sceptrum, solium, proprietate illa instructum, & oppositum Principi.
Non

on credo, inanimis illis Majestatis insigni-s, jura Majestatis tribuentur. Si quis forte, perio non comprehendi dominium, evin-e velit inde, quod apud Romanos, & uxo- præter dotem, quæ tamen irrevocabiliter n cedebat marito, *bona paraphernalia* ha-erint; & filiifamilias peculia *adventitia*; m *Castrensia* & *quasi-castrensia*. Is attendat peria illa civium Romanorum; & infracta n reperiet à Majestate. mirum ergo non est, imminutum imperium, eum effectum se-m non trahat, quem habet integrum. Imo in c ipso imminuto dominio parentum & ma-orum, agnoscat Dominium Eminens. Sicut iperium Majestaticum omnia imperia infe-ora ad se rapit; & ipso actu in republicâ Ro-ana, & hodiernis ferè omnibus, sibi vendi-t: ita quoque Dominium Eminens illa pri-torum Patrumfamilias dominia, ex impe-o domestico propullulantia, vel elidit, vel aximoperè circumcidit. Inde est, quod in epublica uxores scire velint, quid in mari-m transferant, quid ipsæ retineant sibi; quod ius habeat suum peculium, dominio patris emtum. Si illibatum mansisset imperium, tegrum quoque fuisset dominium. Ab hac itur instantia, quæ imperia non vera, sed so-m nomen gerentia, nobis objicit, non la-factatur nostrum assertum.

XI. Excipiamus deinde, & infringamus lversa tela. *Turbari*, clamitant, *quietas pri-atorum possessiones, dum proprietates tollun-ur, & in unum transferuntur principem. An-*

 tiquari

tiquari juris naturalis scitum, quod jubet suum cuique tribuere, dum nemo est, qui aliquid proprii habeat. Damnandam doctrinam, & quæ Principis arbitrio subditorum bona sic permittat, ut nullâ urgente necessitate huic auferat, quod alteri donet, aut sibi servet: quæ Principi etiam optimo, minimè bonum datura sit consilium; utpote extra officium raptura integerrimum: malum autem, & Republicæ negligentem, pessimo tyrannidis instrumento armatura, ut sub prætextu Juris, privatorum facultates invadat. Utut omnem substantiam Dominii Eminentis pervadam atque perscruter, nondum possum assequi cogitatione, quomodo hæc horrenda dogmata Dominium Eminens consequantur. Quo si turbantur possessiones, etiam obscuro illo, & inexplicabili imperio, quod illis in privata valet, turbabuntur. Sive enim Dominium, sive imperium facias superius singulorum dominio, eadem turbatio fuerit metuenda. quia tam facili negotio sub specie imperii, quam dominii, invadere posset bona. *Sed ab imperio non tolluntur proprietates.* Respondeo; nec à dominio eminenti, cujus munus est, dominiorum & proprietatum privatarum conservatio. Non infert hoc dominium aliquam rapacem invasionem; sed superiorem, & vulgari sublimiorem potestatem, quæ dominia privata moderetur. Quare verendum non est, ne desit occasio exsequendi legem, quæ suum cuique associat. A Dominio quippe Eminente singuli cives habent sua bona, contradistincta aliorum facultatibus, & adeò munita,

nita, ut quietâ possessione fruantur. Habet quisque privatorum suum proprium, licet patiatur jus superius Majestatis: quod ad illicita nunquam porrigitur. Dicis; *Si Princeps habet Dominium in privata, pro lubitu bona rapiet, spoliabit subditum: quod de re sua plenum jus disponendi habeat, eamque ad se possit trahere, nemine reluctante.* Ego vero, ut Deus misericors tibi, ineptissime argumentator, sanam mentem, & jurium Majestatis intelligentem velit indulgere, seriò precor. Quis unquam tradidit illam dominii efficaciam, per quam dominus possessionem rei cuique alii detinenti, possit eripere? Nusquam Romani JCti domino concesserunt facultatem expellendi pro lubitu usufructuarium; aut subtrahendi pignus creditori. Nec Feudalium Interpretes docuerunt, Seniorem ex suo arbitrio, posse Vasallum feudo exuere. Hos nimirum dominos ab invasione rei suæ pactum prohibet: Majestatem officium; tum civilis ratio ac decor. Principes nimirum originis suæ memores, populi potius, quàm suum commodum procurant: eô lucro, ut & propriæ divitiæ inde constent. Dei vices se gerere arbitrantur, cujus licet omnia sint, omnium tamen usum largâ manu dispensat hominibus. Idem faciunt Vicarii, omnium fortunas suo complexi jure, nemini citra caussas quicquam adimunt. Sciunt ad hoc concessam omnem potestatem, ut tanquam beneficum aliquod Numen, suorum procurent utilitatem & civilem beatitudinem: non ut concreditam sibi mul-

titudinem affligant. Præterea existimationis regiæ interest, ut extra caussam necessitatis Princeps abstineat manum à privata possessione. Puerorum est, repetere, quæ dederant paullo antè. Imprudentissimus censeretur merito Rex, & suæ auctoritati inimicissimus, qui sua decreta subinde labefactaret temerè. Assignavit jam semel subditis propria bona, definivit modos acquirendorum dominiorum, & omnibus tranquillam possessionem promisit. neminis magis interest, ac Regis, ut quisque suum habeat atque retineat. Immutare ordinem hunc, quem ipse introduxerat, à prudente longissimè abest. Cui etiam fini tenderet bonus ac prudens rex, sine caussâ privata invadens, nondum intelligo. Si indigentiam diceres, jam caussam nominares, licet in principem haud cadat. Si Aristotelem quidem audimus, *Rex non est, cui sua non satis sunt, quique non omnium bonorum copia antecellit. At qui talis est, nihil praterea desiderat. Itaque non sua, sed eorum, quibus praest, commoda intuebitur.* Ut avaritiæ explendæ operetur, caussa suspicandi non est. Diviniora cogitata sunt regalis animi, quam ut sordes illas angustæ & opacæ animæ admittant. Indecorum, & repugnans majestatico splendori, & prope maximum scelus putant reges, famæ studiosissimi, pecuniâ capi. In promptu est magnificum exemplum FRIDERICI, augusti illius Imperatoris. Hic & noverat, & publicè profitebatur, sua esse propria, quæ subditi possiderent: num propterea rapinis fuit infamis? potius

potius censuit, plura in vulgus distribuere, ut satisfaceret ubique suæ Majestati; quæ

Fundit opes, nitidasque manus ærugine turpi
Fœdari, scelus esse putat, dignumque pudore.

Nunquam obliviscetur hujus decori verus Princeps; sed Patris, sed Dei vices referet ubique benefaciendo. Tantum igitur abest, ut bonus Princeps degeneret ex suggestione doctrinæ, de Dominio Eminente; ut hæc potius sublimi, & prolixô cogitatu, eum abstrahat ab invasione privatarum rerum; & doceat, abjectissimi hominis opus esse, pretioso illi luto inhiare; indignissimumque personâ Regiâ. Si propter Tyrannum rejicimus hoc dogma: universa Majestas damnanda est, qua ille horribilem in modum abutitur. Sed Tyrannus in corpora & fortunas sæviet, (alias nondum esset tyrannus) citra Dominii Eminentis suffragium. nec retinebitur intra cancellos officii, si millena *Imperia* objeceris. Conservabuntur ab optimo Rege per Dominium Eminens singulorum bona: quæ à Tyranno infestantur, ante cognitam sententiam nostram. *Sed quid? si putet Dominium ad promiscuam valere direptionem?* Malè id putabit; malè id prætendet: & discere debebat, nullam potestatem tam injustam esse, ut ejus beneficio tyrannus ex malâ libidine alicui possit nocere. Quid si imperium extendat ad idem maleficium? *Forsan illud justâ caussâ circumscriptum est?* quasi vero Dominium sine caussâ ulla in extraordinariam occupationẽ erumpat. Quid si tyrannus Jurisdictionem, seu potestatem in

 caput,

caput adeò amplam ſibi imaginetur, ut demetere poſſit innocentium capita? Nemo propter falſam illam imaginationem opponet ſe Majeſtatis Judicio.

XII. Ulterius infeſtant noſtrum Dominium Eminens, tanquam rejiciendum ab omnibus principiis Juriſprudentiæ. Decantatum eſſe in ſcholis Juridicis; *ejuſdem rei non eſſe duos dominos. Si igitur privatis permittimus dominium aliquod, Principi erit detrahendum: & contra, ſi Princeps illud habet, excludendus erit ſubditus. Adhac certum* eſſe, dicunt, *rei ſua nullam eſſe acquiſitionem. Principem autem per donationem, teſtamentum, emptionem, acquirere ſatis conſtare: unde colligendum, Principem non habuiſſe dominium in res taliter comparatas & quæſitas. Vrgent Rei Vindicationem, qua fundamentum habet dominium vindicantis: quod actori proprium ita eſt, ut rem, à Fiſco Principis poſſeſſam, intra certum tempus extorquere poſſit. Quod iterum tollit dominium Principis.* De primo, utrum res patiatur duos dominos, videamus. Interrogabo hîc opponentes, an ſeriò credant, Deo omnipotenti aliquod ſupereſſe dominium in res, quas ipſi privata poſſeſſione, & dominii jure tenent, puta ædes, fundos, pecuniam? Non puto aliquem fore tam impium extremè, qui Creatori omnium rerum, ſubtrahere velit dominium in ſua bona. Quo divino dominio admiſſo, iterum quæram, quî fieri poſſit, ſalva regulâ, & incolumi principio Juris, ut & Deus, & ille privatus poſſeſſor, Dominus ſit earundem rerum?

rum? Quamcunque attulerint responsionem, continuò eandem Principi applicabo. Si enim non evertuntur principia juridica, affirmato Dei dominio: haud corruent eadem, si Majestati illud permiserimus. Deinde, rei ejusdem non sunt duo domini in solidum; ut uterque liberrimè & independenter possit disponere. Quamvis autem singulis subditis verum dominium asseramus, respectu reliquorum concivium; adversus quos bona sua plenissimè possident: intuitu tamen Majestatis, dominium subditi induit rationem ususfructus; & dominium Eminens, verum atque primarium dominium videtur esse salutandum. Quod ipsum tamen, si ad independens Dei dominium referamus, quod solum plenissimum & absolutissimum est, iterum imitatur usumfructum aliquem, & dispositionem revocabilem. Adeoque non putamus in Republicâ duos esse in solidum dominos; sed per subordinationem. Hujus beneficio contingit, ut subditus habeat dispositionem de re sua; & Princeps suum retineat dominium; & Deus ipse in utrumque valeat. Quæ subordinatio minori difficultate premitur, quam dominium commune, quod duo privati in eandem rem habent. Simile judicium sit de iis, quę de donatione & testamento dicuntur. Minimè efficitur, Majestatem non habere dominium in privata, cum eidem aliquid donari possit. Iterum quippe divina objiciam. Omnia Dei esse, vel diabolus credit. Nihilominus donaria appendimus. *Omnia deorum sunt*, inquit SENE-

CA: VII. de Ben. IV. *tamen & diis posuimus donum, & stipem jecimus.* Deo quoque legare nos posse, Romanæ leges perhibent. l. 1. §. 5. *ad L. Fal.* Nisi igitur hâc collectione Deo eripere velimus dominia; nequicquam solicitabimus dominium eminens. Longè diversissima est donatio, quæ in privatum aliquam rem transfert, ab illâ, quę in Principem confertur. Quando civi donamus, facimus eum dominum: principi autem non permittimus demum dominium in rem nostram, sed tradimus saltem nudam & vacuam possessionem. quę hactenus nobis, Principis indulgentia, erat assignata. Ita rem nostram legari posse nobis, sub exemplō dotis, pignoris, docuerunt ICti. Licet enim dominium non acquirat denuò legatarius, aliquod tamen beneficium, aut commodum adipiscitur. Eadem caussa emptionis: quando Princeps aliquam rem à vendente subdito sibi comparat. non acquirit dominium emendo, sed pro dimissione possessionis, subdito assignatę, illud pretium numerat, quod alius civis dedisset. Neminem enim temerè aliquo damno afficit, quamdiu Reipublicę urgens ratio non jubeat diversum: præsertim cum subditus vendendis rebus suæ familiæ conservandæ prospiciat, non patietur eidem Princeps sine caussa aliquid deesse. Nam & hic memor legis, quam ipse sanxit, vivit, quæ venditori pro re vendita pretium statuit. Hanc ipse non violat; & si forsan privatæ possessionis bona Fisco illata sint, permittit vindicandi potestatem. Qua permissione non infringitur

Dominium

Dominium Eminens in tales vindicandas facultates; ſed injungitur Fiſci Patrono, ut diſpiciat, num bona illa ſecundum latas à Majeſtate leges debuerint publico inferri; & ſi ſecus res ſe habuerit, reſtituat petitori rem illatam. Vindicationis fundamentum eſt dominium, ſed privatum, quod Eminens haud tollit: & illa contra Fiſcum admiſſa eſt, ne cives à rapaci magiſtratu contra fas ſuis poſſeſſionibus ſpoliarentur, non ut negaretur Dominium Majeſtatis.

XIII. Sacrarum quoque litterarum auxilio conantur evertere Dominium Eminens. In re omnium hiſtoria vineæ Nabothi. Qui Regi petenti, & offerenti tantundem, noluit cedere avitas poſſeſſiones. Achabus invitum ſubditum haud potuit cogere juſta vi, ut dimitteret vineam: ſed inſidiis, & falſiſſimis teſtibus evertendus erat Nabothus, ut remoto legitimo poſſeſſore, rex demum cupitum ſpatium nanciſceretur. Sed diris, & imprecationibus Domini; qui & cædem, & occupationem vindicaturum ſe, minabatur. Si habuiſſet aliquod jus in rem privatam Achabus, allegaſſet illud, & legitimâ viâ intraſſet vineam, regio jure ſuam: nec opus habuiſſet, per calumnias innocenti ſtruere exitium; & iram atque maledictionem in ſe provocare. Apud Ezechielem XLVI. 18. quoque locus eſt, Dominio Eminenti palam, ut autumant, adverſus. Poſtquam ibi Dominus præſcripſiſſet legem, quomodo Princeps donum filiis ſuis dare poſſit; & quomodo poſſeſſio, in ſervũ tranſlata,

revertatur in anno libertatis; subjungit: *Vt non accipiat Princeps de possessione populi, oppressione deturbando eos de jure possessionis ipsorum, de jure suo possessionem tradat filiis suis: ut non dispergatur populus meus ullus de jure possessionis suæ.* Et in capite præcedenti, certam portionem terræ Principi addicit Deus, in hanc legem: *Ipsi inquam portio hujus terræ esto in jus possessionis apud Israelem, ut non opprimant amplius principes mei populum meum, sed terram reddant domui Israëlis per tribus ipsorum.* Sed paratas habemus responsiones. Si generaliter inspicimus factum Nabothi, non attendendo circumstantias singulares, & nulli alii Reipublicæ communes, haud dubitandum est, postulatum Achabi fuisse minimè iniquum. Quæ enim injuria est, quando rex subdito, pro suâ possessione, aliam æquè bonam, aut justum pretium offert? nullam justam caussam reperio, ob quam tergiversari velit civis. In eo verò peccatum arbitror, quod Achabi uxor, postquam Nabothus negaverat vineam, occidi curaverit virum, mortem haud meritum. Quod parricidium non impedivit Achabus; & approbavit potius, cum vineam statim occuparet. Scelus fuit in ipsa occupatione per cædem domini. Ad locum quoque Ezechielis responderi posset, quod integra illa visio grande aliquod mysterium contineat, & vix explicabile; certè quod secundum sonum verborum exponi renuat. Observarunt enim Theologi atque Interpretes, si verbis inhærendum foret, miram futuram descri-

ptam

ptam illam civitatem; & vel ex altaris altitudi-
ne, humanam staturam longè excedente,
aliter interpretandam esse, ibi notarunt. Ni-
hil igitur mirum, si hunc etiam textum de
possessione Principis, mysticam desiderare ex-
plicationem, quæ integra visioni respondeat,
arbitremur. Sine cavillatione enim seriem to-
tius visionis, & connexam plane materiam,
& mysticam ubique significationem urgere
possumus. Aut differendam dicemus hujus
Sanctionis efficaciam in illud tempus, quo
ædificabitur ejusmodi civitas, & talem in
modum terræ possessio dividetur. Nam futuro
tempori prospicit illa lex. Quo ipso tamen
casu, qui de solo Principe Israëlitico loquitur,
ad alios reges nihil spectat, quod Dominium
eorum Eminens infringat. Etenim specialis-
simi omnino allegati casus sunt, quæ ad so-
lam Judaicam Rempublicam pertinent, & ex
ejus regimine volunt declarari. Quomodo
sibi delegerit Deus hanc gentem, & forma-
verit civitatem, se ipsum constituendo regem,
ex historiis sacris notissimum est. Postquam
enim Ægyptiorum tyrannidi subduxisset Israë-
litas, Politiam formabat planè singularem,
quæ à reliquorum rebuspublicis longissimè
distaret in plurimis. Leges promulgabat sum-
mus ille Rex, quæ maximam partem ventu-
rum Messiam præfigurabant; & forensia jura
multa continebant peculiaria. Quibus annu-
merari debent leges, de divisione terræ pro-
missæ in singulas tribus: sub expresso inter-
dicto, ne possessores terram vendant nato

ex altera tribu. Ita conceptissima verba habent, *Levitici* XXV. 23. *Terra autem ne venditor lege mancipii, mea enim est ea terra: nam peregrini & inquilini vos estis apud me.* Et Numer. XXXVI. 7. *Nam non avertetur possessio in filiis Israëlis à tribu in tribum: quum filii Israëlis adhærebunt quisque possessioni tribus paternæ suæ.* Et Deuteronom. (XIX. 14.) *Ne moveto terminum proximi tui, quem determinaverint prisci, in possessione tua quam possidebis, in ea terra quam Iehova Deus tuus dat tibi ad possidendum eam jure hæreditario.* Hæc erat lex, omnibus Israëlitis lata, sub Monarchiâ Divinâ: quæ post constitutionem Regis Saulis antiquata non est. quod nusquam legamus, introductô Rege, exspirasse civilia jura, Israëlitis à Deo lata. Nec enim deserebat Rempubl. illam Deus, post creatum regem: sed ipse præsidebat, & Regem ad observantiam legum divinarum obligabat. Satis certum est, Judaicorum Regum Majestatem, quoad habendi modum, nimis fuisse limitatam. Res enim merè indifferentes suâ naturâ, si jam lege divina essent determinatæ, haud poterat pro lubitu, & vi Nomotheticæ facultatis, immutare: sed tenebatur obtemperare divino decreto. Non obstat, quod Jus regium, ablationem agrorum, & vinearum permittit: id enim sub perpetua exceptione exaudiendum est; quatenus lege divinâ prohibita non est. quum autem translatio possessionis de tribu in tribum vetita fuerit, nec usquam legamus, gratiam hujus interdicti factam Regi: eò fuisse obstri-

obſtrictum, aſſerendum eſt. Et ſimile vero eſt, Deum oſtendiſſe populo ſuo abſoluti regis poteſtatem; & qualem illimitatam ei poſſit permittere, ut regum orientalium more, qui Dominatum exercebant in ſubditos, pro lubitu auferat cujuſque poſſeſſiones. Nam penetrante verbo concludit Propheta illud jus: *denique vos eritis ei ſervi.* Non verò actu permiſſam eſſe infinitam illam facultatem, exinde colligo, quod Deus non ſuſtulerit leges ſuas, aut abrogaverit, ſed viridi obſervantia voluerit florere omnes. Harũ obligatio, quia remiſſæ non ſunt regi Iſraëlis, in hunc ipſum fuit efficax. Et nullus dubito, quin temperamentum, genuini illius abſoluti imperii, petendum ſit ex loco *Deut.* XVII. 18. Non enim conſilii, ſed veri præcepti formula illa eſt: *Sed erit cum inſidebit ſolio regni ſui, ut deſcribat ſibi exemplum hujus legis in libro, ex eo qui erit in conſpectu Sacerdotum Leviticorum: Eritque penes eum, & leget in eo omnibus diebus vitæ ſuæ; ut diſcat timere Iehovam Deum ſuum, obſervare omnia verba hujus legis, & ſtatuta iſta faciendo ea.* Pars autem legis illius obſervandę concepta erat, de non migranda poſſeſſione. Ponebatur quidem deſcriptum à Samuele Jus regni, coram Domino: ut ſcirent poſteri, quantum jus regium eſſet, ſi lege divinâ non terminaretur. Quoniam vero capitulum illud, de auferendis agris, circumſcriptum erat lege Domini, præſentem quoad hoc, agnoſcimus limitationem. Hujus vigore non ritè ſatis Achabus petebat vineam, & Nabotho ſuppetebat veriſſima

cauſſa,

caussa, negandi Regis petitum: & certum, rebus ita se habentibus, non nisi injustissimâ violentia, quæ Deum judicem & vindicem expectasset, Achabum eripere possessionem, divinâ sorte civi assignatam, potuisse; licet vitæ ejus nullum intulisset damnum. Has antiquas leges respicit Ezechielis locus, & eandem habere potest interpretationem. Ex quibus omnibus patet, nusquam à Scripturâ damnari Dominium Eminens; sed unicum actum limitari, qui in occupatione immobilis fundi versatur, certæ tribuì assignatæ: reliqua capita manere absolnta. Et in historia illa particularem Reipub. Israëliticæ subesse rationem, propter limitationem ab ipso Numine introductam apertum est: hoc vero speciale regimen, ut reliquis civitatibus ideam Politiæ haud præscribit; ita nullo modo ex circumscripto exercitio Majestatis, imperium absolutè spectatum definit. Non igitur Reip. speciale institutum allegandum erat, ubi sequestratâ omni particulari contemplatione, Jura Majestatica interpretamur. Idque putarem perpetuò observandum, ut circumspectius uteremur exemplis, ab Israëliticâ Republicâ petitis: cum in plerisque peculiarissimam conditionem hæç Politia habuerit, nunquam per omnia aptandam ulli civitatum. Aliis argumentis impugnandum erat Dominium Eminens; quę ostenderent Deum, nec dominium habere in privata, nec illud communicare Majestati. quæ evincerent, definitionem dominii non quadrare potestati Regis,

gis, & everterent maximè effatum, quod ex Imperio derivat dominium.

XIV. Effectus Dominii Eminentis varii sunt, qui omnes concernunt dominium privatum, & multiplici modo se explicant. Respiciunt autem dominii privati *Conservationem*, vel *Ablationem*. Ad conservationem dominii privati pertinent imprimis *Modi acquirendi* dominii per pacta & conventiones, a Majestate instituendi & confirmandi: ut in tranquillo sint civium possessiones. Quas sanctionibus pœnalibus defendit imperans: & ubique cavet, ne subditi à maleferiatis hominibus patiantur rerum suarum detrimentum. Hujus loci est illa Majestatis provisio, quæ infantibus, aut impuberibus, item minoribus, quorum parentes vita concesserunt, assignat Tutores & Curatores, qui bona fideliter administrent, ne quid imprudentiâ dominorum Reipublicæ pereat. Tutores & Curatores ut hoc munus subeant, ex imperio cogi possunt: sed bonis impuberum & minorum cavetur propter dominium, quod Majestati in hæc competit. Licet enim adulti, & impuberes ex parte, in plerisque possint sibi consulere: cùm tamen verendum sit, ne malè suas res custodiant: impedit Majestas eorum administrationem, & aliis prudentioribus defert. Quod apertissimè intelligitur ex interdictione bonorum, prodigo fieri solitâ. Huic omnem administrationem facultatum suarum eripit Majestas, ne rebus suis perversè abutatur: & curatorem extra ordinem sistit, qui moderetur omnem istius hominis

minis familiam. Proficiſcitur hoc impedimentum, ab Dominio imperantis, quod in privata bona tunc ſalutariter exſeritur, ne abuſus Reip. noceat. Cũ verò reſpiciat utilitatem ipſius prodigi; merito numeramus hoc exemplũ in claſſe corũ, quib. cõſervatio dominii privati quęritur.

XV. Notabilis deinde efficacia Dominii Eminentis eſt *Ablatio bonorum* privatorũ. Quæ iterũ non una formâ peragitur. Aliquando ita ſubtrahit civibus dominiũ, ut nil redũdet in publicum, ſed alii privato adjudicatur tranſlatum dominiũ. Accidit hoc in uſucapionibus, quando emptor, ſeu poſſeſſor, bona fide rem alienã ſibi comparavit, nec tamen dominium à tradente potuit accipere: conſequitur illud ſi legitimo tempore rem poſſederit. non beneficio temporis, quod poteſtatem nec habet, nec confert: non ſolius poſſeſſionis, quæ alteri dominium eripere non poteſt: nec etiam propter cauſſas illas impellentes; ut litium aliquis ſit finis; ne dominia ſint in incerto. Sed à dominio Eminente: quod priſtino domino detrahit ſuum jus, & novo poſſeſſori adjicit. Opus enim eſt ſubli miore poteſtate, quæ illam privati tollat, & alteri adſignet. Præclarè hoc aperit Conſultiſſimus HAHNIUS, in *Obſervatis ad Weſemb. de uſuc. n.* IX. *Quanquam hæ rationes* (de certitudine dominiorum, & fine controverſiarum) *potius externę, quã internę videantur, naturę tamen juris in hoc conveniunt, quod ſummæ Majeſtati ſit poteſtas, jure* ſupereminẽtis dominii, *ob utilitatẽ, quæ in publicã privatamq; rem inde redundat, iſthac legibus ſtatuere, & uni rem auferre, alteri adjicere,*

adjicere, cum per Majestatem rerũ dominia constituantur, quæ alioquin jure naturali nulla sũt. In hanc classem referenda est Constitutio, quæ res, subditis ab hoste, aut pirata ereptas, occupatori permittit. Quamvis enim æquitas postulet, ut suis dominis restituantur res ablatæ, & ipsę videantur jure Postliminii in veteris possessoris manus reverti: attamen, quia difficillima est earum recuperatio, cuiq; victori hostiũ, aut piratarum, à Majestate addicuntur, ex facultate non aliâ, quã Dominii Eminentis.

XVI. Sępius publico impenditur quidquid Dominiũ Eminẽs delibavit. Ut in *Detractione*, quando civi alicui permittitur migrare sedes, & in aliam civitatem cum fortunis suis transire. Quamvis enim dimissio personæ subjectæ ab imperio pendeat; occupatio tamẽ partis bonorũ & retentio, à dominio proficiscitur. Non equidem cogitur Princeps emancipare subditum: humanitatis interim laudem habet, favere ejusmodi libertati, nisi prægnantes caussæ eam inhibeant. Ut cognoscat discedens quâ facilitate ac gratiâ eum dimittat Imperans, in signum ac contestationem dominii, solet pars bonorum publico retineri. Quoties igitur hoc usu venit, à Dominio Principis procedit. Ab eodem fundamento est *Mulcta*. Ut possit delinquens, vi perfectæ Jurisdictionis damnari in pœnam pecuniariam, & ad eandem solvendam cogi: id verò à potestate fit, quæ in bona damnati pertingat. Sed nobilis plane virtus Dominii regii cernitur in *repetitione prodigæ donationis*. Quoties Nero aliquis publicas divitias in

in homines indigniſſimos malè profudit: in ſucceſſoris manu poſitum erit, num revocare velit demortui decoctoris donationes, & à poſſeſſoribus auferre, ac publico reſtituere. Si conſultum hoc deprehenderit, vi dominii Eminentis, vel totam ſubſtantiam donationis, vel partem à donatario repetet: eâ ratione, quam prudentia commendabit.

XVII. Reſtant duo maxime conſpicui effectus, Tributum, & Occupatio privati boni. TRIBUTUM dicimus penſionem, quam ratione bonorum & fructuum exigit Majeſtas. Mirari quis poſſet, inventos fuiſſe, qui negarent Tributorum exactionem ad Majeſtatem pertinere: quod imponantur vigore Jurisdictionis & ſuperioritatis. Id ſolemne eſt ſcriptoribus, confundere vocabula publica: & Jurisdictionem pro integrâ Majeſtate confuſè accipere. Tributa hîc ſpecialiſſimè ſunt onera fructuum, quæ ſolvuntur ratione privatæ poſſeſſionis. Generaliter tamen & capitationes includunt. Differunt ideo à vectigalibus; quę etiam à peregrinis ſolvuntur, ob tranſitum per vias publicas, pontes, fora, aut diſtractionem mercium, cum lucro. tributa autem à ſolis ſubditis præſtantur, propter bona ſua, ex fundamento Dominii Eminentis. Niſi enim Principi competeret facultas in fortunas ſubditi, nec ullum tributum indicere, nec quantitatem ejus definire, nec quicquam poſtulare à ſubditis poſſet. Circa tributa imponenda omne judicium Majeſtati indulgemus: nec ſubditi hîc ſibi quicquam vendicant, nec alius quis-

quisquam. Nec tenetur Princeps subditis rationes promere, quare indicat collectas. Consiliarios malè & periculosè agere, qui Principi auctores sunt, ut caussas petitionis detegat subditis, ut eos in conscientiâ convincat, necessarium esse subsidium tale, bene monet B. HULSEMANNUS, in MSS. de Cas. Conf. L. I. c. VIII. §. 8. Evanescent nimirum consilia publica, & hostis occupabit civitatem, antequam necessaria instrumenta defensionis fuerint disposita. Optimè sibi constat Respublica, in quâ imperantur tributa, non rogantur. Declinabit tamen omne nimium Majestas, & prudenter aget, si moderatissimè in hoc negotio versetur. Pecunia subditis alter sanguis est: qui sine sensu, & dolore, nunquam mittitur. Quanquam ex alterâ parte subditi officium fuerit, optima quæque de prudentia, cura publici boni, & continentia Principis sui credere ac sibi polliceri, & nnnquam sibi arbitrium arrogare in his talibus. Quin si apertè iniqua sit tributi exactio, resistere nequit, cum patientis personam sustineat. Si vel maximè gulosè perdat tributa tyrannus; haud negabit subditus. Cùm Christiani impiis imperatoribus, & una cœna trium provinciarum tributum consumentibus, tribuere plura haud cessaverint. Non video casum, quo negari posset à subdito tributum. Casuistæ & Moralium Doctores tres caussas allegant, ob quas retinere pecuniam queat subditus, & petenti Principi nihil dare. Primò si *subditus probabiliter opinetur, tributum in rem illicitam impendendam esse: li-*

cet alii eã pro legitima habeant. Deinde, *si dubitet de necessitate præsentis temporis.* Et tandem, *si dubitet de legitimo titulo Principis*. Sed hoc genus hominum plerumque seditiosissima effata divulgat. Subditi opinatio non est fundamentum negandi tributi. Imo si sciret rem ab aliis pro illicita haberi, ipse probabiliter opinari debet, aut indubitato credere, rem licitam esse. Momenta necessitatis expendere, non est arbitrii subditorum res. nullum judicium circa definitionem necessitatis ad illos pertinet. poterantque forsan arbitrari, tributum nunquam esse necessarium. Dubium de titulo Principis deponendum est. Imò quoties apertè constat, Principem injustum habere titulum: nihilominus, quia Possessor injustus etiam imperium habet; subditus tenetur tributum pendere. Cùm hoc non ex justitia tituli, sed præsentiâ imperii, quod Dominium Eminens comitatur, dependeat.

XVIII. Progredimur tandem, ad nobilem illam OCCUPATIONEM privatorum bonorum, quæ Dominium Eminens clarissimè prodit. Hujus enim virtute repetitur possessio subditi, & caussæ publicæ impenditur. Contingit hoc interdum sub pacto mutui; ut cogat Princeps subditum, eximiam pecuniæ summam mutuari Reipublicæ. Subditus nunquam sua sponte commodasset divitias civitati; ab Imperante coactus, succurrit. Quia verò pactum intercessit, restitutio plenaria facienda est. nisi fidem fallere Princeps velit; quod crimen Majestate indignum est. Frequentius tamen sine

ſine mentione mutui, in rebus etiam immobilibus, aliisve, ubi mutuo locus haud eſt, Occupatio ſe exſerit, & invito domino, rem privatam publicis uſibus adhibet. Illuſtriora exempla petuntur à belli tempeſtate. Quando hoſtilis impetus periculum minitatur civitati, uruntur ſegetes, corrumpuntur fruges omnis generis, & quicquid adverſario commodum eſſe poteſt. Proceditur ulterius & invaduntur non ſaltem, quæ hoſti eripienda ſunt: ſed noſtræ quoqve ſecuritati atque tutelæ cavemus, & ſi munimentis non ſatis fuerit ſepta urbs, quicunque circumjacet privatus ager, aut hortus, inſidetur & fortalitio aſſignatur. Si quod ædificium obſtiterit, diruitur, & ſuperficies operibus adjicitur. & ſi quæ ſunt ſimiles juſtæ invaſiones. Quum autem hæc invaſio, extraordinarius, & minus frequens effectus ſit Dominii Eminentis, ultro intelligitur, cauſſam ingentem præſupponi: quam Neceſsitatis nomine vulgo exprimunt. Quia vero Dominium Eminens bono publico proſpicit, non demum, quando mœnia circumſedit miles; ſed pacis quoque tempore, futuri belli incommoda prævidens, occurrit iiſdem; uſu venire poteſt, ut extra ejuſmodi periculum, cauſſa prægnans exiſtat, quam *Rationem civilem*, hoc eſt, utilitatem communem ac publicam, rectè dixeris. Prudentis enim eſt, ſumma circumſpectione præcavere, ne locus ſit Neceſſitati. Convenit hactenus omnibus Politicis, cum Iureconſultis; *Majeſtatem poſſe Neceſſitatis tempore invadere pri-*

privata bona: & ipsam illam Nabothi vineam, à qua pellebant Achabum, occupandam esse autumant, si irruenti hosti castellum ibi opponeret. Quod ipsum sacrarum Litterarum Interpretibus ad eum locum probatur: licet ex diverso capite invasionem istam deducant. Necessitati nimirum ab omnibus remedium quæritur, & habet illa hanc prærogativam, ut defendat, quicquid coëgit. Hoc durum telum excitat penitissimas virtutes Majestatis, ut incumbant tota mole, ad incolumem præstandam civitatem. Tunc provocatur quoque hęc Eminens in bona privata Facultas, & actum verissimi dominii, occupando, & disponendo de occupatis, exercet. Quando verò incidat hoc punctum Necessitatis, seu civilis utilitatis, dispicere, solius Majestatis est. Nam qui universæ civitatis salutem procurat, & singula momenta civilia expendit: cujus arbitrio decernuntur omnia magnarum rerum consilia: eidem soli hæc decretoria summi imperii portio, cum Judicio, definiendi tempus invasionis, relinquenda est. De hoc judicio Principis, non nisi præclarè sperandum subdito; & ubi se aperuerit, eximiè sentiendum est. Nunquam enim à Majestate, nisi curatissimè examinatis omnibus, hoc magnum exemplum statuitur. Nec sapientis, nec Principis est, temerè aliquid agere: & opus est evidentissima & maximè conspicuâ ratione, quæ opponatur plebis rumoribus, ut tam invidiosum opus, incolumi famâ conficiat Imperans. Quare ad occupationem non procedet

Rex

Rex sine Necessitate publicâ, aut huic æquali caussâ.

XIX. Interim haud tolerabo vulgare istud assertum; *Principem, tempore necessitatis posse in usum publicum auferre bona privata: extra casum necessitatis nullum habere jus in eadem.* Quod minus politicè dictum arbitror. Quamvis enim occupatio extra necesitatem haud procedat; Jus interim perpetuum est. Affirmandum igitur serio est; Dominium Eminens Majestati SEMPER & UBIQUE inhærere. Principem semper & ubique habere potestatem in bona civium. Quam sententiam nemo damnabit, nisi Politicæ ignarus. Ea Majestatis indoles est, ut in indivisibili posita, integra ubique sit, & sua jura omni tempore simul habeat. neque enim fieri potest, ut ullum ejus membrum decerpamus, nisi dissolvere velimus totam. Jam verò dominium Eminens Majestatis jus esse, controversum amplius haud est: retinebit ergo naturam Majestaticam, & cum reliquis Juribus, à quibus divelli haud potest, Principi inseparabiliter assidebit. Ipsorum, qui Imperium faciunt caussam occupationis, suffragio vincam. Scilicet quæram, num Princeps Imperium semper & ubique habeat? an necesitatis tempore tantum? Non puto aliquem fore tam impudentem, qui Principi detrahere velit Imperium extra necesitatis casum. Caussa igitur nulla est, cur verissimam hanc & perspicuam sententiam, immanibus istis, & nunquam cohærentibus sequelis imperitè onerent; *Si Princeps semper &*

& ubique habet potestatem in bona subditorum; semper & ubique sine ullâ caussâ, pro lubitu, potest diripere cives, & adse trahere eorum fortunas. Iterum quæram, num hoc tempore, quo carcer delinquentibus & captivis est vacuus, Princeps habeat Imperium merum, seu Jurisdictionem criminalem? Si negas: potestatem Principis inficiaris, quod sacrilegium est, & læsæ Majestatis crimen. Sin affirmas; eodem modo debes colligere: Quia Princeps habet semper & ubique criminalem Jurisdictionem, pro lubitu, sine precedente delicto, potest demetere capita innocentium civium. Tam vere consequitur hæc conclusio, ac superior. Miserum est, non posse discernere actum primum à secundo. Primus semper adest; secundus aliquando. Ita homo semper habet potentiam loquendi; sed non semper loquitur: cum eloquentissimum sæpe videris tacentem. Idem homo semper habet potentiam ridendi: si tamen citra decori caussam rideret, stultitiam agnosceres; & ille semper ridere haud potest. Ita non semper operatio invenitur, ubi potentia datur. Universale hoc est, & in Majestatis doctrina verissimum; ubi similiter Jus, seu Potestas, ab actu secundo, exercitio & operatione distinguitur. Omnia & singula Majestatis Jura, semper & ubique secum habet Princeps: sed hæc jura non ordinantur semper ad suas operationes, ad sua exercitia. Semper habet Imperans armorum Jus: sed non semper delectus habet; sed non semper arma expedit; nec conti-

tiuuis bellis exhaurit ſuos. Semper habet poteſtatem ſanciendi fœdera, condendi leges: at non ſemper pangit fœdus, nec legem ſuper legem cumulat. Ita Dominium Eminens ſemper habet Majeſtas; non ſemper exercet. Non eſt, quod propterea ipſam facultatem inficiemur, quæ acquieſcit interdum ab operatione. non otioſa, aut nulla eſt, quæ agendi habet intervalla. Quamvis ab occupatione plerumque abſtineat dominium Principis: alii interim effectus ſunt, quibus ſe prodit, quos ſupra vidimus.

XX. De COMPENSATIONE breviter aliquid monendum eſt. Communiter urgent plenariam reſtitutionem; exemplo uſi levatæ per jactum navis, *ubi omnium contributione ſarcitur, quod pro omnibus datum eſt.* Alias quoque Societatis regula vetat, *ſocium cum detrimento alterius fieri locupletiorem.* Verum diſpar ratio eſt exemplorũ. Multum differt actio privati hominis, à neceſſitate ſe expedientis, ab imperantis poteſtate. Æquales ſunt illi, qui jactu mercium ſervant navim: hîc nobis ſermo eſt de facultate ſummi Principis. ad quem nunquam producetur commodè ratio, deſumta ab hominibus privatæ ſortis. Socii, ut æquale ferant damnum, pacti ſunt: at ſubditi omnes jurarunt, ſe paratos fore, profundere opes ſuas in ſalutem Reipublicæ. Quoniam firmis rationibus aſſeruimus, poteſtatem in bona eſſe verum Dominium: neceſſum eſt, ut concludamus, Principem ad juſti pretii ſolutionem non teneri. Aliud enim ſi aſſeras, Domi-

nium evertis, quod compensationem adeò strictam ignorat. Ea interdum rerum occupatarum conditio est, ut nisi cum incommodo maximo civitatis pretium redderetur. Puta quando plurium magnarum urbium amplissima suburbia prosternuntur; quando integræ provinciæ segetes perduntur, ne hostis vel sedem, vel cibum reperiat. Quis ingentia illa damna dixerit reparanda esse? non suffecerint reliquorũ civiũ bona. Reliqua occupatio circa immobiles fundos potissimùm versatur: quos si Lycurgus eripere possessoribus potuit, ad æquanda prædiorum spatia, sine compensatione; quidni eosdem necessitati publicæ impenderet Princeps, sine pretio. Nam ne invadantur mobiles res, maximè pecunia, molliori viâ præcavebitur. Quamvis autem Principem ad compensationem nullum Jus adigat, æquissimum tamen judicandum est, si quocunque modo, vel remisso tributo, vel donatâ materia & instrumento, novis ædificiis struendis, vel denique aliâ superficie designata, soletur exutum possessione civem. Æquitas inquam, hoc suadet: nullum strictum Jus cogit. Nam qui compensationem propugnarunt, statuerunt; Principem *vi imperii aliena*, invadere, quæ restitutionẽ flagitant. Postquam verum Dominium assertum est, nihil debebit Majestas subdito, cujus fundum, ab hoste occupandum, in possessoris, & totius civitatis tutelam insidet. Eadem de restitutione sententia est, incomparabilis nostri CONRINGII, in opere *de Finib. Imp.* c. XIX. p. 351.

Utique

Utique in omni ſocietate, etiam maximè civili, quilibet ſaluti publicæ eſt obſtrictus & re & corpore. Sarcit quidem acceptum damnum Reſpublica ſi poteſt, at magis in præmium, quàm ex debito: itaque ſi non poteſt, neceſſum eſt, ut pars quæque ferat, quod mutari non poteſt, ob reliqui corporis ſalutem.

CAPUT V.

DE

REGIMINE UNIVERSALI.

I. *Regimen univerſæ Reipublicæ.*
II. *Annona; Nundinæ;* Curſus publici.
III. *Sacra: Scholæ.*
IV. *Poteſtas belligerandi.*
V. *Quanta ſit?*
VI. *Induciæ: Pax.*
VII. *Fœdera.*



EXpoſuimus imperii in perſonam primum conſequens, Dominium in res ſingulorum: alterum eſt *Regimen univerſi.* Poſtquam enim in ſingulorum perſonam, & omnium adeò, imperium conſecutus eſt Princeps, & per hoc, dominium: atque adeò nihil quicquam exemptum eſt ejus arbitrio: palam fit, univerſam multitudinem ſubjectam eſſe Majeſtati. Quemadmodum ſingulorum capita, imperanti obnoxia, eidem compara-

bant in fortunas dominium: ita conjunctâ hâc facultate in singulorum personam ac bona, non potest non oriri in universam civitatem potestas. Collectivum quid Multitudo est, quæ nisi ex singulis, non componitur: eam ob caussam imperium in multitudinem haud datur, nisi in singulos valuerit prius. Ideoque Regimen universæ civitatis aliud est nihil, præterquam imperium in singulos, collectivè sumtum. Cæterùm quia imperium hoc collectivum posterius quid est *naturâ*, si non *tempore*, imperio singulari; ab hoc non immeritò nobis separatur. Licet enim actus, ab universali dispositione resultantes, non aliter in singulos dirigantur, quàm secundariò, per reflexionem, quatenus partem faciunt civitatis, quæ dirigenda est: quod civilis hæc provisio, communem utilitatem sibi præfigat metam; aut potius ab ejus procuratione publicâ incipiat, quæ in singulos demum conferatur. e. g. Belli gestio, Pacis ac Fœderum sanctio, in universam civitatem concipiuntur; emolumenta postmodum, aut damna, ad singulos redundant, quatenus cives sunt communitatis. Ipsa tamen facultas, disponendi hæc universim, aliâ viâ minimè producitur, quàm quæ à simplicibus & singulis procedit. Hæc est vis illa sublimis, naturam Majestatis exprimens, quatenus dicitur potestas *in civitatem universam*. Quapropter soli Principi asserenda est, nemini privatorum permittenda. Ægrè ferat Paterfamilias, si servus aliquis sibi arroget ordinationem rei familiaris,
& de

& de domo universâ disponere audeat. quinimo ipsa secutura confusio prohibet quemque alium, præter dominum, à licentiâ dispiciendi de domesticis administrationibus. Multò magis alienæ potestati injiciet manum, quisquis jus ordinandi civilia sibi transcripserit.

II. Distribuimus hoc Regimen Universale secundum conditionem Objectorum, quæ tum *in civitate*, tum *extra civitatem* disponit. In civitate ordinat universaliter *Divina* & *humana*. Ad humana referri possunt omnis generis *leges universales*, imprimis quæ personam subditi, aut possessionem non concernunt, tanquam objectum: stringunt tamen istam circa res, universæ Reip. conducentes. Nomothesia supra explicata, quæ in caput subditum, & ejus actiones dirigendas tendebat, determinata erat circa personam, aut bona civium: hîc legis universalis nomine intelligimus maximè Provisionem generalem, quæ communem utilitatem aliquo civili instituto adjuvat. Ideò vocamus hanc *Provisionem Utilium*, quod citra alium respectum, commodum universi promoveat. Hæc licet tam ingentis momenti non sint, ac reliqua, eximiam nihilominus præstant utilitatem: & si neglectius tractentur, incommodo possunt privatos onerare. Quodque caput caussæ est, nunquam nisi à Majestate instituuntur. In horum numero ponimus exempli gratiâ, (nam indefinitam indolem habent, nec possunt certa serie comprehendi) Provisionem generalem

ANNONÆ. Prospicere enim de rebus, ad victum necessariis, illius fuerit, qui communis pater civium sit. Unde curam rerum, in foro vendi, aut emi solitarum, Majestati addicit alibi Philosophus. Huc pertinet jus NUNDINARUM, quo Mercatus universales & solemnes, certo loco ac tempore, à Majestate ordinantur, certisque privilegiis & immunitatibus dotantur, in emolumentum publicum. His mercimoniis plura inferuntur, quæ nostræ civitati forte deerant; & quibus eadem abundabat, permutantur. Traxerim huc quoque CURSUS PUBLICOS, plurima conferentes universis. Ne damnum patiantur, sed commodum sentiant, quotquot illis aliquid concredunt; Majestatis est præcavere. Certum est, plura posse, pro indole Reipublicæ surgere, quæ dispositionem hanc generalem, ex titulo utilitatis, pro fundamento habeant, nec ex alio jure immediatè trahant ortum: quæ omnia nec prævideri possunt jam à nobis, nec universalia sunt omnibus Rebusp. & ab exercitato in talibus facile in suam sedem ac seriem reponuntur. Satis enim habemus hîc monuisse, ejusmodi negotia, ex generali regimine, & potestate in universam civitatem, quatenus universum quid est, promanare.

III. Magis necessaria sunt DIVINA, quæ comprehendunt SACRORUM & Religionis; tum SCHOLARUM curam. Divinorum administrationem, gentiles quoque homines, ut maximè necessariam civitati, Principi committunt. Si tamen fundamentum, & limites hujus

hujus potestatis indages, ingentem difficultatem ubique reperies. Vocamus quidem publicam potestatem, veram religionem introducendi, & introductam asserendi: sed unde illa potestas, & quanta? Pro instituti ratione, verbo saltem indicabimus. Ideò Majestati asserimus sacra, quod eorum ordinatio sit actio publica, quæ à solo Imperante debet produci, non à privatis. Animos enim, nobilissimam partem personæ subjectæ dirigit, qui Sacra constituit. Hucusque autem privatus quidem arcetur Sacrorum Regimine: nondum patet ratio, quæ Principi illud asserat. Abstrusum negotium, fateor: vero tamen simillimum est, hoc jus Principi competere specialissimè, *quatenus Vicarius Dei est*. Tenetur Vicarius, reverentiam, superiori exhibendam, quàm potest, maximam insinuare subditorum animis: quod in hoc divino negotio aliter haud contingit, quàm veri cultus conservatione. Impressus est humanis mentibus supremi Numinis cultus per Jus Naturale: cujus præcepti custodia, una cum reliquis ingenitæ legis capitibus, injuncta Majestati est, ne deseratur. Inde cognoscitur, quod absolutâ potestate non ordinet sacra imperans: sed ex necessario officio resistat omnibus irreligiosis conatibus; sicuti homicidia, adulteria, & omnes læsiones proximi vetat. In modô cultus aliquid permittitur: quæ internam religionis ac fidei essentiam atque mysterium spectant, cum ex revelatione divinâ, atque adeò universali obligatione procedant, nec mutari, nec

refingi possunt. Tam inviolabilia hæc sunt, ac Jus naturale, cui Majestas subest. Quare in res fidei nulla vis Majestatis valet, nisi quatenus commendantur subditis. In exteriorem autem provisionem, quæ aptis instrumentis, manifestatam Dei cognitionem & voluntatem expediat, liberior facultas est. Compendiosè ergo dicemus. *Reverentiam Numinis insertam esse rationali creaturæ, quam cum reliqua lege naturæ observandam, præcipere debet imperans: cum verò hæc naturalis notitia haud sufficiat perfectæ Dei cognitioni; & benedictum Numen omni tempore, omnibus hominibus sese aperuerit propius, & consummatæ religionis arcana cumulatissimè patefecerit: obstrictam esse Majestatem, sequi ductum manifestantis, & ex formulâ Legis & Evangelii colere Deum, & ut simili modo subditi adorent, operam dare. Insistendo cælestis veritatis præscripto: non detrahendo divinæ doctrinæ; sed puram sinceramque propagando per orthodoxos Ministros & Sacerdotes, qui verbum Dei inculcent auditoribus, & Sacramenta, secundum institutionis integritatem, exhibeant.* Strictissimi hæc Juris sunt, quibus si intercedere perversa hominum, & imprudens æquitas velit; aut superstitionis, aut impietatis rea evadet. Omnem heterodoxiam damnandam, & removendam esse, spontè sequitur: cujus rei gratia congregari solent *Concilia:* quorum coactio, quatenus persona imperativè vocatur, ex imperio proficiscitur; sed *universa directio, præsidium,*
con-

confirmatio actorum, uberioris commentationis argumenta, ex Jure Sacrorum oriuntur. Non aliena est à conservatione divini cultus, SCHOLARUM & ACADEMIARUM inauguratio. Individuo nexu cum Ecclesiâ Scholæ colligantur. Multum refert ad propagandam divinam veritatem in subditis, quomodo à puero fuerint instituti; plurimum ad docendam, quomodo fuerit tradita. In his officinis fundamentis fidei imbuuntur laici: in Academiis futuri doctores ad solidam eruditionem adspirant. Quamvis & eo nomine Majestati adscribendum sit negotium, quod Academiæ omnis humanæ sapientiæ atque elegantiæ sint promæ condæ. Quod habet civitas, quos publicis muneribus præficiat, invigilaturos omnium saluti, & promoturos communis rei custodiam, his nutricibus ingenuæ prudentiæ & alumnis profundioris eruditionis, Academiis, debet.

IV. Amplius ad Dispositionem universalem, & communes illas Provisiones, quæ Rempublicam, & ejus salutem in genere attingunt, referre maximè licet illa, quæ cum exteris aliquid negotii habent. Hactenus enim præcipua Jura ipsam civitatem concernebant, & in eadem terminabantur: sequuntur alia, quæ rem cum peregrinis expediunt. Idque *vel hostili, vel pacifico animo.* Quod efficit Jus armorum, seu BELLI, PACIS, & FŒDERUM. Jus armorum universis, vel salutem, vel pestem maturare potest: ideoque inter maxima semper fuit relatum. Quamvis autem exter-

nos imprimis concernat; quòd civem refractarium judiciorum vis castiget, quam frustra opposueris hosti; qui tibi, extra territorium tuum jus dicenti, impune possit non parere; atque ideò desideretur aperta violentia, qua reprimatur injuria adversariorum, quoties sedenti quiescere non licet: nihilominus vel ideò quoque inter prima civitatis jura reponitur, quòd seditiosos subditos, qui in hostes degenerant, hoc validum instrumentum in ordinem cogat, & obsequium Majestati doceat exhibere. Jam olim sagaciter Philosophus observavit; *Vt maneat, vel non maneat Respublica, in ejus manu positum esse, penes quem potestas tractandi arma sit.* Id quod de injustè usurpatâ potentiâ eò magis exaudiendum est, quò vehementius in novitates eadem propendet. Jus Belli vocamus potestatem *constituendi de omnibus belli instrumentis, aut circa ipsum bellum inchoandum finiendumq; necessariis.* Digerit Majestas negotia, quæcunque belli, vel armorum nomine veniunt: vel quacunque tandem ratione parando, gerendoque bello congruunt atque conducunt. Respiciunt autem hæc vel *instrumenta belli*, vel *belli gestionem.* Ad Instrumenta referimus omne genus *armorum*, & dispositionem de usu eorundem; item *Munimenta Fortalitiorum.* Hinc generaliter armorum usum in civitate ordinat imperans, & subditis, pro conditione Reipublicæ, vel concedit, vel eripit: ut aliquando ne permissum quidem sit, ferrum gestare. In Republicâ sane Romanâ olim nefas

fas erat, pacis tempore in Civitate cum ferro deprehendi. Victis quoque solebant auferre arma. quòd non fuerit usitatum Romanis, sancire pacem cum eô, qui adhuc arma teneret. Id apud plerasque gentes observatur, ne in palatia principum, aut cubicula, importet aliquis ferrum: ne militibus quidem, nisi specialiter custodiæ caussâ excubent, id licitum fuit. Quod in concionibus & senatu valere adhuc, licet publicè concessus usus telorum sit, affirmant. Nota est Charondæ lex, quam Thuriis tulit, *ne quis cum telo in concionem prodiret*; nimirum ut pacaret conciones, ad vim & cruorem usque seditiosas. Contra quoque gestatio armorum, pro statu temporum, aut ingenio populi, vel tacitè concedi potest omnibus, vel expressè mandari. Helvetiorum legibus cuivis injunctũ esse ferunt, gestare gladium: quem ne tum quidem deponunt, quando vaccas mulgent. Perpetuum quoque usum in *Parthis* observat JOSEPHUS l. XVIII. *Ant. Iud.* c. III. tradens, *eos nunquam discinxisse gladios*: quod similiter de *Persis*, memorant antiquiores. Aliquando nobilioribus tantum permitti solet hæc facultas. Et hæc talia non saltem circa cives, sed peregrinos quoq;, Rempublicam intrantes, fas erit sancire. Sive ut consulatur nonnunquam securitati Majestatis, aut quieti & saluti publicæ; quæ invicem arctissimè colligantur: sive voluntas jubentis sibi sola sufficiat, nullâ aliâ urgente caussâ. Tranquillitatem certe communem juvit Imperatorum cura, quâ fabricas & cu-

stodias publicas armorum sibi reservarunt. Eâ lege; ne cuiquam fas esset, sine jussu Principis, cum telo apparere; sed ne liceret quidem privatis, arma facere, aut vendere, aut quolibet modô mercari. Ideò publicè institutæ armorum officinæ, quas *scholas Fabricensium* antiquæ leges nominant; & *Armamentaria*, loca reponendis armis fabricata. Instrumentis, bella juvantibus, annumeramus *jus muniendarum urbium*, & *exstruendorum Castellorum*: magni momenti negotium, in commodum Reipublicæ, aut ejusdem detrimentum evadens, & ideò sapientissimè tractandum, ac nemini privato, aut magistratui temerè concedendum. In gente præsertim non satis fidâ, aut in novitates & tumultus propendente. Præcipuum verò caput hujus Potestatis consistit in *Belli administratione*. Bellum vocamus *dissidium populorum, per vim concertantium; susceptum ad propulsandam, aut vindicandam injuriam*. Aliter describit CICERO, ubi *bellum certationem per vim nominat*. Angustior tamen hæc videtur descriptio, quàm quæ omnes hostiles molitiones includat. Unde GROTIUS inquit, l. 1. c. 1. §. 2. *Sed usus obtinuit, ut non actus, sed status, eo nomine indicetur, ita ut sit bellum status per vim certantium, quà tales sunt. Dissidium* huc quadrat: quod & consilia, & preparationes comprehendit. Nam benè intelligitur, bellum etiam tunc reverâ agitari, ubi repentinæ adsunt invasiones, & ab alterâ parte consilia resistendi; quę sufficiunt, licet exercitus nondum sit conscriptus. Finem & caus-

sam

ſam adjicimus, injuriæ propulſationem, aut vindicationem. Non quòd omnia bella talia ſint; ſed videri velint. Litigaturis enim, & belligeraturis nunquam prætextus deſunt. Diſtribuitur quippe bellum in *Iuſtum*, & *Injuſtum*. Utriuſq; conditionem Cauſſæ qualitas determinat. Nam ſi cauſſæ gravitas ſufficiat armis movendis, juſtum bellum appellabimus: ſin, injuſtum continuo dicetur. Si defendenda Reſpub. contra hoſtilem inſultum erit, juſtum bellum habemus, ob legitimam tutelam. Item ſi vindicanda illata injuria; quando civitati integrum non eſt, ſola reſiſtentiâ iniquitatem hoſtium repellere. Si res noſtræ, per vim ereptæ, non reſtituuntur; aut quævis alia enormis illata ſit injuria. Ex his, & aliis ſimilibus cauſſis juſtitiam, vel injuſtitiam belli determinarem; neglectis illis, quæ vulgò hîc requiruntur. Nam belligerantem in Republica, perſonam debere eſſe publicam; ſupervacaneum eſt dicere: quòd nemo privatorum regimen civitatis moderetur. Contra Rempublicam, & Majeſtatem, ab homine, non habente Majeſtatem, bellum poſſe ornari juſtiſſimum, argumento ſit, expeditio Abrahami, contra Reges Orientis. Alii privati, laceſſentes civitatem, latrunculi erunt, & prædones; non belligerantes hoſtes. Intentio & modus, ſi vel maximè honoris cupido & lucri ſe immiſceat juſtæ cauſſæ, aut indictio ſolemnis non ſemper præceſſerit, non vitiabit Juſtitiam univerſi belli. Niſi quod in modo gerendi aliquid ſubeſt morale, prohibens nimis crudeliter uti victoria. Quamvis enim

in hostem injuriosum plurimum liceat; subest tamen aliqua humanitatis ratio, quę mensuram ac modum sæviendi præscribit, & temperamentum circa occisionem, vastationem, & similia, non tantum probabiliter & decorè suadet; sed clarè satis præcipit. Quæ tamen omnia ad Jus belli, hoc est; ad jus gentium spectantia, hîc non erant nominanda, nisi obiter.

V. Potestati autem bellicæ primò inest potestas *Decernendi belli publicè.* Provisio enim generalis Majestatis hîc ante omnia dispicit, num tanti negotium sit, ut bellum geratur; num expediat Reipublicæ, vindicare armis injuriam, an dissimulare; aut pacificâ viâ emendare. Ubi necessitatem armorum deprehenderit, Ejusdem est, *modum ac tempus* decernere, quando, & qua ratione injurii pro hostibus habendi sint. Postquam ita examinata singula sunt, & decretum à Majestate bellum; per Fetiales, solemniter indicitur. Putaverim nihilominus omitti posse clarigationem, citra injustitiam, si illata injuria tam atrox sit, & evidens, ut negari possit à nemine, & adversarii nocentes, malè sibi conscii, ipsi expectent pœnam. Licet enim tum consultum fuerit, explicatis caussis, bellum decernere solemniter, & per legatos illos militares, aut literas indicare: non injustum interim tali rerum facie censendum bellum, si Clarigatio negligatur. Modò jussu Majestatis læsæ inferantur hostilibus finibus arma. Privato ad tantam rem nulla auspicia. nam quę

à tali

à tali geruntur, latrocinia dicenda sunt. Bellum enim gerere, præterquam Majestati, in Republicâ conceditur nemini. Quod non tantum in antiquâ, & recentiori Romanorum Republica; sed & hodiernâ Germanicâ, & qualibet benè constituta, sanctissimè observatur. In crimen læsæ Majestatis incidit, qui bellum in Imperio, invito Imperatore & statibus indicit, pœnâque fractæ pacis coërcetur. Certè PLATO capitaliter punit, si quis pacem vel bellum fecerit cum aliquibus, sine consilio & decreto publico, *lib. II. de LL. Lex Iulia* illum Majestatis reum proclamat, qui injussu principis bellum gesserit, delectumve habuerit, exercitum comparaverit. Bene: nam sola Majestas id potest. Invadit ergo Majestatis jura, quisquis ejusmodi quid attentat. Nec ab alio expediri possunt omnia, quæ ad bellum gerendum pertinent. Sive scriptionem, & delectum militum; sive præfectorum constitutionem spectes: sive consilia tandem, quæ modum administrationis determinant. Id saltem obiter annectendum est, ut privato non licet inferre bellum alienæ Reipublicæ: ita resistere potest, ac debet quilibet ingruenti hosti, citra expectationem consensûs imperialis. Ita inferior quisque magistratus pro virili arma expediet. Contra hostem nimirum. nam paucos aliquos refractarios cives apparitorum coget manus: nec opus erit, in manipulum hunc inobedientium, jurisdictionem ad bellicam vim ascendentem fingere. Deinde, ad reprimendum hostium conatum, id permiserim

rim inferioribus tantum. Nam ad vindicandas injurias, quas Rex persequi negligit, nullum jus concederem subdito. Mihi certum est, Magistratum, sine jussu Principis, bellum inchoare haud posse. Neque enim universaliter hoc alicui mandari potest: cùm belligerandi tempus & modus, quo injuria vindicanda est, maximam partem constituat judicii civilis, de administrandâ universâ civitate. quod judicium citra confusionem inferioribus potestatibus nequit permitti. Nisi patentissimum statuas imperium, cujus membra longissimo intervallo à se dissita sint, & in extremas illas ditiones mittatur aliquis universalis Administrator, qui vicem Regis sustineat, amplissimâ auctoritate instructus, & quæ nominatim permittat, belli gerendi facultatem, quotiescunque caussa fuerit præstò. Cum enim ejusmodi remotissimæ regiones, barbaros vicinos habeant, ita instrui debent, tanquam bellum perpetuo gerendum sit: & ea potestas Proregi communicanda, ut quamlibet invasionem barbarorum, non saltem repellere, sed alternâ impressione, cæde, rapinâ ulcisci queat. Ad terrorem nimirum incutiendum maleferiatis vicinis, ut aliâ vice quiescentem ne lędant. Et solet ejusmodi præfectis universæ provinciæ plenissima adeò assignari facultas, ut pro arbitratu viri prudentis, quælibet possint expedire, quæ Majestas ipsa præsens constitueret.

VI. Tandem potestati Bellicæ adhæret jus *finem imponendi bello*, aut præliis, & concertationi-

tationibus. Quod fit *Induciis & Pace.* Aliquatenus enim terminatur, si non bellum, tamen concertatio, Induciis, illis bellorum feriis. Habent aliquid pacifici, licet bello nondum sublato. Rectè vocantur *conventio, per quam bello manente, bellici actus cessant. Non pax sunt induciæ: bellum enim manet, pugna cessat*, inquit GELLIUS. Pacificum certè aliquid subest, & notanter Poëtæ dicuntur, *Pax sequestra.* Efficacia in eo consistit, ne aliquid violenti metuendum sit eo tempore. Videmus autem inducias dari à Præfectis quoque & ducibus: illas nimirum particulares & brevioris temporis, in horas, aut dies aliquot. Videtur enim hæc humanitas idonea ad subjugandum hostilem animum, & commoda propriis necessitatibus consulendi. Quare administrationi militari creditur inesse hęc quietis imago, & ducibus, non tantum summis universi belli, sed minoribus, qui separatim, non omnino alligato ductu, hostem oppugnant, aut obsident. Universales autem inducias, in aliquot menses, aut annos porrectas, cùm paci propius accedant, Majestati soli competere, verius est. Ad ipsum illum, ad quem belligerandi potestas spectat, simul pertinet jus PACIS: ut possit commodo tempore, ęquis conditionibus, si liceat, civitati publicam quietem conciliare. Et hîc judicium illud commune, & Regimen universale flagitatur; ut caveat pacem pangens, ne pacificatione detrimentum capiat Respubl. Hujus est omnes scrutari rationes, quæ vel famam ac decus, vel ignominiam adferre vide-

videantur; quæ vel in præsens, vel in futurum fructuosæ, aut damnosæ civitati expetant. Adeò prudenter hoc negotium tractandum est, ut, quamvis pax sit optima rerum, quas novisse datum est homini, expediat non infrequenter eligere bellum animoso consilio, quàm servili, & abjecto animo, intutam quietem, aut propudiosam pacem optare. Ejusmodi plurium inspectio satis argumentum præbet, cuilibet ex vulgo permissum non esse pacis opus: sed uni servatum, cui disponendi publica, facultas data est.

VII. Idem arbitrandum de FOEDERIBUS: quæ providâ cautione fieri amant, ne in irreparabile damnum præcipitetur omnium salus. Quod si enim ex privatorum amicitiis, cum quibuslibet initis, sua resultant incommoda; quare & prudentiores suadent, non omnes legendos in amicos: multò circumspectius agendum erit cum amicis publicis, qui eximiũ Eidem ergo sancienda Fœdera copia est, cui emolumentum, vel damnum inferre possunt. pacis introducendæ. FOEDUS nobis *dicitur publica conventio, auctoritate imperantium facta inter duos populos, ad societatem & amicitiam colendam, & utriusque utilitatem promovendam.* Respicit extraneum hoc Jus: sed sub amica compositione. Nec ad duos tantum restringitur fœdus: licet plerumque illa societas inter duos terminetur. Possunt enim plures civitates illam conjunctionem participare. Publica hæc est conventio, nec ab alio, quam imperante, certitudinem suam consequitur.

Sæpe

Sæpe quidem minora imperia, bellica imprimis, videntur tale quid constituere: sed tunc *Sponsio* dicendum est illud pactum, quatenus Reipublicæ interest. Duces nimirum, aut alii Magistratus, qui ejus rei mandatum nullum habent, promittunt aliquid, quod populum tangat. Ad quid teneatur talis sponsor, si improbetur promissum, an ad restituendam rem in pristinum statum, an ad deditionem, alibi tractatur. Item de Notitia, & silentio Majestatis circa sponsiones, cum ad Jus Gentium pertineat, a nostro instituto, quod imperium, & ab imperio immediatè pronata persequitur, hactenus alienum est. Id satis certum est, quia Ducis, aut Magistratus imperio non subest civitas, haud obligari ejus consensione, aut pactione, nisi quatenus ipsa consenserit: & ideò Fœdera non panguntur ab ejusmodi officiali. Solet ex Fœdere obligatio induci in Imperantem & universam multitudinem: obstringitur enim iræ divinæ, qui minus steterit conventis. Hinc solemniter fiebant apud Romanos per Fetiales, addito Patre Patrato. Sacrum aliquid, non impiè temerandum, pactionibus his publicis subesse, fides data jurataque persuadet, & ceremoniæ veterum confirmant. Formulam, & ritum habemus apud Livium; Lib. 1. & explicant Antiquitatis Consulti. De animali cæso videtur nomen habere: quod sanguine confirmatum fuerit olim fœdus. Nam hæc vox propriè de sanguine effertur; & fœdum, item fœdare, nativâ significatione de cruore dicitur.

tur. Ex circumstantiis variæ admitti possunt distinctiones, quæ caussas initi fœderis notant; aut modum, vel durationem determinant. Inde *Fœdera defensionis*, quando socii, & confœderati se immiscent bello, nullam aliam ob caussam, quàm ut socios belligerantes adjuvent. Sic dantur *fœdera commerciorum*, quæ mercaturę conservationem, & commoditatem promovent. Fœdera *Temporaria & Perpetua*, durationis tempus ac modus definit. quamvis de priorum naturâ omnia participent. Occurrunt quoque Fœdera *Æqualia*, in quibus socii ab utraque parte ad paria obligantur. *Inæqualia* sunt, ubi altera pars ad majora & plura, altera ad pauciora & minora tenetur. item ubi altera pars est inferior, & superioris Majestatem comiter observare tenetur. Inferior autem illa dicitur, respectu *fœderis*, non *subjectionis*: retinet enim Majestatem, & civilem suam libertatem, licet reverentiam aliquam, & honoris signum exhibeat potentiori. Egregiè PROCULUS: L. VII. D. de Capt. *Quemadmodum clientes nostros intelligimus liberos esse, etiamsi neque auctoritate, neque dignitate, neque jure omni nobis pares sunt: sic & eos qui Majestatem nostram comiter conservare debent, liberos esse intelligimus.*

CAP.

CAPUT VI.

DE

COMMUNICATIONE DOMINII & NUMMI.

I. *Princeps confert dominium privatis.*
II. *Idem Nummum invenit.*
III. *Nummi Materia, Pondus, Forma.*
IV. *Valor pendet à voluntate* Principis.
V. *Usus æstimat rem.*
VI. *Proportio nummorum. Peregrini receptio.*
VII. *Potestas mutandi monetam justa est.*
VIII. *Nummi abrogatio.*



COgnovimus ex dictis, quòmodo Princeps, omnium capitum Rex, omnium bonorum in Republicâ Dominus, & universæ civitatis gubernator sit. Tantam enim potestatem comprehendit Majestas, in se & absolutè spectata. Nunc ordine persequemur *Ejusdem communicationem*, quomodo variis modis subditos participes faciat sui. Pro captu scilicet recipientium, & qualitate rei recipiendæ. Communicat Princeps DOMINIUM; DIGNITATEM, POTESTATEM separatim; tum DIGNITATEM & POTESTATEM simul. Vidimus quomodo Deum imitetur Princeps *dominico jure* omnium rerum: statim apparet quomodo Vicarius

us divinam æmuletur bonitatem *dominii distributione*. Non sibi creavit Deus terrestria, volatilia, & aquatica; sed usibus & necessitatibus humanis. Ita Princeps non indigus omnium, plurima in subditos dividit. Ita enim arbitrandum est, constituto in Republicâ rege, omnia rerum dominia, quæ concesserat Deus homini, recidere in hunc Vicarium: eâ tamen conditione, ut tanquam Deus partialis, nova indulgentia sibi devinciat animos subditorum. *Regi omnia terræ, aëris, aquæ munera Deos dedisse, Regem vero usum earum rerum populo indulsisse, reservatis sibi pro communi felicitate curis & laboribus*, SYNESIUS tradidit. l. 1. de Prov. Quum Rex totius territorii dominus, divinâ ordinatione proclametur, primum beneficentiæ opus est, distribuere inter suos terræ superficiem, & assignare cuique immobiles possessiones: aut divisas jam, & occupatas confirmare. Animadvertunt Jurisconsulti, ad constitutionem dominii, rerum præsertim immobilium, necessariam esse Majestatis auctoritatem. Ejus quippe sententia definiendum principio erat, quid singulis concedendum, quid publico quoque usui reservandum. Pulcherrimus textus *Augustini*, relatus est in *Canonem*, quo jure. d. 8. Postquam disputatione minus impedita, ostenderat, Ecclesiæ villas post regna condita, non divino, sed humano jure, hoc est, Imperatorio, possideri: eximiè scribit: *Tolle jura Imperatorum, & quis audet dicere, mea est illa villa: aut meus est il-*
le

le servus, aut domus hac mea est? Et in fine. *Nolite dicere, quid mihi & Regi? Quid tibi ergo & possessioni? per jura Regum possidentur possessiones. Dixisti, quid mihi & Regi? Noli dicere possessiones tuas, quia ipsa jura humana renunciasti, quibus possidentur possessiones. Ambrosii* quoque illud est: *Non vis obnoxius esse Cæsari, noli habere, quæ sunt mundi.* Talem in modum indigentiæ humanæ succurrit Princeps, concedendo locum, cujus culturâ cives ali possint. Non solum fructus hujus privatæ terræ subdito permittit, sed magna pars ex publicis bonis & proventibus ad hunc redundat. Nam pisces, feras ac aves comedunt, qui nec aucupii, nec venationum, nec piscationum jura possident. Aliquando Majestas proventum illum publicum plenius permittit suis. Nam quæ dominium continent, facilius conceduntur subdito, quàm quæ imperium sapiunt. Quum igitur in manu Principis sit, solam superficiem colendam ac habitandam concedere subdito: sæpius contingit, ut bona publica eidem permittantur, tam quæ juxta privatum fundum sunt, quàm quæ intra terræ viscera. Inde repetenda est concessio mineralium, & fodinarum omnis generis, quoties privati easdem tenent. Ita de *inventione thesaurorum* censendum. Thesaurus nimirum pecunia est, cujus dominus ignoratur, cum jam dudum vivere desierit. illius acquisitio, cum dominium includat, sine præscripto civilis legis haberi non potest. quare si disponat Majestas de thesauro, de qualicunque re inventa,
ut

ut cedat inventori, legitima est acquisitio; sin contra prohibeat, injusta erit detentio. Hinc est, quod tam diversimodè dispositum legamus circa thesauros, fodinas; item venationes, & alia publica bona. Jure suo potest Princeps talia sibi servare, tanquam res dominio publico debitas: quando verò eadem permittit subditis, communicatum, & commodatum dominium agnoscendum est. Quod toties deprehendimus, quoties facultas venandi, ligna publica colligendi; item vectigalibus fruendi, & proventu maris, civibus indulta est. Scilicet tali conditione, rerum acquirendarum isti modi sunt, à Majestate introducti, plerique sub occupationis titulo aut inventionis latentes. Quæ introductio dominii comparandi solam Majestatem agnoscit caussam. Id vel ex Jure civili planum est, quod nullum admittit modum dominii acquirendi, nisi à Principe constitutum. Multis quidem Jus naturale, & Gentium in ore est, quò dominia referunt: sed si premas & urgeas asserentes, nunquam commodam caussam ejus derivationis prodent. Illa enim jura mutari nesciunt; quemadmodum figuræ dominii quærendi mutabiles sunt. Tutissimum est, Principem solum facere auctorem dominiorum in civitate, in cujus arbitrio est, hac, vel alia ratione determinare acquisitionem. Et quoniam hoc opus solius Majestatis est; non omittenda erat in Politicis communicatio dominii, quæ fit per potestatem adinveniendi modos dominii quærendi.

II. Non

II. Non verò tantum communicat suum dominium Princeps dictis modis; sed ut commodissimè celebrari possint commercia; *Nummum* invenit, quem utilitatibus subditorum largitur. Utut nemo privatorum cudat monetam; omnes nihilominus pecunias possident, liberalitate imperantium publico donatas. Hoc negotium dirigit *Potestas Nummaria*, quæ Nummum constituit, mutat, abrogat. Domestica hæc est facultas Principi: à Majestate adinventa. Non puto, indistinctè à Gentium Jure, seu consuetudine, Nummi incunabula petenda esse: sed potius à constitutis rebuspublicis. Quis enim ad arbitrium socii, dignitate paris, consensisset? incertus, num illa materia valorem obtineret apud alios. Et convenisse gentes omnes, ut pacto se obstringerent, de æstimatione rerum, nummo perficiendâ, simile non est vero. Bene HERMOGENIANUS tradit, L. 5. d. J. J. post condita regna, cœpisse emptiones & venditiones, quarum natales nummo coætanei sunt. In quam sententiam palam inclinat PAULUS noster, ubi materiam, cujus PUBLICA ac perpetua æstimatio, difficultatibus permutationum debebat subvenire, PUBLICA formâ percussam asserit. L. 1. pr. de cont. em. Quod constitutam Rempublicam oppidò arguit. Et licet videatur de suis temporibus loqui; respicit tamen primam originem nummi. Consentit Aristoteles, qui Νόμισμα à νόμῳ deducit, *quod sit lege constitutum*. v. Eth. 8. Lex vero ibi invenitur, ubi Reipublicæ usus est.

Et alibi acute ad Oeconomiam regiam, administrationem nummariam refert; *quando faciendum* sit, ut nummi pretiosi sint, aut viles.
II. Oec. I. Firmat hanc opinionem asseveratio plurimorum scriptorum, qui indagaturi primum auctorem monetæ, regem aliquem conjiciunt fuisse, & aliis speciosè persuadent. Sed sufficiat argumentum, quod hujus negotii curam omnes Principes, à plurimis retro seculis, sibi vindicarunt propriam: nec privatæ sortis homines involare passi sunt; sed tanquam insigne imperii usurparunt.

III. Hęc verò potestas circa Nummũ conspicua maximè est in *Constitutione*, *Mutatione* & *Reprobatione*. Constitutionem absolvimus *Materia*, *Pondere*, *Forma* & *Valore*. Materiam principiò elaborabimus. de cujus ratione id imprimis requirit *Aristoteles*, I. Pol. IX. *ut sit ex rerum utilium numero*. Quapropter ad res contrahendas tale quiddam de communi sententiâ constituerunt inter se dare & accipere, quod cum esset è numero rerum utilium, usum haberet tractabilem ac facilem ad vitam degendam. Quod ideò factum censet doctissimus PICCARTUS: *quia si prorsus materia nummi inutilis esset, nemo pro rebus suis eam adcepturus fuisset, puta si ex papyro, corio, aut ungulis animalium, pisciumve squamis, vel testulis, nummi facti fuissent.* Id trahere in dubium potest *Lycurgi*, sapientissimi Principis institutum; quod *Sabellicus*, post *Plutarchum*, & alios ita tradit: *Habuit à principio in animo & res mobiles dividere: sed invidiam veritus,*

qua

quæ inde imminebat (plures enim videbantur id ægrè laturi) omnem auri argentique usum è medio sustulit, ferreumque nummum induxit, percussitque decussem, quem jussit minimi valere: ac tum demum omnis furandi occasio sublata est. Ignitum ferrum, ex quo nummum percussit, aceto exstinxit, ut ad rem nullam amplius ob mollitiem utile redderetur. Constat omne genus metalla fuisse adhibita. quod tamen primum fuerit, nemo in re tam creperâ & antiqua præsumet definire. cum modò auro & argento successerit æs, aut ferrum; modo æri nobilior illa materia. Spartani & Byzantii ferreis nummis usi sunt. Stanneos Dionysius Tyrannus in Siciliam introduxit. Attamen necessariò ad metallarem materiam non adstringitur imperans, licet commoditas eam suadeat. Nam cum totum negotium ab arbitrio superioris dependeat, non à natura: liberum omnino est, designare materiam, quæ pretii nomen sustineat. Opinione hæc omnia constant: & auri, argentique nobilitas ab eô fonte fluit. Nihil peccasse arbitror in politicas regulas Principes, qui ex corio, chartâve nummos fabricarunt. Quemadmodum de Tartaris memorant, & aliis populis, qui scorteis atque testaceis nummis usi sunt. Hæc omnia videntur elevare illam requisitam materiæ conditionem, ut necessum sit, eam ad alios usus adhiberi posse, abrogato nummi valore. Cum enim ex institutione hominum dependeat nummus, si penitius rem contemplemur, manifestum evadet, quamcunque materiam

teriam nummo destinare posse Principem. Materiæ hodie *pondus* proximè cohæret. Satis constat, nummi valorem initiò fuisse definitum solo pondere. Expendebantur, appendebanturque metalla. Hinc descendit illud, *pendere vectigal*, quod solvere est. *Pendere pœnas* propriè dicitur, qui ob delictum pecuniam solvit. quia, quum ære gravi uterentur Romani, penso, non nnmerato, debita & mulctæ solvebantur. Unde *Pensiones*. Diu retinuerunt morem hunc Romani, ut invento licet nummi usu, subinde tamen pondere & libra metirentur valorem metalli: tenaces nimirum pristini ritus. At non poterat illa appendendi consuetudo suis carere molestiis: quibus ut occurrerent rerumpublicarum rectores, signatus demum nummus est; non sine definitione certi, & forsan pristini ponderis. Et quamvis hodiè solo pondere non definiatur moneta; necessum interim est, hîc aliquid certi constituere: ut nummorum genera invicem aliquo modo distinguantur. Ut autem materiæ denominatio uni relinquebatur superioris placito: ita similiter ponderis designatio eidem propria est. Ponderis vero, ut & æstimationis indicium, *Forma* illa externa est, quæ numismati imponitur. Post sublata ponderandi & appendendi incommoda, necessaria hæc est, quæcunque tandem fuerit. Pecudis insigne gestasse primos nummos, constanter omnes tradunt, indeque pecuniæ nomen deducunt. Sequentibus temporibus, cum nummus ad insignia & jura imperii spectet, conveni-

enientius creditum, imperantis effigiem ei-
em insculpere, ad declarandum auctorem.

IV. Primarium verò locum sibi vendicat *Æstimatio*, seu *Valor*: omnem nummi naturam constituens & absolvens. Contemplemur aurum, argentum, aliud metallum, in propriâ suâ substantiâ: mercem habebimus; non nummum, non pretium, quod aptum natum sit, æstimare cæterarum rerum dignitatem. Potest materia certò pondere, certâ formâ determinari: si absit valor, nummi haud tuebitur nomen. Quod in antiquatis monetis videre est. Æstimatio igitur anima est monetalis corporis. Hæc unica est, quæ nummo essentiam, & propriam largitur naturam. una hæc, pro sui differentia, nummorum diversa genera introducit. una facit, ac sola, ut nummus perficiat & operetur illa, quæ ejus indoli sunt domestica. Requiritur materia; sed ut subjectum recipiens, nihil agens: additur forma, sed tanquam signum imperantis valoris. Hanc ob caussam, æstimanti Principi, omnem substantiam nummi adjudicaverim; & bonitatis metallaris, & designati ponderis unicum fundamentum esse, publicam æstimationem, ac Principis voluntatem pro lege ac ratione, affirmaverim. Ut metallum idoneum judicetur fabricationi nummorum, nemo inficiabitur, decisionem ab Principis arbitrio expectandam. Ut nummus ex determinato metallo cusus, hoc vel illud pondus sustineat, ab auctoritate itidem superioris proficiscitur. Hic idem, ut æstimationem adjiciat, neces-

ſum eſt. Tædioſè diſputant, qui in hoc argumento materiæ intrinſecam bonitatem & æſtimationem urgent, cui reſpondere debeat nummus, ſi veritatem ſuam tueri velit. Principem aſtringunt iſti, cujus intrinſecum valorem teneatur obſervare. Sed quæ illa metalli bonitas? num quæ ex metalli raritate, & naturalibus proprietatibus; partim etiam ex communi hominum captu & affectu ſumitur? Non ſatis firma indicia ſunt, ob quæ metallum metallo poſtponamus. Metalli raritas non ſtatim materiæ nobilitatem arguit: aliàs ferrum, quod alibi locorum non invenitur, pretioſius foret auro. Et id conficeretur, metallum, quo frequentius, eo ignobilius eſſe. Sic Tagus, & Pactolus, & reliqua auro ſcatentia loca, ignobiliſſimum metallum veherent. Ex quibus omnino ſequitur, nihil certi poſſe concludi de bonitate metalli: cùm modò ferrum, modò aurum, pro ratione infrequentis uſus, in pretio forent. Unde igitur colligitur certa quædam, & ſtata materiæ bonitas ac excellentia? Si ad naturales proprietates recurrimus, omnia metalla bona ſunt: quia habent debitam in ſuo genere perfectionem: nec hic quærere licet, quid ſit melius, cum ſingula ſint optima. Si nobiliores operationes objicias, oſtendendæ erunt, cui ſoli metallo adhæreant. Nunquam probabitur; æs, ferrum, aut aliud metallum, ſuis deſtitui virtutibus & efficaciis. Et ſi vel maximè naturales qualitates interdum nobiliores inveniantur in hoc, quàm illo: in Medicina id aliquid

aliquid valebit, ubi morbis occurritur, & imbecillitatibus opponuntur naturales facultates. in hoc civili negotio nihil operantur istæ dotes. Nam si ad illas qualitates respiceretur, procul dubio margaritæ, gemmæ, alia efficaciora, materiam nummorum constituerent. Et illa supradicta raritas quid est, num intrinseca quædam materiæ nobilitas, an penuria metalli? Sic defectus tandem nobilitatem complectetur. Si lubet ad hominum affectionem proclamare, procul dubio vincimus; & formulâ excidet, quisquis contra senserit. Si prima secula & incunabula nummi vestigamus, vix est ut argenteum, nedum aureum inveniamus. Non unam, sed plurimas gentes habemus, quæ æs, quæ ferrum, quæ aliud quid præter aurum, vel argentum, legitimam nummi materiam crediderunt. Prolixum foret, & supervacaneum, ex pluribus scriptoribus id ipsum confirmare: & occidentalium & septentrionalium, aut meridionalium quoque populorum monetas examinare. In quibus omnibus consensum habemus, non tam plebis, quàm Principum; in quorum potestate fuit materiam nummi designare. Et nonne judicium multitudinis in hâc civili re pendet à judicio Majestatis? Quæ omnia, ut planissima sint, rejiciuntur ab auctoribus, qui intrinsecam æstimationem nummis asserunt, *cujus accessoria sit imposita Reipublicæ æstimatio: tam obsequens principali, ut falsa sit, nisi respondeat internæ.* Modicum quidem excessum tolerant, impendendum fabricationum sumtibus: con-

fultius interim judicare, numiſmata impenſis publicis percudi, tanto valore, quanto ejuſdem ponderis maſſa diſtraheretur. Verùm hæc tandem probabunt, nummum a naturâ conſtitui. Si jam æſtimationem ſecum habet, fruſtra non tantum, ſed injuſtè imponetur diverſa, vel minimùm ab ingenita diſcrepans. Quis autem illud arcanum aperuit aſſertoribus, quæ & quanta ſit materię æſtimatio intrinſeca? Ego conſtanter affirmabo, rebus, quatenus merces ſunt, nullam æſtimationem ineſſe. Nihil poteſt ſimul eſſe menſura & menſuratum. Res ſunt æſtimatum potius, quam æſtimatio. Et ne id quidem ab intrinſecâ rerum naturâ provenit, ut ſint æſtimatæ. quia hæc reſpectiva æſtimatio extrinſeca eſt, & aliunde per accidens ſupervenit, nec tangit penitam rerum eſſentiam, ex qua per ſe reſultet. Quod concedunt Principi augmentum modicum externi valoris: id ab intempeſtivâ quadam æquitate proficiſcitur. quaſi in eorum manu ſitum ſit, præſcribere normam Imperantibus, ſecundum quam monetam æſtiment. Exæquationem nummi ad rudem maſſam nolim repetere: eximiam juris monetalis ignorantiam præ ſe fert. Meminiſſę debebant, pecuniam omnes res æſtimare, à cæteris verò non æſtimari. Quamdiu metallum materia eſt, merx eſt; & recipit æſtimationem, nullam confert. Quæ de lucro dicuntur, abjectum animum arguunt. In Principem illæ ſordes non cadunt, qui nundinationibus ejuſmodi non habet opus. Indignetur merito hanc perverſam doctrinam

ctrinam Majestas: quæ, cum non suis, sed populi utilitatibus produxerit nummum, suspectatur injusti, & furtivi alicujus lucri.

V. Non turbabit sententiam, quod *in permutationibus oporteat æstimationem positam fuisse in ipsis rebus, quæ absente nummo ad æqualitatem erant reducendæ. quæ reductio fieri non potuerit citra valorem utriusque rei permutandę. Videaturque æstimatio ipsis rebus adhæsisse, cùm defuisset alias permutandi facultas; permutatione non inveniente locum, nec reductione ad æqualitatem, nisi utraque re, in suâ naturâ æstimata. Quin ubi nummo hodie mercem comparamus, dandum sit aliquod medium intercedens, quod æstimationem pretii applicet rei æstimatæ. Ratio quoque subesse debeat, cur tanto pretio ematur vendaturque res: ac illam à naturali & insito valore proficisci, necessum sit.* Verumenimvero fundamentum ejusmodi comparatæ æstimationis Usus est. In permutationibus quærenda erat æqualitas: sed hæc posita minimè fuit in naturali æstimatione rei permutandæ. Nam quæ permutantur dissimilia plerumque sunt, & penitus inæqualia. quod verò ad æqualitatem reducuntur analogicam, id dependet potius ab hominum opinione, quæ cuique rei, pro ratione usus, valorem assignat. Egregie ARISTOTELES: V. Eth. 8. *Res inter se tam dissimiles ac dispares, si verum quærimus, nullâ communi mensura inter se convenire, nec cohærere possunt: sed quod ad* utilitatem indigentiamque *attinet, satis commodè possunt.* Et paullo ante dixerat de rebus

 dissimi-

dissimilibus permutandis. *Non poterunt comparari, nisi quodammodo sint æqualia: ergò unum quiddam esse oportet, quod cætera omnia metiatur. Hoc autem re quidem verâ* usus, seu indigentia *est, quæ omnia continet. Nam si nullâ re egerent homines, aut si non similiter egerent: vel nulla, vel non eadem esset permutatio.* Usus ergo rerum æstimationem judicat; non natura. Similiter quotidianus usus emptiones & venditiones moderatur: quare & pretia rerum non sunt ubique eadem. Quamvis in singulis locis, certo tempore aliqua communis rerum æstimatio sit; quam *præsentem* vocant Civilia jura; item *justum pretium, verum, verum & præsens pretium:* extra judicis tamen sententiam, tanti æstimantur res, quanti emptorem invenerint. Aliquando luxuria & voluptas faciunt res pretiosas. *Qui modus est in his rebus cupiditatis, idem est æstimationis*; inquit CICERO. Adeoque rerum æstimatio procedit ab opinione, quam hominibus, vel præsens utilitas, vel delicata luxuria commendaverit; nunquam à naturali perfectione, aut excellentia. Quamvis hæc omnia circa æstimationem rerum obtineant, quę variare consuevit: non circa æstimationem Nummi, quæ semper fixa est, nec mutatur, nisi à voluntate imperantis, cui originem debebat.

VI. Æstimationi adhæret judicium *de proportione nummorum*, diversæ materiæ; de comparatione auri cum argento, & reliquorum invicem metallorum. Ita viginti libris æris, unum

unum auri ſolidum; & ſingulis libris argenti, quinos ſolidos exęquaruut olim Romani Imperatores. Id affirmamus; liberrimam Principis voluntatem determinare proportiones: quarum varietas, in Rebuſpublicis deprehenſa, id ſatis approbat. Romę auri partem modo decem partibus argenti, modo duodecim & dimidia æſtimatam, obſervant Scriptores. Fuit aliquando auri ad argentum quindecuplex analogia, ſecundum GOVARRUVIAM. Quod verò idem Auctor, rationem tam variæ ęſtimationis in qualitate metalli reponit, non videtur eſſe ſufficiens cauſſa; nam fundamentum ſaltem generale habemus in materia, ut differentiam conſtituamus: ſed quantum, ac quale diſcrimen ſtatuendum ſit, Majeſtatis arbitrium decidet. Hęc in republica abſolvunt nummi Conſtitutionem: cui ęquiparanda eſt *Receptio monetæ peregrinæ*, aut veteris cujuſcunque, quæ in deſuetudinem abiit. Extraneum numiſma nullam æſtimationem ex ſuâ natura invenit in alterius territorio. Sicut leges extraneæ non poſſunt ullum hominem obſtringere, niſi obnoxium poteſtati legiſlatoris: ita nec moneta extra ditionem imperantis ullum valorem obtinet. Sed propter commerciorum frequentationem recipi ſolet interim: eaque receptio jus ac poteſtatem civilem arguit. Idemque pręſtat approbatio peregrini nummi, quod proprii percuſſio: ut teneantur nimirum ſubditi in emptionibus atque venditionibus, tum aliis contractibus, ſuſcipere approbatam monetam.

 VII. Se-

VII. Secundum momentum Juris monetalis, in poteſtate *mutandi pecuniam*, poſitum eſt: dum aliquid materiæ, ponderi, aut æſtimationi, adjicitur, vel detrahitur. Circa materiam ſupra vidimus, illam planè juſtam atque legitimam eſſe, quam Princeps elegerit. Ex hoc fundamento mutationem, introductam in materiam, defendimus. Hinc dicimus, Lycurgum monetam ferream nummis aureis jure ſubſtituiſſe. Et Dionyſium, Syracuſanorum tyrannum, ſtanneam introducentem pecuniam, nihil tyrannicum admiſiſſe. Nam metallorum omne genus aptam numiſmati materiam ſubminiſtrat, ſi auctoritas publica accedat. Ergo & invicem variari poterunt. Ad hæc ſi miſtio inſtituatur metallorum, arbitrium cudentis pro ratione & æquitate ſtabit; quia res mere civilis hîc vertitur. Idem ut de pondere affirmemus, nulla difficultas impedit. Quia par utrobique ratio. Similiter ſe res habet cum æſtimatione: cujus incrementum ac decrementum, optimo jure, in manu ſua poſitum habet nummi primus auctor. Et magnum utrumque atque notabile, juſtâ ac ſtabili lege, poterit conſtitui. Nummus qui à Lege, ſi Philoſopho fides adhibenda, nomen accepit, ad legis conditionem exigendus eſt. quam in civitate mutari poſſe ab eo, qui rerum ſummam tenet, dubio caret. Latentem aliqui, & occultam concedunt Mutationem. Aſt ſi vitium dominationis, aut tyrannidis ſubeſt, minimè concedendum, ſi vel maximè fiat occultè. Silentium, & loci obſcuritas, delicto nul-

nullam justitiam circumfundunt. Si vero legitimum illud Jus est Principis, indignum fuerit, imperatoriam justitiam ad carceres condemnare. Fraudes, & furtivæ artes tenebras quærunt, & conspectum hominum declinant. Majestatis jura lucem affectant, & ab omnibus cognosci amant. Sed hîc nos omnibus diris devovet BODINUS, & parum abest, quin Principem, cum affirmantibus, ferventi oleo destinet. Referam verba ex VI. de Rep. III. *Ex quo intelligitur, nummis à Principe ipso, lege & auctoritate publica corruptis: quanta pernicies ad Rempub. perventura sit. Quanquam Principi non magis licet improba numismata cudere, quam occidere, quam grassari: nec à jure Gentium, quo quidem auri & argenti pretium est constitutum, discedere, nisi Regis nomen atque splendorem amittere, ac falsæ monetæ fabricator, quam Princeps appellari malit.* Rursus. *At non modo corrumpi moneta, sed ne mutari quidem potest sine incommodo civitatis: quoniam mutatio pretii ac materiæ numismatum, census etiam ac bonorum cujusque dubitationem affert.* quod dubium prolixâ digressione explicat. Principiò mirari subit, illustrem virum, de jure Principis circa monetam, tam vulgariter & abjectè sensisse. Quid quæso est nummus, *à Principe, ipsa lege & auctoritate publicâ corruptus?* Post natas contradictiones, vehementiorem non inveneris. Si Princeps adest, si lex & auctoritas publica adest, nulla corruptio timeri potest. Falsæ monetæ fabricatorem vocare Principem, reverentia summo Imperio

de-

debita, vetat: & à crimine læsæ Majestatis id vocabulum proximè abest. Inter homicidium, & pecuniæ mutationem, nulla jacet proportio. Et quænam est illa constitutio pretii, jure Gentium sancita? quale est ipsum illud Jus Gentium? num obligatorium, quod omnes populos ad observationem, aut pœnam obstringit? an aliquod Jus civile, per plures nationes dispersum? Planè hîc meminisse debebat, in merè civilibus institutis liberrimam esse voluntatem Principis, ut decernere possit, quicquid illa suggesserit. Dubium illud non affliget Rempublicam. quod variatæ quoque monetæ certus valor insit: & collatio nummorum satis accuratè queat tradi: & ipsa mutatio in commodum publicum suscipiatur. Nobis enim hoc discursu id minimè agitur, ut persuadeamus Principi continuam mutationem pecuniæ, hactenus in suis ditionibus usitatæ; & protrusionem deterioris sortis in publicum. Id factum enim & intempestivum aliquando accidet, & si frequentius iteretur, imprudentiæ speciem habebit. Laudamus illud sapientum monitum; *non temerè quid mutandum esse in Republicâ*; & ideò nec pecuniam. Vilescit auctoritas tam variabilia, & nunquam fixa condentis: & ut mollissimo verbo dicam, habendi cupiditas in suspicionem adducetur. Hoc interim consilium, ut decorum, ita minus validum est, ut omne Jus mutationis perpetuo inhibeat. Dabunt contradicentes; necessitate excusari mutationem: quod satis est juri præsumendo. quum suâ naturâ

turâ turpe, inhoneſtum, & moraliter impoſſibile, neceſſitatis nomine haud poſſit approbari, aut legitimum judicari. Dicunt, *impediri commercia*. Reſpondemus; hæc impedimenta nullum jus imperanti adimunt. Si abſque illis civitas conſiſtere nequeat, infirmitatis ac imperfectionis hoc grande documentum erit. quod talis civitas aliunde expectandum habeat, quod indigentiæ, & uſui quotidiano impendat. Strenuè atque feliciter geſſerunt rem majores noſtri, licet diſtrahendis mercibus rem non facerent. Multum interim conferat Reipublicæ commoditatibus mercatura: ob mutatum nummum non inhibebitur. Quomodo floruerunt commercia, quando permutatio celebrata fuit? Et quaſi maxima mercimonia permutando hodieque non promoveantur? quaſi non dentur Reſpublicæ, in quibus nefas eſt, monetam exportare. Anglicana ſanctio, & Moſchorum interdicta, nota ſunt. Aurum ad Barbaricum tranferri à mercatoribus, noluerunt Romani Principes. quod multo tempore antea, conſule *Marco Tullio*, ſenatus prohibuit; teſte ipſo *Cicerone* Orat. pro Flacco. Exempla in *Receſſibus Imperii Germanici* obvia ſunt paſſim. Sic ergo poterit mederi & illi malo Princeps, quod exportatio melioris monetæ, & levioris importatio, ab exteris facta, Reipublicæ videbatur minari.

VIII. Ejuſdem ordinis eſt Nummi *Abrogatio*. Quoties moneta, tanquam reprobæ & rejiculæ ſpeciei, aut illegitimi ponderis, exterminanda eſt; id à Principis judicio & poteſtate

ſtate

ſtate pendet. Cum Majeſtati ortum ſuum debeat nummus; in hunc abrogandum neminis alterius poteſtas porrigitur. Nam quoties deſuetudine quadam ſuſcipi deſinit, ad tacitum imperantis conſenſum omnino interpretandum eſt. quod vivente, qui primus percuſſerat, vix eſt, ut locum inveniat: cautis non minus, quam tenacibus ſuę auctoritatis Principibus. Alienam autē monetam amoveri frequentius videmus. Nec in abrogatione nummi, nec in mutatione, ſubditi conſenſus neceſſarius eſt. Plures interim conſenſum multitudinis requirunt, quando ponderi detrahitur, aut deterior admiſcetur materia; tum quando veteribus & uſitatis monetis novum ac majus pretium imponitur. Rationem illam ponunt. *Pecuniæ uſus & commoditas publica eſſe debet: quod vero omnes tangit, ab omnibus approbandum eſt.* Accedit & illud, *quod populo magnum detrimentum infertur: id autem injuſtum eſt, niſi populus conſentiat.* Sed magis eſt, ut dicamus, Principem ſolum, citra conſenſum ſubditorum id efficere poſſe. quod omne obſequium debeatur imperanti in merè civilibus: nec ſubditus ullo modo poſſit ſuo diſſenſu Principis actiones facere irritas. Id de natura imperii cenſendum, ne ad alterius arbitrium examinetur, alias degenerat à nativâ ſuâ indole. Tenetur ſubditus, Principis decreta de quacunque civili re approbare: at neutiquam obſtrictus eſt Princeps ad ſuffragium ſubditi emendicandum. Invitis ſubditis leges præſcribit Imperans, judicia ordinat, bellum indicit,

dicit, moderatur omnia jura. Vanum est imperii axioma, si precarium sit. Nunquam expectat subditi consensum Rex, nisi in Republicâ temperata, seu regno limitato: quando jurat regnaturus, se nihil immutaturum in imperio, nisi consentiat integra civitas. Tunc religione jurisjurandi tenetur, non alio jure. Sic Arragonum reges consueverant jurare, se non immutaturos monetam. Quod singulare est, & malè ab *Interpretibus Canonum* ad universalem pronunciationem extenditur. Regula, de necessariâ approbatione, vera intelligitur de illis, qui habent consentiendi & arbitrandi facultatem, non de subditis. Leges civiles omnes tangunt, à Principe tamen, non interrogatis subditis, promulgantur. Ita de pręsenti negotio. Quin concedunt plurimi Auctores in hanc sententiam, ut dicant, licere Principi, etiam non consentiente multitudine, monetam mutare, *si justa caussa subsit*. Sed præsumendum semper est, justam caussam urgere, quæcunque tandem illa sit. Credendum id subdito est, qui in his civilibus nullum judicium, nullum examen habet. Quod verò nonnulli adjiciunt; cessante illa caussa, illatum damnum restituendum esse: isti non intelligunt, mutationis, aut abrogationis finem. Nunquam mutatur moneta, ut damnum subsequatur; sed ut lucrum sentiat Respublica. Cum augetur valor, non potest subditus detrimentum sentire: quia nummo, quem jam possidet, accessit augmentum. Si vel maximè deminuatur antea auctus valor; in parte lucri po-

ponet, quod nummum majori æstimatione hactenus expenderit. Et providere possunt alias Principes, ne damnum sentiat universitas.

CAPUT VII.

DE

COMMUNICATIONE DIGNITATIS, & POTESTATIS.

I. *Collatio Nobilitatis.*
II. *Magistratuum institutio.*
III. *Varia Magistratuum genera.*
IV. *Quæ jura tantum Majoribus permittantur.*
V. *Superioritas territorialis.*



Amiliarius communicat se Majestas, & propius in consortium trahit subditos, quando iisdem vel *Dignitatem*, vel quandam *Potestatem* circumdat. Quemadmodum enim *summa potestas* in Republica Imperanti assidet: ita simul incomparabilis *dignitas* oritur ex potestate. Utramque à Deo habet Princeps: à Principe subditi omnes, quos vulgari sorti exemptos vult ille. Confert autem Dignitatem indultis privilegiis rerum, quas inter præeminentias opinio & consuetudo gentis posuit: qualia fuerunt purpurâ vestiri, flava cera uti, cæsariem alere, solis sanguine regio oriundis aliquando concessa. Hæc tamen

tamen *insignia* potius sunt Dignitatis, quam ipsa Dignitas: conferri solita titulo Nobilitatis, aut cujuscunque Honoris publici, qui virtutem civilem pro fundamento habet. Quum cives omnes inter se æquales sint, facile patet, Nobilitatem, quæ prærogativam, & inæqualitatem adeò status infert, non proficisci ab alio, quam Imperante, qui summam in Republica dignitatem habet. Quemadmodum hoc inventum efficaces stimulos generosis animis subdit, & ad res præclarè gerendas magnum momentum habet; ita ingens civilis ratio jubet, regnanti Principi quemque acceptam ferre suam Dignitatem. Hujus fundamentum est civilis virtus. Ita consuevit enim à multis retro seculis fieri, ut Principes viros de Republicâ optimè meritos, sive belli, sive pacis, sive utriusq; artibus, inferiorum ordini eximere, in sublimiorem locũ evehere, & in testamen ac præmium virtutis, nobiles proclamare soleant. Secundũ gradus meriti, & facultatem, quâ juvare possunt nobilitandi Civitatem. Inde *Ducum* nomina, & *Comitum* genera, apud Europæos: quum his titulis ornarentur, qui exercitibus præerant, aut commendatam provinciam judicabant. Nobiles enim reverâ erant illi *Honorati*, qui Honorem alicujus Magistratus in salutem communem Reipublicæ gerere didicerant. Et habebat Majestas summam rationem, ut conferret dignitatem illi, qui vel strenuâ manu, vel prudenti consilio, Reipublicæ commoda promoverat. Hæc dignitas, una cum fundamento suo civili, nec

auro

auro emitur, nec divitiis comparatur: quin, si verum amamus, per genus non transfunditur; sed personalissima est. Potest quidem Princeps etiam in indignum collocare axioma hujus eminentiæ: sed Principis ipsius maximè interest, ne id fiat, & si forte accidat, Nobilitas sine fundamento est. Æstiment alii censu & divitiis nobilitatem; opinativa erit, & imaginaria; nulla politica eminentia. Cum pessimus quisque & ignavissimus, & ne unâ quidem operâ Rempublicam instruens, divitiis abundare possit. Nobilitatis genus consequuntur Doctores in Academiis. Nam in præmium ac testimonium Eruditionis, Majestatis auspiciis, confertur illa Dignitas; Equitum prærogativæ in Imperio Germanico semper æquiparata. Sed hæ Dignitates de imperio nullo participant.

II. Alio igitur modo se communicat Majestas, quando *potestatem* aliquam transfert in subditum. Contingit fere hoc secundum exercitium omnium Jurium Majestaticorum, in quantum subditus exercitii capax est: ut sublevet Majestatem, omnibus exsequendis non sufficientem. Eam quippe expeditionum publicarum & multitudinem & varietatem inveniunt, qui rerum summam in civitatibus moderantur, ut omnibus & singulis obeundis, impares ipsi non rarò deprehendantur. Ne tamen Reipublicæ commoda jaceant intercepta, prudenti consilio in partes vocari consueverunt, qui sagacis ingenii, & fidi ministerii ope, adsistant imperan-

perantibus: & exerceant horum nomine, quæ præsens usus postulat. Verissimum quippe est, quod *Vellejus* dixit; *Magna negotia, magnis adjutoribus egere.* Hi usitato nomine dicuntur *Officiales* & *Magistratus.* Omnibus his aliqua civilis facultas confertur à Majestate, ad exequenda ejus jura. Imperium enim Magistratuum in Exercitio & Executione potius consistit, quam propriâ potestate. Eximuntur quidem vulgari sorti Magistratus: subjecti tamen manent Principi, qui potestatem illam exequendi repetere potest. Id enim ultro manifestum est, magistratum non aliunde habere originem, quam unde omnis potestas in Republica solet derivari: hoc est, à Majestate. Hæc una caussa Magistratus; hic genuinus & domesticus illius effectus. qui sine opera sui Efficientis nunquam oritur. Quare in Romanis quoq; legibus bene cautum est, ne quis magistratum gerat injussus, nisi reus velit censeri Majestatis. Nemo enim sine scelere involare potest imperii sacra, quæ à Principis indulgentia descendunt. Quotuplex autem sit indulgentiæ hujus commissio, prorsus difficile est determinare. Distribuunt aliqui hos Officiales in *Ordinarios* & *Extraordinarios.* Illos vocant, quorum administratio certis legibus definita est; hos, qui uni alicui rei distinantur, absolutoque negotio ad pristinam formam redeunt. Quæ secundũ præsupposita certæ alicujus Reipublicæ instituta, & particularem considerationem civitatis, verissima sunt.

Ita

Ita enim Romanę civitatis gnarus statim respondere potest, qui ordinarii Magistratus sint; qui itidem aliquod imperium extra ordinem consequantur. Cęterum si hîc in universum aliquid pronunciaretur, facilè suboriri posset confusio, descendenti ad particularem Reipublicę formam. Ordinariis vulgò annumeratur *Censor*. qui apud Romanos quidem ordinarius fuit; hodiè apud paucissimos populos invenitur. Et plures decepit Romanæ Reipublicæ splendor, ut eam, tanquam perpetuam ideam civitatum in Politicis delinearent: nec discernerent particularia illa, & temporaria instituta, ab universalibus. Discrimen Officialium haud melius assequemur, quam si juribus Majestatis singulis insistamus, & contemplemur, num executio eorundem committi soleat, aut possit.

III. Eundum igitur nobis est per Jura, in antecedentibus explicata, & primo loco illa universalia. Ubi generalior illa provisio, invigilans universæ civitatis emolumento, communicatur CONSILIARIIS; qui in consortium ejusmodi curarum communium trahuntur: ut suggerant Majestati regimen concinnum, & salutare multitudini. Subditi non est rimari negotia & cogitata sui Principis: at Consiliariis hisce penitissima quæque Reipublicæ, & intimi recessus regiorum sensuum patent. quare benè intellexit rem, qui hos tales COR PRINCIPIS vocavit. Quamvis autem imperium nullum habeant, & nec decernendi facultatem, quæ Præsidi hujus collegii, Majestati

jestati debetur: instruuntur nihilominus potestate regendi consiliis Rempublicam. unde & summum gerere officium censentur, & primum à Principe locum meritò occupant. Et similes his sunt, quoad defectum imperii, omnes qui Sacris & Academicis officiis præficiuntur. Nam munus imperativum haud possident. quanquam specialem ob caussam utrique careant imperio: illi; quod facultatem consulendi, sine decreto & executione habeant; hi, quod doctrina non procedat à Principe, quà tali, sed adhibeatur tanquam instrumentum, ordinatum ad beatitudinem Reipublicæ. Participant tamen subditi aliquam potestatem circa Sacra, quando *Ius Patronatus*, ut vocant, seu facultatem vocandi Ministrum verbi divini, accipiunt. Imo ipsis personis Ecclesiasticis solet assignari potestas dijudicandi res, suo muneri cohærentes, quæ in CONSISTORIIS, Principem repræsentantibus, deciduntur. Hæc species Jurisdictionis est, quæ ab objecto, singulare nomen sortitur: quoad suam naturam omnibus Magistratibus ferè committitur, una cum determinato illis officio. Id enim interest, quod Jurisdictio, vel diversum nomen sortiatur, vel cum alio munere conjungatur. Consistoriorum Auctoritas puram putam habet cognitionem & decisionem rerum Ecclesiasticarum. Similiter Belli Duci, & præfecto, unà cum ductu exercitus, & administratione belli, permitti solet potestas animadvertendi in refractarios milites: quæ Jurisdictionem in caussas militares, sive delicta militum compleċti-

plectitur. & hæc separatim Judici Militari mandari poterat; ut solus ductus Imperatoris bellici esset. Sive autem conjunctim, sive separatim communicetur facultas animadvertendi in facinorosos, & contra leges impingentes: à Principis jurisdictione id nascitur. Nunquam JUDEX haberet illud jus, nisi Majestati judicium competeret in caput subditi. Inde munus quoque CENSORIS oriundum est. Nam quum Princeps mores subditi possit legibus formare: introducit magistratum, qui constitutionibus publicis difformes, corrigat. Hoc enim à Potestate in personam descendit. Et quamvis extrema provocatio propria sit Majestatis; institui nihilominus possunt COLLEGIA APPELLATIONUM, quæ ut CONSISTORIA, Principis vices suppleant. qui suo muneri satisfaciet, ubi in talibus præsederit. Ex Dominio Principis Magistratus prodeunt, qui bonis publicis præficiuntur; sylvis, venationibus, fluminibus & piscationibus, fodinis; ædificiis & viis publicis. Hi omnes curam peculiarem rei commissæ, & singuli jubendi aliquid, aut prohibendi habebunt facultatem. quanquam animadversio in delinquentes conjungi cum horum officio, vel separari, & loci Judici permitti possit. Harum autem rerum pecuniarii reditus, ut & vectigalium ac tributorum coactiones, quibus iterum peculiares adsunt Magistratus, tandem traduntur QUÆSTORI. Quod officium modò sub fisci, modò ærarii; & hodie CAMERÆ titulo administratur. Innumeri alii

alii Magiſtratus poſſunt conſtitui, qui *annonam, nundinas*, *curſus publicos*, & ejuſmodi alia regant: quorum omnium poteſtatem ex cognato Jure Majeſtatis derivare, minimè fuerit impeditum. Oportet enim adeſſe in Principe imperium, ſi aliquod Magiſtratui communicari debet: hujus munus ſtatim prodet, cujus generis iſtud ſit.

IV. Illud vero tacendum non eſt, aliqua Majeſtatis jura, à ſolo Principe exerceri, & magiſtratui non poſſe committi. quorum exercitium immediate à majeſtate vult produci. Ejuſmodi eſt *Legumlatio*, quæ à nemine ſubditorum expeditur. Licet enim Juris prudentes ſuggerere poſſint, quid juſtum ſit: & Conſiliarii, quid utile: ſuggeſtio tamen illa inſtrumentalis, longiſſimè abeſt à Legis ratione. Iura quoque authenticè interpretari, mutare & antiquare, ſolius Majeſtatis opus eſt. Quicquid huc commodaverit ſubditus, vel ſcriptoris, vel præconis miniſterium erit. Si permittantur *Statuta*; leges non ſunt, ſed pacta multitudinis, à Principe permiſſa. Similiter belli gerendi facultas tranſcribetur in Ducem: inchoandi, ſeu decernendi, neutiquam. Sicut nec finiendi. Nam ſanciendæ pacis arbitrium nulli magiſtratui indulgetur. Qui tractandæ & promovendæ concordiæ adhibebuntur, interpretes erunt ac nuncii voluntatis regię. Idem circa conventionem fœderum. Niſi per veros Legatos hæc peragantur, in quos perſona Principis pulcherrimo invento transfunditur. quorũ interim negotiatio, certa formula à

Q Ma-

Majeſtate præſcribitur. Ita Jus *Aggratiandi*, cum tranſcendat legum latarum tenorem, & impediat inferioris Judicis ſententiam, à ſolo Imperante peragitur. Cujus generis *Evocatio cauſſarum* eſt, quæ ordinariam cognitionem Judicis ſiſtit. Non aliud dixerim de coactione comitiorum, quæ poteſtatem in caput præſupponit. celebrari enim poſſunt conventus per amicam invitationem; ſed hi differunt à comitiis. Et imprimis *Legati Miſſio* in hanc claſſem referenda eſt: quæ proximam translationem perſonę regię poſtulat. Huc etiam pertinet Revocatio beneficiorum, à Principe anteceſſore, in pręjudicium utilitatis publicæ, conceſſorum. Tum dominiorum privatorum, & modorum acquirendi Conſtitutio: & eorundem occupatio tempore neceſſitatis. Item tributorum & vectigalium inſtitutio. Hæc enim ſingula ſpeciale juſſum Imperantis poſtulant: & magiſtratibus ordinariis non temerè committi queunt. Ponuntur autem in majorum Magiſtratuum manus, quando Adminiſtratores & Pro-Reges in remotiores provincias pleniſſimis mandatis ablegantur. Ejuſmodi miniſtris, perſonam regiam commiſſa poteſtate referentibus, plurima licent, quę aliis officialibus, pręſente Principe, minus conveniunt. Deſignantur pleraque in ampliſſimâ illâ delegati muneris formulâ: ſed cum plures inopinati caſus queant contingere, prudentię Vicarii prolixa facultas aſſignanda eſt. ne defectu mandati, & morâ detrimentum capiat res Principis. Quare & neceſſarias promulgare

gare leges, & innovare minus utiles ille poterit. Ordinabit Ecclesiasticum statum, si fortean correctione indigeat. Habebit largissimam Belli administrationem: & in subditorum Personam ac fortunas tantam accipiet potestatem, quantam suffecturam Reipublicæ conditio dictaverit. Contingere solet, ut belli tempore, Ducibus quoque, & urbium Præfectis majus aliquod imperium largiatur Princeps: potissimum quando hostis obsidionem minatur. Tunc creditur permissum, quantum defendendo loco necessarium est: licet in mandati formulis nihil specialius sit designatum. Inprimis autem hoc casu Dominii Eminentis exercitium, quod ad occupationem privatæ possessionis tendit, intellectum ubique tacite crediderim, quamvis expressa mentio non fiat. Quod omnis potestas ejusmodi Defensori concredita censeatur, quæ retinendo fortalitio conducit. cujus tutela explicari satis haud potest, nisi occupentur vicina, aut corrumpantur hostibus profutura. Solet enim Majestas in extraordinaria ejusmodi commissione regiminis, pleniori modo se communicare.

V. Eximium, & plane singulare, atque incognitum antiquioribus Politicis, specimen communicationis Majestaticæ posteriora hæc secula viderunt, in Sacro Imperio, circa SUPERIORITATEM TERRITORIALEM. Hæc Majestati æmula, & futura Majestas, nisi hanc superiorem tamen in suâ ditione agnosceret. Dixeris omnia jura Majestatica in hanc confluxisse: adeò proprio nomine atque

auctoritate hęc talia expediuntur, sine mandato, aut præscripto superioris: ut aliqui seriò defenderint; *Statibus Imperii competere Majestatem*. Sed quum Imperium Germanicum una Respublica sit, cui repugnat pluralitas Majestatum: rectè quidem isti opinioni fuit contradictum ab accuratioribus. qui interim nimis parcè ingenium Superioritatis, in relatione ad Majestatem, explicarunt. Indubitabile illud est, magistratu amplius quid hîc subesse: quod operationes satis ostendunt. Condunt ejusmodi Principes leges, & suis Provincialibus præscribunt, sæpe ab Imperatoriis diversas. imo contrarias, in publicis comitiis, protestatione facta, sępe tutatus est serenissimus SAXO, tanquam JURIS SAXONICI Defensor. Et habent Hujus, aliorumque Constitutiones, ejusmodi decreta, quæ veram vim Legislatoriam arguunt: distinctam planè à Statutis civitatum, quę pactiones & conventiones sapiunt. Quoad RELIGIONEM tam eximia conceditur directio, ut Status diversam ab Imperatoris, Episcopali jure introducant. Habent quoque ingens illud armorum jus, cum omnibus suis adhęrentibus. Et ferè totam rem absolvit, imperium in caput subditi, cum omnibus annexis potestatibus, Jurisdictione, & similibus; item Dominium in publica, atque Eminens, & propullulantia inde jura, notabili complexu tenent. Unde illud, sanè intellectum, verissimum est; *Princeps in Territorio suo tantum potest, quantum Imperator in Imperio*. Quæ omnia magistratu subli-

ſublimiorem potentiam inferunt; nec tamen ad Majeſtatem ipſam aſcendunt. Nam *Extrema provocatio* cum modo conceſſa eſt, & quieſcit in caſu negatæ juſtitiæ, ut ad Imperatorem proclamare poſſint preſſi ſubditi. Qui cognoſcit ejuſmodi controverſiam, & ipſos etiam Principes, præſertim ubi contra Majeſtatem aliquid deſignatum eſt, judicat. Pluribuſque aliis modis declarat imperium ſuum in ſuperioritatem, feudali nexu obſtrictam ejus Majeſtati. Interim hoc Poteſtatis genus analogum Majeſtati, inter quam, & magiſtratum jacet medium, ita tamen ut ab hoc longè abſit, & proximè ad illam accedat. A quâ licet oriatur & dependeat, tolli haud poteſt pro lubitu: ſed in perpetuam & hæreditariam poſſeſſionem, promiſſo Cæſareo, confirmatur. Non verſatur circa nudam executionem jurium: ſed veram continet Poteſtatem, analogam ſummo imperio, ſecundum omnia ejuſdem Jura. Hujus ingenium, pro inſtituti ratione, verbo tangere libuit: accuratior cognitio à Juris publici interpretibus petenda eſt.

CAPUT VIII.

DE

LEGATIONE.

I. *Legationis cauſſa eſt Majeſtas.*
II. *Legati Admiſſio.*


On tantum munia propriæ civitatis administros flagitant: incidunt tempora, quibus cum externis potestatibus de maximi momenti rebus transigendum Principi est. Cum vero nec commodum semper Majestati, pergere ad exteros, & sedem suam ac caput rerum omittere; sæpe nec tutum satis, credere se peregrinæ fidei: salutari invento, omnium Gentium approbatione, recepti sunt publici nuncii, qui sustineant Principis personam in peragendis apud extraneos functionibus: præditi ea sanctimoniâ, qua & dignitati Mittentis, & securitati missorum consultum est. LEGATOS appellamus, quibus Princeps regiam personam induit, quos dignitate maximâ & illustri potestate ornat. Ut enim aliquis Legatus fiat, opus est auctoritate publicâ mittentis: quam solicitè scrutantur populi, ut credere nolint Legatis, nisi mandatum sui muneris produxerint, & publicarum litterarum fide personam impositam fecerint testatam. Non immeritò. Majestas enim

nim est, quæ intimam naturam Legati constituit, sine quâ nulla est. Sustinet partes publicas Legatus, quod accidet minimè, si mittens privatus sit, hoc est, imperii Majestatici non compos. Officialium constitutio, qualis cum excellentiâ quadam Legatus est, ad Jus Majestatis spectat. quod partiale non habebit, qui integro destituitur. Hinc *bello victi*, & *capti reges* hanc potestatem, cum reliquis regni axiomatibus amiserunt. *Piratæ*, *latrones*, & id genus immanes homines, nunquam hoc jure gaudent. qui civitatem non habet, hoc privilegio Gentium caret. qui commercia & omnium Gentium jura intervertunt, immunitatibus communibus haud debent uti. Si distracta seditionibus civitas sit, & intestinò bello impetatur Majestas: missos perduellium haud æstimandos esse Jure Legatorum, sine prolixâ ratiocinatione intelligitur. Principi in subditos perpetua est auctoritas: & legationum jura licet hostibus, perduellibus non competunt. Benè apud *Livium* Senatus Romanus censuit, *jus Legationis externo, non civi comparatum esse*. Admittendos aliquando & benigne habendos esse à Principe, suadebit indulgens æquitas: ut redeant cæteri ad frugem ac bonam mentem, & civili sanguini parcatur. Si inter duos, qui civitatem in diversis partibus, divisis auspiciis gubernant, controversia oriatur, cui seponendæ destinentur aliqui; hos Legatos esse, & tali jure frui debere, verius existimaverim. Nam tum hi Oligarchi plenario jure imperant, & singuli plenam obti-

nent Majestatem. Accidere enim potest, ut plures civitates arctissimo fœdere coalescant, ut unum corpus referant; cùm interim singulæ perfectam Rempublicam forment. Quod ex *Strabone* & *Aristotele* GROTIO quoque notatum est. I. de J. B. III. num. VII. *Pupillos & infantes non mittere Legatum; nisi veniam ætatis fuerint consecuti; pro illis autem Tutorem mittere, & administrationi præfectos, regni nomine*, censet HERMANNUS KIRCHNERUS. I. de Legat. c. III. n. 48. Mittunt Tutores Legatos, sed nomine & auctoritate Principis infantis; cui Majestas asserenda est. Isti ut plurimum administri sunt, qui & reliqua Majestatis jura, & legationis, jussu & auspicio domini expediunt. Aliàs si propriâ facultate mitterent, necessario adscribenda istis foret Majestas. quod aliter se habet. Tutor enim, qua tutor, nullâ prærogativa summi imperii fruitur. Quę de *veniâ ætatis* & *privilegiis* dicuntur, ad Principes transferri nequeunt. A quo veniam ętatis consequeretur, qui superiorem dispensantem non habet? aut quî privilegium habebit, qui extra leges, & supra omnia privilegia positus est.

II. Accedamus propiùs ad JURA, quę Legati personam comitantur. Occurrunt potissimum duo: primum est *Admissionis*, ne rejiciantur temerè legati: alterum *securitatis*, ne violentur. Nam *obviatio*, *hospitium*, & alia, quę honoris caussâ exhibentur, ad ritū, & consuetudinem potius, quàm jura referenda sunt. Hinc si omittantur, aut minus splendidè præbeantur,

beantur, nullam culpam violatæ legationis secum trahunt. De Admissione prius. Plurima sunt legationum nomina & caussæ, indeque non similiter de omnibus arbitrandum est. Si fuerit pacifica oratoris negotiatio, ab sociis, aut iis, qui bellum nullum inferunt, missi, non poterit non admitti. Culpatur igitur jure meritoque *Hannibal* ab omnibus, non solo *Hannone*, cujus hoc judicium: *Legatos ab sociis, & pro sociis venientes, bonus Imperator vester in castra non admisit, jus gentium sustulit.* Nimirum postquam Annibal, rupto fœdere, quod hactenus inter Romanos & Pœnos ictum érat, Saguntum, sociam urbem immani vi oppugnasset: Legati Romanorum mittebantur, hortantes, *absisteret bello, & socios sineret quietos agere.* Hos castris exclusit, misitque iis obviam, qui nunciarent; nec tutò eos adituros inter tot tam effrenatarum gentium arma: nec Annibali tanto discrimine rerum operæ esse, legationes audire. Id Hanno vocat *Ius gentium tollere*; qui statim subjicit: *hi tamen unde ne hostium quidem Legati arcentur, pulsi ad vos veniunt, res ex fœdere repetunt.* Proprium hoc omnium legatorum, etiam hostium, privilegium est, ut audiantur: nisi gravissimæ caussæ contrarium suadeant. Quoties opinio subest, non bona fide geri legationis opus; & documentis certis nititur suspicio, hostili animo emissos esse speculatores, incommodaturos tuis consiliis: jure non admittentur. Nullum jus gentium persuadebit Principi, ut pestem ex occulto grassantem,

intra viſcera regni ultrò recipiat. Tres cauſſas ponunt juſtæ repulſæ, ortas ex perſona mittentis, aut miſſi; tum ex cauſſa Legationis. Quando *hoſtis armatus* mittit; cui *hæreticum* aliqui adjungunt. Si legati perſona ob impietatem, perfidiam, invidiam inviſa eſt. quoſdam ob ſtatum & ſexum, ut *Iudæum* & *fœminam* excludunt. Denique ſi in detrimentum Reipublicæ expetere poſſit, quod profertur: ſub prætextu conciliandæ amicitiæ, revera ut in ſeditiones atque defectiones concitetur multitudo. Quod ultimam illam fraudem attinet, ſi de eâ certò conſtet, arceri poterit perfidus Orator. Secundum momentum ſatis aliquando ponderis habebit, in eam ſententiam inclinandi animum, ut excludat infenſum atque inviſum. Et tum nihil legationi decedet: perſona impia, perfidaque rejicitur. Quæ Judæum, fœminam, vilem comitatum, repellant argumenta, nondum inveni. cum forſan reperiri poſſint, quæ & impio, & perfido, & vili ſuccurrant: quod mittentis & miſſi perſonam hæc vitia tangant, admittenti non noceant. Niſi manifeſtum ſit, contumelię cauſſa tale quid fieri. Sic prima cauſſa neſcio, an ſemper obtineat. Hæreticum quod concernit, hunc ineptæ quorundam argutiæ repellunt, nulla civilia argumenta: & hoſtis armati Legatum exempla quædam rejiciunt; at ſine conſtitutione univerſalis regulæ. Belligerantibus nunquam intercederet Oratorum commercium: nemo primus poneret arma, uſque dum conſtaret de certa pace. quæ quomodo inter-

cepta

cepta legatione possit coire, ego non assequor. Potest forsan eousque valere ista ratio, si suspectum sit hostis ingenium: si aliud nihil quæsiturus legatus, quàm ut extrahat tempus, rebus suis firmius prospiciendi; aut si non unâ vice, simulatione hâc callidâ, decepit admittentem. Id verò in universum non satis caussæ est, cur penitus à tali missæ legationes excludantur. Durante bello plura se ingerunt, quæ internunciis publicis peragi amant: ipsa pax nunquam conciliabitur, nisi sint, qui utriusque feroces animos mollire, & difficultates quæ obstant quietis consiliis, removere norint, Quamvis etiam sufficiens caussa subsit, quæ rejiciat suspectum oratorem; & nemo cogi possit, ut admittat hominem, de cujus non tantum dubitatur fide, sed perfidiâ jam constat: ne tamen inhumanitatis alicujus insimulari Princeps possit, admittendus iste videbitur. Interim honoris specie, arctiori custodiâ observabitur: nec liberum permittetur, egredi designatum hospitium, aut colloqui civibus, nisi præsentibus fidissimis hominibus: in quorum conspectu nihil seditiosi possit moliri. Sic semper poterit recipi legatus; nisi luculentis testimoniis constet, eum concitandæ multitudinis caussâ accedere: aut ipso ingressu, & admissionis actu, aliquid contra dignitatem Admittentis, & majestatem imperii sustinuerit designare. Quin si hæc talia prævideantur, denunciari poterit, ne mittatur, alias hostium loco futurum.

III. Si cessat justa repudii caussa, omnino

recipiendus est legatus: & semel receptus statim ex jure gentium id consequitur, ut sacrosanctus atque inviolabilis omnibus habeatur. Hinc MARCUS TULLIUS, III. Verr. *Nomen legati ejusmodi esse debet, quod non modò inter sociorum jura, sed etiam inter hostium tela incolume versetur.* Sed nihil attinet hîc conquirere testimonia Scriptorum; cùm unanimis populorum consensus in vulgus notus sit. non invenietur ulla, nisi fortasse ferina gens sit, quæ neget in totum, *legatorum capita inviolabilia esse.* Nam & Barbaris morem esse, legatos venerari, *Totilas* dixit apud *Procopium.* Non diffitebor, dari aliquando homines infrunitos & facinorosos, qui contraveniant institutis gentium, & nullâ injuriâ lacessiti violent legatos. Id verò neutiquam tollit, aut infringit commune jus: quin roborat potius, quod hi tales & pœnas dederint læsis, & infamentur æternis notis à populis sanioribus. Non memorabo bella, quæ ob violatos Oratores gesta sunt: satis arguentia, ingens scelus fuisse perpetratum. Nam ut possit pœna sumi ab integro populo, necessum est, contra jus gentium aliquid esse commissum. Multum tamen interest, quis violentas manus inferat legatis. Si ipse Princeps id fecerit, contra totam rempublicam insurget læsus, & armis vindicabit injuriam. Si privatus eam intulerit, consilio publico, idem judicium esto. Sin privato scelere quis aggressus fuerit sanctum legati caput, postulabitur reus ad deditionem, aut peti poterit, ut Domino suo justas

justas det pœnas. Alterum si locum inveniat, jam satis habet legatus. quoties nec deditur, nec castigatur à suis transgressor, pœnam in se Princeps, aut populus convertet: exemplo Titi Tatii, & Lartis Tolumnii. Quod si lateat sceleratus homo, qui sacra legationum temeravit, non poterit territorii dominus accusari.

IV. Indagemus nunc fundamentum hujus rei, & descendamus in caussas incolumitatis Legatoriæ. Jus gentium tutelam esse Oratorum, in ore omnium est: sed rationem hujus paucissimi explicant. Legationes Juris gentium esse propterea dicunt, quia apud gentes passim usus legatorum fuit receptus. Ego legatorum sanctimoniam juris gentium dici & haberi exinde arbitror, quod populi, non tam voluntario motu in eam consenserint, quàm necessariâ Rerump. ratione ad eam colendam teneantur. Neque id dederim Magno Grotio, *jus hoc, non ut jus naturale ex certis rationibus certò oriri, sed ex voluntate gentium modum accipere.* Nam unde nobis constat de inito illo consensu, quo primitus inter omnes populos hoc institutum invaluit? quis produxit tabulas, quibus formulæ horum pactorum continentur? Quin non potuisse nudo consensu obligari populos in perpetuum, ex eo constat: quod subinde novi Principes Rebuspubl. præficiantur. hi ut non tenentur prædecessoris leges observare: sic multò minus extraneorum vinculis subjacent, nisi conventionibus ipsi denuò subscripserint. Præterea si hoc jus

est

est obligatorium, & coactivè quidem, ut omnes populos obstringat ad observationem aut pœnam: necessum est, id à nudo & solo consensu non pendere. Eam ob caussam, quod populi non cogantur semper & perpetuò eundem consensum, quem liberum habuerunt, quem nullum obligatorium vinculum ob necessariam rationem determinat, servare ac retinere. Consentiunt in illa, quæ commoda in aliis rebuspublicis deprehendunt: sed ad perpetuam obligationem haud stringuntur. Consenserant plures populi, ut victus victori subjiceretur. Sed ille consensus non habebat jus obligatorium: quia ex mera imitatione, non urgente alia caussa morali, fuerat introductus. Quare nec puniri potuerunt tandem à finitimis Principibus, Christiani Imperatores, tollentes illam injuriosam victoriam, & subsequentem servitutem: quasi sustulerint confuderintque humanæ societatis jura, & vincula populorum temeraverint. Quod si non ex certâ ratione, sed solo consensu, procederet hoc negotium, posset mutuo dissensu rursus dissolvi. Nam quæ unicam voluntatem pro ratione habent, possunt citra controversiam in Rebuspublicis mutari. Id tamen de legationibus ubi admiserimus, confusionem in ordinatas Respubl. magno molimine introducemus. Ausim ego securitatis caussam omnem a Majestate mittentis arcessere. Nimirum Princeps, qui alterius territorium volente Domino ingreditur, quamdiu se hostem peregrinæ Reip. non profitetur, eô honore, ea-
que

que reverentiâ colendus est, ac si apud suos ageret. Si temerè, neminem lacessens, violaretur: contra jus ac fas sceleratissimos parricidas facere, quilibet censeret. Neminem lædere, ne quidem infimę sortis hominem, quamdiu innocens agit, ex præscripto juris naturalis jubemur. Sed hîc concurrit simul publica gentium ratio, quòd Princeps, instructus imperio ac Majestate, quocunque loco fuerit, divinitatis quendam impressum characterem circumferat, & universæ Reipublicæ instar sit. Quare sive à Principe peregrino, sive hujus subditis lædatur, semper Dei Vicarius, & integra communitas offenditur. Sustinet nunc illas Principis vices Legatus, & huic quicquid accidit, sibi vel honori, vel contumeliæ ducit Mittens. Nunquam verò sine præsentissimo metu secuturæ vindictæ contemni, aut violari Princeps poterit, aut in hoc Respubl: nisi dissolvatur simul vinculum & omne jus, quo hactenus gentes invicem conglutinantur. Majestas igitur, quæ Principis, Legati quoque caput tuetur: nec caput tantum, sed comites & omnia vasa. Quod hæc accessoria æstimentur ex conditione principalis; & singula publico nomine missa intelligantur. In antiquâ formulâ Fetialium, postquam publicus interpres jussus erat fœdus ferire, & jam puram sustulerat, sic concepta erant verba: *Rex, facisne tu me Regium nuncium populi Romani Quiritium? vasa comitesque meos?* Rex respondit: *Quod sine fraude meâ, populique Romani Quiritium fiat, facio.* Ubi simul licet obser-

obſervare cauſſam ſecuritatis, & ſignum petitum à Rege fuiſſe. Cauſſam enim publicæ ſanctimoniæ, communicandæ Legato, ab auctoritate regiâ impetranda erat. Ita bona, & quicquid ſecum publicus nuncius affert, invadi ſine crimine, aut retineri ab aliquo haud poſſet. Et ſi vel maximè antea contraxerit æs alienum, privatus exiſtens, aut fidejuſſerit pro aliis: non tamen vel minimum ex fortunis legati in ſolutionem debiti poterit capi, diſtrahive, aut in pignus retineri. Idque accidit imprimis, quod publico nomine adeſt, quicquid cum legato eſt. Sed publica non poſſunt capi in ſolutionem privatorum debitorum. Eodem jure cenſendi comites, quo vaſa. Nam & hi ſecuritatem, à primario Legato communicatam accipiunt: quare injuria illata comitibus, ipſi legationis Principi illata cenſetur, & graviter puniri conſuevit.

V. Obtinent hæc omnia, quamdiu intra terminos honeſtatis ſubſtiterint comites, nec aliquâ affecerint provinciales injuriâ, quâ hoſpitii Jus violari ſolet. Nam quoties damnum aliquod intulerint hoſpitibus, aut admiſerint ſcelus, excidunt privilegiis, & poſtulari poterunt, ut dedantur, vel coërceantur à Legato. Non enim dederim; Legato nullam jurisdicendi poteſtatem, aut imperium in ſuos competere; quod ex plurimis hiſtoriis conſtet, animadverſum eſſe in comites, quando aliquid mali perpetrarunt. Et illud Politicorum axioma; *mutato territorio mutari poteſtatem*; ad privatos peregrinatores pertinere dixerim. Legatus

gatus Principem refert, qui nunquam sine imperio est: & minus consuleretur mittentis auctoritati, si Legatus tanti imperii non esset capax, quantum sufficit ad comites regendos; sed oporteret suos aliis tradere castigandos. Si vero non puniat Legatus prævaricationem suorum; nolim eos abstrahi: sed dissimulari potius crimen, & committi vindictam Oratori. Nisi scelus palam atrox & immane sit, quod labefactet dignitatem, aut statum Reipublicæ. Tunc enim flagitari poterit deditio noxę; & nisi dedatur, nec luat debitas pœnas, vel ipse suspectus videbitur legatus, qui contra Remp. fecisse existimabitur. Quod ubi compertum fuerit, nec legatum supplicio eximendum arbitramur.

VI. Anceps quęstio est, & in utramque partem disputata; *num Legati etiam tum gaudeant jure Gentium*, hoc est, incolumitate & securitate, ut inviolabiles sint, *quando aliquod crimen designarunt*. Sunt qui subjiciant ordinarię pœnæ caput Legati, quoties aliquid admisit, institutis populi apud quem degit, contrarium. quod Jus Gentium à corpore legatorum tantùm vim injustam declinet. Alii contra impunitatem promittunt transgressori, & dimittendum putant ad suum Principem, cum postulatis, ut eum dedat, vel puniat; neutiquam vero læsos supplicium ab illo sumere volunt. Allegant consensum populorum, omniaque jura, quæ in genere securitati Oratorum favent. Subtiliter & conciunè hanc controversiam ventilat GROTIUS, II. c. XVIII. n. IV. cujus

jus argumenta his verbis includuntur. *Recurrendum* inquit, *tum ad Sapientum Iudicia, tum ad conjecturas.* Judicia *duo habeo maximè illustria; Livii alterum, alterum Sallustii. Livii hoc est de Legatis Tarquinii, qui proditionem concitaverant Romæ:* Quanquam visi sunt commisisse, ut hostium loco essent, jus tamen Gentium valuit. *Videmus hic etiam ad eos, qui hostilia patrant, jus Gentium extendi. Sallustii dictum ad comites Legationis, non ad legatos ipsos pertinet: sed recte à majori, id est, minus credibili, ad minus, id est, magis credibile procedet argumentatio. Is ita ait:* Fit reus magis ex æquo bonoque, quam ex jure Gentium, Bomilcar, comes ejus, qui Romam fide publicâ venerat. *Bonum & æquum, id est merum naturæ jus, patitur pœnas exigi ubi reperitur qui deliquit: at jus Gentium legatos, & qui his similes fide publicâ veniunt, excipit. Quare ut rei fiant legati, contra jus est Gentium, quo vetari multa solent, quæ jus naturæ permittit.* Conjectura *quoque hinc stat. Verius enim est, privilegia ita intelligenda, ut aliquid tribuant ultra jus commune. Quod si legati ab injustâ tantum vi tuti essent, nihil in eo magni esset, nihil præcipui. Adde quod securitas legatorum utilitati, quæ ex pœna est, præponderat. Nam pœna haberi potest per eum, qui legatum misit, volentem: & si nolit, ab ipso exigi bello, tanquam criminis approbatore.* Hoc ultimum alii amplificant duobus, à commodo incommodoque petitis argumentis. *Satius esse dicunt, nocentem dimittere, quam fidem, publicè à Gentibus datam,*

de

de securitate Legatorum, violare. cum praterea verendum sit, ne legati nostri talionis jure malè tractentur apud eum, cujus legatus ante erat punitus. Obtendunt insuper *obsequii necessitatem.* Legatum non ex suo arbitratu agere; sed ex præscripto mandati, quod à Principe accepit. non esse subditi, Principis voluntatem anxiè & scrupulosè rimari, cui exsequendi celeritas sola incumbit. *Hoc unum contendo,* inquit hujus sententiæ propugnator, *impune legatis licere, sive per fas, sive per nefas, quicquid sibi à Principe mandatum est, exsequi & perficere.* Rationem vero, quę maxime stringere videtur, ex ipso fundamento, quo supra incolumitatem Legatorum adstruebamus, petere possunt. Subit Principis vices legatus, & quæ istum sacrosanctum ac inviolabilem præstant, ministro conciliabunt securitatem. Majestate gaudet mittens, & inferior haud est illo, qui legatum supplicio afficere studet; sed eidem æqualis. Æqualis vero ab æquali judicari & condemnari haud potest; sed subditus & inferior coërcetur à superiori, qui judicis personam sustinere potest. Cum igitur legatus Principem iterum referat; æqualis censendus erit Principi, ad quem missus est. Et sic neutiquam cogi poterit, ut judicii discrimen subeat: sed mittendus erit ad suum judicem & Dominum.

VII. Speciosissima hęc sunt, & quibus nunquam satisfecerint hunc in modum colligentes; *Secundum communia populorum jura Legatum judicandum esse: qua Gentium jura in homines seditiosos, conjurantes, & similes anim-*

nimadvertunt: quare legatum non excludi, talia perpetrantem. Nam, quum hoc ipſum in quæſtione ſit, *num legatus, contra jus Gentium admittens ſcelus, poſſit trahi ad ſupplicium:* nihil contra diſſentientes hoc diſcurſu conficiunt. Id libenter admittunt, & facile ambabus largiuntur negantes, violatorem Juris Gentium puniendum eſſe; affirmant etiam, Legatum, contra Jus Gentium peccantem, gravem pœnam debere; ſed hoc negant, pœnam ſumi poſſe à Republicâ, contra quam deliquit. Adeoque cum quæſtione eadem eſt probatio. Alia igitur ratione oſtendendum erit, Jure Gentium licere pœnas ſumere ab ipſo quoque legato, ſi ſacra Gentium attaminare fuerit auſus. Diluenda ſunt breviter argumenta contraria. Quicquid de conſenſu Gentium hoc loco adfertur; id omne intelligendum eſt de legato, qui intra limites honeſti & juſti conſiſtit. Tunc apud quoſlibet, etiam hoſtes, tutus ac ſacroſanctus cenſebitur. Gentium enim jus virtuti favet, vitium exterminat. Duobus judiciis ſapientiſſimorum licet hominum, præcipuè ſi in eâdem civitate vixerint, populorum conſenſum non poſſe probari, manifeſtum eſt. Hinc enim jus & conſuetudo alicujus civitatis, non omnium Rerumpub. colligitur. Fuit iſtud ingenium populi Romani, eaque calliditas, ut æquitati & clementiæ plurima dare videri vellet: eoque nomine omnes ferè gentes in ſui admirationem traxit. Quare non mirum ſi ſæpius ex generoſâ quadam animi magnitudine permiſerunt aliquid, quod Jure poterant

erant non concessisse. Tarquinii legati ut admitterentur, Ratio status videbatur suadere. Propter ejectum non ita pridem regem, infames atque invisi proximis erant Principibus Romani: & attracturi videbantur omniũ odia, si insuper legatis vim attulissent. rei scilicet omnium populorum judicio. Nam Regem expellere, qui revera habet imperium in populum, omnium suffragio nefas est: nunc si pręterea legatos violarent; præcipuè, cum vicini haud crederent, eos in culpâ fuisse: id vero erat, non tam in Tarquinium, quam omnes populos esse injurium. Ne cumularent igitur invidiam, liberos atque securos abire jusserunt ultima meritos. Sic consulebant famæ, ut existimarent vicini, nimiâ sævitiâ excidisse regno tyrannum, non subditorum perfidiâ; qui ne in noxios quidem animadverterent. Et quid si hunc sensum adjuvarent Livii verba: *Quanquam visi sunt commisisse, ut hostium loco essent, jus tamen Gentium valuit*. Hoc est; Tale quid commiserant legati nefarii, concitatores populi, & turbatores publicæ quietis, ut ex facili deprehenderet quilibet, eos hostium loco censendos, ultimoque supplicio afficiendos esse. Valuit interim ex singulari quadam recens constitutæ Reipubl. ratione, & solertia Populi Romani, jus illud Gentium commune, quod legatis probis atque innoxiis sanctitatem quandã circumdat, quâ inviolabiles sunt & habentur. Atque ita non dabant locum exceptioni reservatę; sed communem admittebant regulam. Aliquis Tarquinio infensior illa adderet. Singularem

gularem æquitatem in ipsâ admissione conspici. Non fuisse obligatos Romanos, Tarquinii legatos admittere: quia ille exul, exutus majestate, & omni imperio, jus legatos mittendi amplius haud retinuerit. Non fuisse legatos; sed speculatores, sed proditores: & potuisse cędi citra periculum Juris Gentium lædendi. *Sallustii* judicium magis videtur nostræ sententiæ favere. Bomilcar ille, proximus, & ob similitudinem morum maximè fidus Jugurthæ, quod Massivam, ex stirpe regiâ Masinissæ oriundum, hominem probum plane & innocentem, nęfario scelere obtruncari curaverat; reus fit *magis ex æquo bonoque*, quam ex *jure Gentium*. Quid jus sit, quid æquitas, satis notum est. Quæ jus strictum universaliter consciscit, non possunt semper omnibus singularibus applicari: ob diversitatem circumstantiarum, quæ actiones, & regulam actionum variant. Succurrit statim æquitas, & particulare jus adaptat. Jam universali Gentium Jure cautum est, ut sancti & inviolabiles sint legati: sed quia hac universalitate nihil comprehensum de iis, qui contra fas aliquid perpetrant; necessario supplet illud Æquitas, & legatos quidem recte agentes etiam hostibus venerandos esse docet: at immemores honestatis atque justitiæ, gravibus pœnis reservat. Hoc *æquum ac bonum* vocat Sallustius: quod nullo modo injustum, nec Jure Gentium, nec naturali contrarium est. Hæc sunt duo ista judicia; quæ ex antiquis rerum gestarum monumentis prolata sunt: quæ tamen commodam

nostræ

nostræ sententiæ interpretationem recipiunt, & omnium populorum jus haud probant. Aliis haud æquè observatum esse hunc morem, vel ex Lampsacenorum concilio apparet; qui homines *& naturâ & consuetudine & disciplina lenissimi* dicuntur Marco Tullio: (III. Verr.) & tamen, ubi *Verres*, cum comitibus, nefarium conatus esset scelus, in eam sententiam universi censebant; *tolleretur flagitiosus homo.* Et illa Romanorum consuetudo perpetua haud fuit: quod suppeditatum à Sallustio exemplum docet. Reus jam agebatur Bomilcar, & proculdubio supplicium ab eo sumptum fuisset, nisi eum furtim in Numidiam dimisisset Iugurtha. qui propterea paucis diebus à Senatu jussus est ipse Italiâ decedere. Agebatur id judicium ab universo Senatu, Populi Romani nomine: quorum omnium tum prolatam sententiam, potiorem fuisse Sallustii opinione, si ea nobis contrariaretur, ego arbitrarer. Et exstare satis multa in partem utramque exempla, fatetur ipse GROTIUS: qui in Annotatis *Theodabati Gothi*, ad legatos *Iustiniani* responsum adducit tale: *Sanctum apud homines legatorum nomen, plenumque honoris. Sed hoc jus legati interdum servant, quamdiu sua modestia legationis dignitatem tuentur. ita enim existimant homines*, fas esse vel interficere legatum, si is in principem, ad quem mittitur, sit injuriosus, aut alienum matrimonium violet. Subnectere possem huic judicio, Europæ ferè omnis consuetudinem, recentioribus potissimum Scriptoribus annotatam: quæ exempla,

nostræ

nostræ sententiæ subscribentia, ab insipientibus, aut barbaris, & humanorum jurium contemptricibus gentibus, non producerentur.

VIII. Nunc ad Conjecturas. Certum est, privilegia legatorum tribuere aliquid ultra jus commune: & legati non tantum ab injusta, sed etiam justa vi tuti sunt. quod accidit in legatis hostium. Hostem occidere, ubicunque occurrerit, gentium jure communi licet. Ultra hoc jus commune aliquid tribuitur legatis: ut salvi & incolumes agant apud hostes, & tuti sint à vi, quę in hostem semper justa est. Hæc verò privilegia non sunt extendenda ad eum casum, quem jus gentium noluit immunitate gaudere. Non permittit parricidia, seditiones, conjurationes, jus gentium; ergo nec hôc poterit tegi talium machinator. Nec est, quod admittam, securitatem legatorum utilitati, quæ ex pœna est, præponderare. Utilitas ex pœna vix una redundabit: nisi *securitatem admittentis*, utilitatis notione hîc capias. Quod tum neutiquam dederim. Securitatem nimirum hominis callidi, & ad fraudem acuti, sine ullâ religione ac fide; (nam de tali quæstio est) præponderare securitati universi populi: cujus salus plerumque in capitis regii incolumitate sita est. Et legatorum securitati, & Admittentium saluti prospiciendum est. Faciles essent Principes in suam perniciem, & ad cædes facinorosos homines invitarent, si ejusmodi legatorum exsecranda scelera dimitterent impunita. Pœna quidem haberi poterit per eum qui legatum misit:

misit: sed quid, si volente Domino conjuratio facta sit? Bello exigere vindictam, & tot civium capita fortunasque perjuris proditoribus objicere mactanda atque diripiendas, ubi citra ullam suorum cædem possit illa sumi; ejus fuerit, qui non satis parcus sit, sed prodigus atque profusus sanguinis civilis. Quod si vel maximè bello impetatur postmodum, pœnam sumens; conscientiæ satis est, sui defensione niti. Nec tunc fides publica læditur ab ulciscente legati delictum. nunquam eo nomine alteri promittitur salus, ut promissoris periclitetur. Multò minus ex talionis lege poterit occidi innocens. Non est lex talionis, quando imparia pensantur; sed quoties eadem quis patitur, quæ alteri fecit. Illius legatus ob sua scelera punitus est: hujus innocens, non poterit tanquam nocens puniri. Quod si ejusdem farinæ sit, patiatur eadem, quæ jus aliis injunxit patienda. Quod mandatum Principis, & obsequium legati attinet, id manifestam absurditatem habet. Novimus, ad quæ jus imperandi, ad quæ parendi quoque necessitas extendatur. Non nisi honesta imperare potest Dominus: nullis mandatis, quæ pietati adversantur, obligatur subditus. Hæc omnia certis rationibus, certo jure constant. Miserè disputant de jure, qui licere legato fas ac nefas exsequi, jus gentium vocant. Emissarium & sicarium vocaverim mancipium illud nequitiæ, non legatum. Est hominum genus, quod regium veritatis tramitem transilit, & ex turpi assentandi libidine, discrimen honesti ac perperam

R facti

facti aut ignorat turpiter, aut impugnat malitiosè: propudium sapientiæ civilis, & regiæ doctrinæ dehonestamentum. Tales controversiæ hujus decidendæ incompetentes judices sunt. Licet mandetur aliquod nefas, cavebit tamen legatus, ne id perpetrandum in se recipiat, nisi jure plecti velit. Norit, omnia rectæ rationi debere esse consona, quæ gentium jus defendit: nihil absurdi, nihil impii ab eo profluere; & malitiam ab eo nullam consequi tutelam. Proferre quidem debet, quicquid Princeps jusserit: at post fidem publicè datam acceptamque, nihil contra hospites moliri.

IX. Superat arx totius disputationis, cujus destructione nostri asserti robur & fundamentum nititur. *Legatus Principis personam sustinet, at Princeps ab alio Principe non judicatur: quia par in parem non habet imperium.* Negari non potest, Principem præter Deum, superiorē non agnoscere, & ideo nec alium judicem. quia judicium præsupponit potestatem in caput: quam Princeps in subditos, nemo natus homo in Principem habet. Gaudeat igitur hucusque eâ securitate legatus, quamdiu legatus manet. Sed illud mihi detur oportet, posse Principem hostilia moliri, arma expedire, posse præliantem vinci, & victum captumque, si ita res ferat, trucidari. Sane hoc modo innumeros reges in acie cæsos, vel captos, post conflictum interemptos novimus. Non sortitur judicium Princeps, quamdiu Majestatem retinet, ubi in victoris manum ac potestatem fuerit redactus, exspirat pristinum imperii axi-

oma

oma, ſubjicitur alterius arbitrio, & judicium ſubit, qui antea nullum patiebatur judicem. In hoſte nemo quæſiverit, Princeps ſit, necne. Hoſtilia molientem hoſtilia manent. Quando Princeps pacatus alterius territorium tranſit, volente Domino, colitur ac honoratur: ſed ceſſat ille cultus, & in oppugnationem vertit, quamprimum iſte hoſtili animo hoſpitium infeſtarit. Tunc omnia licent in Principem, quæ in hoſtem licere Jure Gentium poſſunt. Cenſeatur eodem jure Legatus. dum pacem colit, ipſe colitur. Nam hoc cauſſis Sanctimoniæ adſcribendum merito venit. Quod non omiſit obſervare Clodovæus: *Inter arma namque ſola legatio pacis ſequeſtra eſt. Exuit hoſtem, qui legatione fungitur.* Eadem attendit Herodes: *Quid fieri magis impium poteſt, quam legatos occidere, pro æquitate, ſeu pace, loquentes.* Pacifico igitur nihil mali metuendum. Quando vero in caput imperantis, apud quem ſedet, conſpirat: quando ſubditos concitat in turbas atque ſeditiones: hoſtili jure puniendus eſt, quia hoſtilia molitur. Non poterit majori privilegio frui miſſus, quam ipſe Princeps mittens. In quibus Princeps ſecuritate gaudet, & venerationem exterorum recipit, in iiſdem actionibus eadem legatus expectabit. Ubi vero nec Principi parcitur, incolumitatem nullam ſibi pollicebitur miniſter. Fictio illa, quæ legatum quaſi extra territorium conſtituit, plus quam fictio eſt. ita & Princeps alterius territorii invaſor, in eodem captus, impunitatem onſequeretur. Et ſi vim armatam intentans

legatus occidi potest, quod concedit GROTIUS; *sive per modum pœnæ, sive per modum naturalis defensionis id fiat*, Jure Gentium id fieri necessum est. Cujus sequela est; posse legatum, nefaria molientem, occidi Jure Gentium; quod in quæstione erat. secus enim ne defensionis quidem caussâ occidendus esset, si Jus Gentium nullo modo eum violandum censeret. Istud vero notandum est; ut puniri queat Legatus, *crimen adeo debere esse manifestum, ut reus vel confiteatur ipse, vel luculentis convincatur testimoniis.* Non hic suspicionibus agendum: quæ temerariæ ut in virum bonum non cadunt, ita non sufficiunt, ut viri magni, quales legati sunt, ex iis sortiantur judicium. Deinde non ob quodlibet peccatum manifestum puniri volumus legatum: sed quod *ingens atque immane* fuerit. Hinc nonnulli dicunt, vim inferri legato posse, quoties contra jus gentium fecisse compertus est. Quod nimis latè patere GROTIUS putat: *cum in jure gentium jus naturæ includatur; & sic ex omnibus delictis puniri posset legatus, nisi quæ ex mero jure civili oriuntur.* Verùm non opus est, ut tam latè extendamus Gentium jus. quod in suâ naturâ consideratum contradistingui juri naturali, satis demonstratur in Morali doctrina. Hîc potius arctabimus ad illos casus, quibus Resp. sibi invicem bona fide obligantur. Quales, ne hostili animo legatus hospitium lædat, ne concitet populum, ne struat insidias hospiti; aut in caput regis conspiret: & si qui similes, qui personam Principis, statum Reip. & datam publicè

blicè fidem concernunt. Ob alia crimina, quæ magis in privatorum tendunt injurias, quam ut lædant dignitatem imperantis, quemadmodum Principes invicem nec ſumunt, nec dant capitales pœnas: ita nec legati ſubjacebunt ſuppliciis. Cum ſatius ſit, hæc talia diſſimulare; aut ſignificare domino legati, & ipſi relinquere punienda. Hinc facilè arbitrari licet, quid cenſendum de barbarie *Baſilii, Moſchi*, qui cujuſdā legati capiti pileum clavo affigi juſſit; cauſſatus, *ruſticè iſtum texiſſe caput*. Sic Alexandri Magni factum, cædentis Perſarum legatos, ob libidinem atque laſciviam, alii viderint quomodo excuſent.

X. Porrigam dicta omnia ad conatum magnorum ſcelerum, & conſilia ſeditionum deprehenſa. Utut alii ſint, qui contra fas gentium agere illos putant, qui legatos ob conjurationes, adverſus imperium & principem deprehenſas, pœna capitali perſequuntur. *Legem civilem punire ſubditum propter conatum in crimine Majeſtatis læſæ: Legatum vero peregrinum, ſubditum non eſſe, nec in Majeſtatem peccare; & ſolo jure Gentium judicari, quod affectum & conatum non punit.* Principio liberaliter concedam, legatum contra Principem peregrinum peccantem, crimen læſæ Majeſtatis non committere. Id enim apud Politicos in confeſſo eſt, non peccari in Majeſtatem, niſi à ſubdito: quod legati perſonam, tanquam extraneam, non tangit. Dabo præterea, legibus, quibus ſubditi tenentur, Oratorem minimè eſſe judicandum. Inſtituta,

quæ propria civitatis sunt, sanctissimè observare debent cives, nisi a superiori pœnam expectare velint. Exteros ea cura non solicitat: & legati igitur caussam, non civilis lex, sed Gentium fas cognoscit atque disceptat. Quin illud etiam ex abundanti remittam, non omnes pravorum consiliorum molitiones capitali pœna esse persequendas. Conspirationem verò, adversus imperium & Principem deprehensam, non impunitam dimittendam, sed ultore gladio castigandam arbitror. Quod dicitur; *jus Gentium affectum sceleris pro consummato scelere non habere:* id ad liquidum nondum satis deductum est. Imo plurium Gentium observantia, conatum conjurationis punit. Quod si quis excipiat, *conatum quidem fuisse punitum; sed quando subditus deliquerat; in legatum hoc jus non extendi.* Huic exempla non conquiram, id asserentia; saltem hoc repono: Legatum, conspirantem in caput Principis, plecti, non tanquam reum Majestatis; sed tanquam hostem, & quidem perjurum hostem. Ut hostis occidi possit, Jus Gentium non requirit alterius cædem præcessisse: sufficit hostili animo eam agitari. Alias nunquam aggressor, nequidem in bello defensionis caussa, posset transfodi. Legatum autem, moventem seditionem, hostilia nefario ausu meditari, probatione haud indiget. Interimitur ergo jure, quod in hostem competit, in quem æterna porrigitur auctoritas.

XI. Supra incidebat talionis mentio, quam paucis evolvamus. Nimirum Principis alicujus

jus Legati, nihil mali ausi, temerè, sine caussâ, contra jus ac fas violantur; accidit postea ut lędens mittat aliquos, ad eum ipsum Principem, cujus nuncii antea contumeliosè erant excepti: num hoc rerum statu læsus poterit retribuere nefas, ac jure talionis uti; & occidere, si fuerint sui occisi, aut durius, inclementiusque habere, si tale quid fuerint experti? Videbatur id asserendum, non tantum, quod plurima historiarum monumenta suffragentur: sed etiam, quod Principem lædentem videantur referre legati. tum quod non insolitum sit, ut subditi pendant pœnas ejus crudelitatis atque injustitię, quâ Principes deliquerunt. Quod in bellis usu venire cernimus. Reges delirant, Achivi plectuntur. Belligerante domino, subditorum corpora ferro, bona rapinæ obnoxia fiunt. Sunt qui hoc retributionis jus admittunt ideò; *quod paria delicta mutuâ compensatione tollantur, & dolus dolo eludatur. Non potest aliquis fructum privilegii consequi, quod impugnavit: ac frustra sibi fidem postulat, qui fidem non præstitit. Non enim violari jus, sed reddi creditum est, si jura violanti non præstetur.* Largimur facilè, talionem æquissimam esse, si par pari referatur: interim de hoc negotio nihil temerè asserendum. Refert Principis personam legatus, sed publicam: non privatam, non vitiis contaminatam. Et ex alterius voluntate nocens ac reus fieri minimè potest. Sustinent belli incommoda subditi, quia subditorum & Principis una voluntas præsumitur. ob

hanc inferunt, & accipiunt cladem, quam belli jus permittit. Sed legationis jus belli jure non infestatur ex præsumtione. Delictum delicto, & dolum dolo expiabit, qui per scelera tutum iter promittit sceleribus. Hoc axioma hactenus ignoravit gentium jus: à quo nihil admittitur, quod justitiam non referat & honestatem: cui exosum est, quicquid impio dolo inficitur. Quicquid delictum est, alienum sit oportet à pietate, à justitia, à vero Politico, qui semper vir bonus est. Quæ de impugnatione & fructu privilegii dicuntur, hic nullo modo possunt applicari. Si legato, hospitii jura violanti conspiratione, aut alio crimine, jus securitatis non præstetur, minimè violabitur jus gentium: sed potius credendum est, eum pœnam merito luere, quam jus dictavit, & accipere adeò suum jus violatorem. In nostrâ quæstione constare debet, num legatus ipse, cui Talio destinatur, consenserit in perniciem, aut injuriam læso illatam. Solent plerumque primarii viri, qui intimis consiliis prẹsunt, legationibus destinari. Quod si contingat talem mitti, qui antea suasor & auctor, vel approbator tantum suo Principi exstitit, ut extraneus legatus pessimè exciperetur, vel occideretur etiam: hunc vel interfici posse nullus dubitaverim. Tunc enim caussa perpetratæ cẹdis exstitit; & merito supplicio afficitur. Secus si ignoret, aut non approbet scelus: nulla justitia patitur plecti insontem, & pœnam egredi caput noxæ. Hanc ob caussam parcere debebat *Scipio* legatis Carthagi-

thaginiensium, qui auctores non fuerant plebi, ut Romani violarentur. Concursus multitudinis erat adversus Scipionis legatos insurgentis, & magistratuum auxilio prohibita vis est. Nullum igitur tunc consilium publicum. Et Asdrubalem, quinqueremem Romanam, quę legatos vehebat, publicâ fraude aggressum, non satis constabat. Romę agebant tunc temporis Carthaginienses legati, ignari omnium scelerum, quæ populares eorum interim admiserant. Non igitur video, quid dignum fuisset pati homines, nihil mali meritos. nec ad generosam magnanimitatem Scipionis, sed ipsam justitiam dimissionem illam exigendam arbitror. Quoad carcerem aliquid concedi posset: cùm custodiæ potius serviat, quam pœnæ; & securitati nostrorum consulat, ut citius liberentur. Quod amplius permittendum videtur, si forsan levius aliquod contumelię genus fuerit, corpus legati non affligens. Ista enim ignominia non legato, sed Principi, qui similia primus commisit, aspersa censebitur; & privatam legati famam neutiquã onerabit. Qua ratione quodammodo excusari posset talionis jus: nisi fides, quæ publicè appropinquantibus solet dari, hæc impediat. Fides, etiam violatoribus fidei data, sanctissimè servanda est. Quoties denunciatur, ne veniat ejusmodi legatus, aliàs hostium loco futurum: si posthabito interdicto, transcendat fines, non tam jure talionis, quàm communi hostium censebitur. Hæc quamvis domesticam sedem in Jure Gentium habeant, obiter hic tamen erant aperienda.

C A-

CAPUT IX.

DE
MODIS ACQUIRENDI MAJESTATEM.



Implex imperiorum fons & una scaturigo est; sed formæ deductionum variant: dum plura quasi divortia, per distinctos canales ac tubos, Majestatem deferunt

ferunt atque derivant. Videas sæpenumero violento molimine, & bellico instrumento, quin parricidali manu, invadi sceptra; eademque non rarò, imperscrutabili quadam fatorum Lege sic disponente, grassatorum, latronum, publicæque libertatis oppressorum, libidini permitti. Alii populi, quibus pacatiores tempestates propitium Numen adspirat, quasi arbitri summæ potestatis conferendæ, in consortium liberioris judicii vocantur: sumpturi in Regem, quemcunque vel unanimi suffragio, vel ex præscripto patrię consuetudinis destinaverint. Non desunt vetustarum memoriarum documenta, quibus evincere licet, Deum præsentiori manu direxisse negotium, & ad instar ipsissimi Electoris, non aliorum ope aut interventu hominum usum, deduxisse in electum regale axioma. Nominando interdum sine ambagibus, & præficiendo insimul suo populo, quem elegerat: non infrequenter sortis indicio, cum aliquâ circuitione, conferendo Diadema. Usu venire solet pariter, ut in subjecto Majestatis designando, quasi sedeat, & cessans quiescat Deus; nec populo tamen statuendi Principis judicium largiatur: sed imperantibus eam facultatem tribuat, quâ & regnent ipsi, & filios posterosque ex se procreatos, successores regii solii relinquant. Hi sunt modorum potissimi, Occupatio, Electio, Successio. quibus Majestas, cujus una caussa Deus est, & transfundi & acquiri consuevit. Quorum indolem atque naturam sequenti commentatione indagabimus.

 II. Oc-

II. Occupatio est modus acquirendi imperii, qui victoriæ beneficio multitudinem profligatam, captam, aut quavis ratione superatam, victoris potestati subjicit. Communissimus transferendi imperia modus, quô pleraque in manum principum venerunt. Nam si in ipsa principia regnorum, quæ prima species fuit Rerumpubl. & antiquissima, descendamus, simile vero est, tali occupatione cœpisse pleraq;. Nimrodo principem locum constanter asserunt: quem propterea *fortem coram domino venatorem* appellari censent, quod vi homines sub imperium coëgerit. Sic reliqui Assyriorum Monarchæ plurima regna sibi vindicarunt: non aliter Persæ ac Medi incrementa sua quæsiverunt. Sic Alexander Magnus imperium mundi affectavit, & ex parte tenuit. Romani quoque innumeras provincias hoc bellico instrumento sibi subjecerunt. & Carolus ille Magnus Germanorum potentiam iisdem armis, in id fastigium evexit, ut esset omnibus gentibus formidandum. In his autem occupationibus exempla omnia eodem modô se non habent; dum aliqua legitimam ac justam caussam bellorum allegare possunt; aliqua manifestam injuriam, vel primâ facie, ostendant. Diversitas hęc distincta judicia postulat. Laudamus & approbamus legitimum modum, & occupationem justo bello suffultam, concedimus palam. Quoties Respublica sedens, nemini molesta aut gravis, ab impio hoste lacessita, invasa ac læsa, arma capit, resistit, hostem profligat, subigit: justissimum imperium

imperium exercebit in debellatum. Similiter quoties injuriis aliis, contumeliis, latrociniis infestata & irritata, pœnas sumit à lædentibus, eosdemque vincit: continuò in victos legitimam potestatem habet, nec expectat subjugatorum consensum. Nam si hic necessarius foret, nunquam legitimus victor consequeretur occupatione imperium: quod occupatio nullius efficaciæ foret, si victus non consentiret. Et rarò invenietur, qui vinci malit potius, quam vincere: qui cum possit dissensu alterius dominatũ infringere, intempestivo & sibi noxio consensu, victori jus in se permittat. Nescio quid in mentem venerit GUILIELMO BARCLAJO, ut statuerit; *eum quem Deus expressim destinat imperio, non ante Regem esse, quam populi consensus accesserit, qui eum super se regem constituat: & coronæ sceptrique regalis traditione velut in regni possessionem introducat.* Paulo post dicit: *Ex eodem rationis fonte manat, ut quisquis Dei permissu viam sibi ad imperium vi & armis munivit, quantumvis moderatè leniterque subactis à se populis dominetur, tyrannus & sit & habeatur, tantisper dum mitigatis & flexis in favorem animis, Rex communi ordinum conspiratione atque consensu declaretur.* Quoties in sacris legimus, aliquem à Deo extra ordinem electum fuisse, nunquam sancitur, hanc electionem frustraneam fore, si populus eandem non comprobaverit. Quid si populus nolit expressim à Deo destinatum regem; num invalida erit Divina voluntas? Injurii sumus deinde erga legitimos victores, si con-

concessâ victoriâ, & ejus fructibus uti prohibemus. Semper defectionibus patebit occasio, si prætextum hunc semel admiserimus, *nondum consensisse in victoris imperiũ victos*. Nunquam tûtus erit victor, si tale quid suspicandum habeat à subjugatis: aut si jam timeat, suspectorum cædibus incolumitati suæ prospiciet. Excusarem quadantenus sententiam, si injustum occupatorem urgeret: nunc quia bonum quoque ac lenem dominum premit, prorsus reprobanda est.

III. Contra vero damnamus omnibus modis pessimos illos, & in perniciem humani generis natos consultores, qui Principibus auctores sunt bellorum, quorum injustitiam & ipsi norunt, & quilibet agnoscit. Publicè proscribenda est *Nicolai Machiavelli*, & sequacium doctrina, qui belli justitiam ex utilitate, quæ in victorem inde redundat, metiuntur. *Res sanè*, inquit, cap. III. de Principe, *è naturâ est maximè, maximeque pervulgata, velle acquirere: idque homines cum faciunt, modò possint, datur eis laudi, vel saltem vitio non vertitur. At quum non possunt, & in id tamen incumbunt, error est, & meretur vituperium.* Contra tranquillitatem populorum, adeoque contra Jus Gentium fecisse dicendi sunt, quotquot talia scribunt, ac moliuntur: digni, in quos agmine facto universus orbis terrarum moveat & animadvertat. Verùm hoc argumentum de justitiâ, vel injustitia belli, hujus loci propriè haud est; sed sedem habet in explicatione Juris Gentium. Id saltem hîc adver-

vertendum est; quamvis injusti bellatoris invasio nemini, nisi honestatis ac pietatis hosti, probetur: negari tamen haud posse, plurimas gentes ex merâ dominandi libidine fuisse subjugatas. Quare in præsens ad nostram materiam oppidò pertinet, dispicere, quid injusta occupatio conferat. Notum est, quomodo *Alexander Magnus* latrocinii publici à prædone capto insimulatus sit; nec abnuunt illius bella & res gestæ. *Iulius Cæsar* illegitimo itinere grassabatur in regale solium. Uterque tamen voti compos redditus, injustorum armorum ministerio, amplissimam potestatem sibi quæsiverunt. Nostrum non est, irrumpere in sacraria divinæ Providentiæ, & inquirere in caussas, quibus moveatur ille regnorum Præses, ut ejusmodi latronibus successus largiatur, & victoriam indulgeat. Abdita hæc non scrutabimur: abundè erit, occupationi, & ejus effectibus inhæsisse. Quare, cum in vulgus notum sit, injustis armis subjectas fuisse provincias, dicendum planè est, *injustam quoque occupationem, modum esse acquirendi imperii Majestatici.* Quippe experientiæ nemo contradixerit facilè, quæ testatur nimis manifestò, injustis possessoribus plura regna fuisse subdita. Contemplabimur breviter, quæ indicia observanda sint, ut cognoscamus, invasorem qui contra jus & fas, alienam Rempublicam occupavit, jam accepisse à Deo civilem potestatem in superatum populum. Quando invasor, maximam quidem Reipublicę partem tenet & occupavit; nec interim subjugati adeò sunt
ré-

reliqui, quin bellum illi inferre, & armatâ manu resistere valeant: si tamen vel incerta belli, vel alias difficultates metuant, quibus declinandis pares haud sint, & ideò consentiant omnes in potestatem invasoris; extemplo conciliatur eidem legitima auctoritas, & plenissima Majestas. Quin ipse violentus modus purgatur & desinit, dum honestiori titulo, & legitimo nomine auspicari regnum licet. Nec videò quid intersit in effectu Politico, inter spontaneam electionem, & consensum populi, qui sponte itidem hîc consentit, ne extrema forsan patiatur. Arctissimè obligatur populus ejusmodi consensu, ut Majestatis reus fiat, quisquis insurgere postmodum contra recentem dominum fuerit ausus. Et ita censendum est de omnibus invasoribus, quorum potestatem populus suo consensu roboravit. Subegerit forsan Nimrodus aliquos: dum tamen postea volentibus imperitabat, justum reddebatur imperii habendi genus, quod aliter infami violentię notâ laborasset. Aggressus fuerit injustè Rempublicam Cæsar Julius: postquam ipsi lege regia collata erat omnis potestas, non poterat citra parricidii & Majestatis crimen è medio tolli ac trucidari. Tali enim casu reverâ accepit Imperium, quod à parentibus violari nequit. Id obiter tamen circa hanc assertionem notandum est, ei locum esse maxime in Republica populari. Ubi enim potissima civitatis pars capta est, in arbitrio reliquorum est positum, utrum molliorem viam eligere, & prævenire victoris clementiam malint, ultronea

neâ submissione. Contra verò in Monarchia subditis licitum non fuerit, ad hostes transire, licet isti multa jam subegerint: nisi rex, & qui huic succedere debebant, extincti ab hoste sint. hâc enim conditione pristino soluti sunt obsequio. Id certò certius est; in Republica populari civem non obligari ad tanta, quibus obnoxius est subditus in Monarchiâ. Tali rerum facie, submittere se poterunt nondum victi, & summissione hâc stabilem acquirendi imperii modum transferunt in Electum principem, qui salvâ conscientia deinde præesse imperio queat. Non enim audio *Didacum Covarruviam*, Tom. 1. Variar. Resolut. fol. 468. putantem, *modum hunc acquirendi Magistratum & subditos per arma, primitus & quoad primam originem regiminis, in foro conscientię nunquam posse legitimari, nisi vel extraordinario mandato Dei, quod est facti; vel Iustitia caussæ, ortæ ex ordinatâ vindictâ acceptæ injuriæ vel damni. Solâ præscriptione temporis non legitimari usucapionem; neque submissione partis spoliatæ, nec consensu populi, quin usurpator teneatur restituere per conscientiam, si aliis detinendi caussis destituatur.* Ego vero, quanquā in præscriptione nihil præsidii posuerim: consensū tamen populi arbitrarer sufficientē esse; quod accedat proxime ad Electionē, quę legitimo titulo acquirere sinit imperia. Confundit *Covarruvias* præsentem quæstionē cum Restitutionis doctrina. Imperium, quod invasor accepit consensu populi, non eripuit populo; sed à Deo in populum accepit. Quod si resti-

restituendum foret, Deo, cujus indultu habet, redderet: in populum non transferret.

IV. Si populus in regnum invadentis non consentiat; victus autem sit, & in eas angustias redactus, ut resistere apertâ vi haud valeat Tyranno: utrum tum quoque eidem asserendum imperium, altioris indaginis videtur. CAJETANUS 2.2.q. 64. a. 3. non negat quidem imperium; *licere tamen cuilibet privato docet, ex insidiis adoriri & submovere publicum hostem. Quidam*, inquit, *tyrannus est in ipso jure Dominii: quia scilicet usurpavit sibi dominium vi armorum, vel alias inique. Hunc talem expositum esse cujusque privati gladio, si non supersit superior, qui puniat invasorem, & coërceat. Et quoties contingit eum occidi, censendum esse, non à personâ privatâ, sed publicâ auctoritate cæsum esse.* Rationem hanc annectit, quod ejusmodi Tyrannus *hostis populi sit, habens continuum bellum cum populo.* Probat autem eum hostem esse, quod invasor sit, & oppressor libertatis, seu juris publici. Continuum bellum ostendit; *quod inchoatum bellum, quo populum invadens, se ipsum nominavit Dominum, nulla est treuga interruptum, nulla pace terminatum: sed succumbens jacet populus.* Pergit asserere, *hoc bellum ex parte populi justum esse, ideoque quemlibet de populo justi belli authoritatem habere, cujus tenore insurgere pro populo contra tyrannum possit, eundemque interficere.* Extendit hanc conclusionem, etiam extra bellum, & subjacet privatorum ictibus quemcunque ex cive Principem: *quod usurpaverit*

verit invito populo imperium & sic debellaverit: implicito nimirum bello. Semper autem adesse authoritatem publicam privato, loco communitatis tàm utiliter gerenti negotium, ad ipsius liberationem. Verùm hæc omnia turpiter impingunt contra fundamenta Politica. Prima linea tollit sequentiũ confusa asserta. Si imperiũ habet ejusmodi invasor, expelli & interfici haud potest. Quia nihil attinet ad imperii naturam, quocunq; tandem modo fuerit quæsitum. Semper enim & ubique sibi respondens postulat obsequium; quod detrectare pro lubitu subdito minimè licet, multò minus imperantem, quamvis injustè, invadere & trucidare fas est. Nam quoad publicam auctoritatem, certum est, eam non habere locum, ubi superior nullus est, ad quem confugere possint subacti bello. Conspiratio devictorum non efficiet auctoritatem publicam, vindicantem invasoris impetum. Ubi enim multitudo universa devicta est, nihil publici remansit. Deinde Tyrannus, quando, & quatenus populi hostis est, jure à quolibet cive interficitur: perpetuum autem bellum non temere fingendum est; sed compositum videtur potius, quàm primùm id obtinuit invasor, ut oppressi ejus dominium agnoscerent. Quo secutô, jam non tantum induciæ, sed ipsa pax tranquillavit tumultum: postquam nimirum tyrannus se nominavit Dominum, & talem agnovit populus, licet coactus. Illud absurde falsum est; *victos justum bellum gerere.* Ubi victoria bello finem dedit, ibi nequit idem superesse. Ubi victus

suc-

ſuccumbit victori, non eſt amplius rebellandi materia. Eo ipſo dum victus eſt, dum oppreſſus eſt, & vitam retinuit à victore: eâ conditione ac lege accepiſſe videtur, ne inſidietur ſaluti victoris. Illud enim dubio caret, victoriam in caput victi poteſtatem conferre, ut in loco certaminis interfici queat: poſtquam autem victor pepercit ſubjugatis, omni modo proſpexit ſuæ ipſius ſaluti, ne machinaretur aliquid in ejus fraudem captivus, incolumis dimiſſus. Inſidiantem enim ſervatori ſuo, omnia jura damnabunt. Idem multò magis dicendum eſt, quoties ſine bello ad dominatum aſpiravit aliquis: modò agnoverint dominium, licet inviti, licet oppreſſi. poſtmodùm non tollent è medio, ſemel legitime agnitum. Quamvis animo non aſſequar illum Reipnblicæ ſtatum, in quo ſine bello, ſine vi, populo interim invito, vel ambiat, vel conſequatur tyrannus imperium. Incivili enim conatui reſtabit ſuo jure populus: nec opus habebit inermi civi, contra ſua vota, aliquid indulſiſſe. Quod ſi obliquis artibus alicujus incolæ conniveat, ejuſdem potentiam augeat, & eouſque aſcendere ſinat, ut teneat ſummam rerum: negligentiæ ſuæ imputabit, quod non mature iverit obviam, & immodeſta deſideria inhibuerit. Nunc ubi tacendo adjuvit emergentem dominum, porrò etiam acquieſcat in ejuſdem imperatis. Nam bellum fingere tali conditione rerum, imperitia eſt. Bellum enim implicitum hactenus Politica nondum eſt aſſecuta. Concludimus: Quoties
ſubditi

ſubditi adeò ſuperati ſunt, ut vires habeant nullas reſiſtendi victori; invaſor etiam injuſtus accepiſſe imperium, ſolâ victoriâ, ſine conſenſu populi, intelligendus eſt; eò ipſo, dum constrictam universæ multitudinis potentiam tenet. Eidemque vel hoc nomine incolumitas debetur, quod victis pepercit. Eo ipſô enim, quo ſubjugatis concedit vitam, hoſtis non eſt: & illo beneficio id ſibi comparat, ne propriæ ſaluti ſtruantur inſidiæ.

V. *Electio* eſt modus acquirendi Majeſtatem, dum eligentium conſenſu certa perſona nominatur, & digna cenſetur, cui imperium cœlitus tradatur. Hanc dupliciter oſtendimus, quatenus ſolius Dei declaratione perficitur, aut quatenus hominum arbitrium intercedit. Illam vocamus SORTEM: hanc nomine generis appellamus ELECTIONEM. Sors olim uſitata, hodiè extra ordinem, atque rariſſimè adhibetur: itaque pauciſſimis erit nominanda. Satis enim habebimus, eam liberaſſe ab iniquitatis & incertitudinis ſuſpicione. *Philo* putavit, *ſortem adeò improbam eſſe, ut nullô caſu poſſit locum obtinere.* Rejiciunt aliqui ideò hoc inſtrumentum Electionis, *quod periculoſum ſit, negotium tantum committere cæco & erranti duci, deflectenti ſæpe numerò ad parum idoneos, nec diſcernenti dignum ab indigno. qui hoc cum fortunâ commune habeat, improvide ruere, quà impetus tulerit, & patuerit ſpatium.* Ego vero reverentius arbitrandum cenſeo de Sortibus: non *Platonis* ſaltem motus ratione, *qui à Deo dirigi ſortem,* docet Lib.

III. de

III. de Leg: ſed quod etiam in ſacris litteris dicitur, *hanc ipſam à Domino temperari. Sortes mittuntur in ſinum, ſed à Domino temperantur.* Prov. XVI. 33. Quin in populo Iſraëlitico Dei juſſu, in majoris momenti negotiis, ſemper uſurpatas novimus: veluti in judicio capitali Achani; & quod magis huc facit, in Electione Saulis; & in Novo Inſtrumento, in Electione Matthiæ. Ubi notandum, Electionẽ tunc Deo adſcribi. *Videtis*, inquit Samuel, *quem elegit Deus.* 1 Sam. x. Cui exemplo aliorum populorum uſus acceſſit. Abſint igitur infames erroris & ignorantiæ notæ, à divino negotio. Sæpe peſſimus ab hominibus eligitur; ſæpe indigniſſimus: propterea non damnant Electionem. Et fac, contingat ſors ineptum & reprobum: quaſi neſciamus, Tyrannos & ſanguiſugas à Deo immitti, qui populi transgreſſoris peccata coërceant & caſtigent.

VI. Frequentior Sorte, & Occupatione acceptior eſt *Electio*, quæ ex omnium aut plurium voluntate imperium defert uni, qui publicè placuit. Secundum receptam diſtinctionem, Electio eſt *ſuffragii liberi*, vel *reſtricti*. *Electio* libera eſt, quæ nullis legibus arctatur, & caret vinculis, quibus alligata reſtringatur. Sumere ergo poſſunt in regem, quicunque placuerit, quotquot electione liberâ gaudent. *Electio reſtricti ſuffragii*, aliquando certum populum reſpicit: non infrequenter certam domum; ſępe etiam ſexum. Quoad primam determinationem in promptu eſt Germanicum Imperium, ad neminem transferendum alium, quàm

quàm qui germano ſanguine fuerit oriundus. Secundæ limitationis exempla ſuppeditat Reſpublica Lacedæmoniorum. conſulendus CORNELIUS NEPOS in *Ageſilao*. Sexum quoque fœmineum, pacta fundamentalia excludent. Documento ſit Gallia, cujus regnum, vi legis Salicæ, nulla fœmina hereditarium habet: ad hujus inſtar Electio quoque poterit limitari. Ita enim tradunt auctores, *Saliorum lege cautum eſſe, ne terra Saliorum ab haſta, ſive à Lanceâ, tranſiret ad fuſum, ſive colum.* Pro cujus confirmatione allegant, quod Servator dixit: *Conſiderate lilia, quomodo creſcunt: non laborant, neque nent.* Quibus verbis Philippus Valeſius regnum adeptus fertus. Memorant enim contra legis Salicæ oppugnatores tunc fuiſſe concluſum; Lilia Francorum non deberi niſi nobilibus, qui non laborant: nec debere, niſi maſculis, qui non nent.

VII. Tertius modus quærendi imperii eſt SUCCESSIO, quando citra deſignationem, à populo factam, ipſe Princeps, aut recepta conſuetudo, in certam perſonam regnaturi conſentit. Succeſſionum non unum genus eſt. Dum aliquando *conventionis pactum* devolvit regnum in alterum: ſæpius *proximitas ſangvinis* chariſſimo agnato eam prærogativam impertit. Ibi donatoris liberalitas, aut teſtatoris benevolentia, vel conjugum arctius fœdus imperia transfert. Sed de conſangvineis ſucceſſoribus primò agendum erit. Proſtant hodieque exempla, & omnium temporum memoriis narrantur; quæ patrum ſceptra filiis com-

commissa fuisse memorant, quasi hæreditariâ quadam traditione. Neque verò perturbatâ confusione promiscue id agi cernimus, omni sublato ætatum discrimine: id obtinet potius, ut exclusis plerumque reliquis omnibus, unus primogenitus imperio admoveatur. Cujus negotii caussam, postquam aliorum sententias examinaverimus, inquirendam nobis proponemus. Satis constat, dignitatem quandam, & præeminentiam primigeniis propriam fuisse: quam ex diversis indiciis colligunt passim auctores. Apud Judæos eum viguisse morem, ut primogenitus omnia duplicia in bonis paternis, & hereditatibus obtineret, ex Sacris patet. *Deut.* XXI. 17. Honoratiorem locum, & vestem peculiarem concessam, observat ANDREAS TIRAQUELLUS, *Præfat. de jure primigen.* §. 17. 18. quam *spiritualem* interpretatur, ob sacrificiorum quæ obibant, singulare decus; eamque pretiosam fuisse putat. Sed id multo maximum privilegium censendum est; quod regna primogenitis fuerint, quasi ex debito, transmissa per successionem. Consuetudine enim plerarumque Gentium, Primogenitum ad sceptrum, & paternum solium mitti, dubio caret. Tamque pertinax hujus, sive legis, sive moris observantia, populorum animos invasit, ut rarissima ex omni ævo depromi queant testimonia, quæ in contrarium vergant: eaque damnata interim auctorum judiciis cognoscimus. Nihil attinet nunc Ægyptiorum, Syrorum, Parthorum, Persarum, Græcorum, Macedonum, aliarumque

arumque Gentium instituta solicitare: quæ ingenti conatu, prolixissimâ serie, communiter adducuntur ab iis, qui huic tractationi manum admoverunt. HERODOTUS certè in *Polymnia*, id apud universos homines sancitum esse affirmat, ut maximus natu liberorum obtineat Principatum. Et abuti otio videri possem, si satis in vulgus nota, & quę pręter omnium oculos eunt, operosâ narratione vellem persequi. Id sublimioris indaginis opus esse arbitror, penetrasse in rationes, quæ primogenito regale sceptrum asserunt. Aliquam caussam subesse huic negotio, facilè suspicabitur, qui perpendet secum, non posse fortuito illud, & sine rationis directricis dictamine fieri, quod in civilibus æquabilem actionem, & sibi similem semper apud plerasque gentes faciem ostentat.

VIII. Jus subesse, omnibus visum est: sed quæ indoles atque natura hujus juris sit, dubitanter admodum pronunciasse scriptores invenio. aliquibus *jus naturæ*, *sanguinis*, aut *hæreditatis*; aliis *jus gentium*, aut *divinum* allegantibus, aliis alia laudantibus. TIRAQUELLUS generaliter complurium auctorum testimonio comprobat, juris esse, ut præferatur aliis primogenitus: variis adjectis argumentis. *Non abs re, qui nomina rebus imposuerunt, Principis vocabulo, & eum qui regnum, imperium, potestatem, principatum obtinet; & Primum significare voluisse. Tanquam apud omnes gentes is, qui primus est liberorum, idem & principatum ante cæteros obtinere debeat. Accedit te-*

 nerrimus

nerrimus ille parentum affectus, quo prosequuntur primam illam sui propaginem; cæteris subsequentibus non tam impense adamatis. Cujus ratio in brutis sibi locum facit: amantibus insigniter primum fætum. Quod ex Homero, Pinio, Æliano Tzetze, comprobatur. *Sive conjunctiores sibi invicem sint: (unde syderalis scientiæ Scriptores parentum fata & eventus ex filiorum nativitate cognosci autumant: & Almansor ad Sarracenorum Regem scribit;* primogenitum fortiorem esse significatorem vitę parentum, quam alios) sive principium virtutis paternæ primus habeatur filius. *Quare observatum antiquis illud dicitur, ut primogeniti parentum nomine frequentissime vocarentur. In universum, meliores intelligi primigenios, & virtute illustriori præditos: & primitias medicinalium herbarum, penetrandam efficaciam habere,* fuse exponit. *Pulchritudo & majus robur assidebat primigenitis: quin & Deo, ob integritatem erant immolanda.* Adjicit plura de *primitiis frugum, spoliorum ex hostibus captorum, mundi muliebris.* Quæ omnia insignem eruditionem illustris TIRAQUELLI satis produnt; & omnifariam politioris litteraturæ apparatum arguunt: scatebram tamen illam non aperiunt, ex quâ jus primigeniorum promanat. Quanquam enim *Primus* Latinis voce *Principis* notatur: exinde tamen nullum regnum exstruemus. Bellè procederet negotium, si lingvarum omnium cum Romanâ eadem esset atque una conspiratio; & *primus* aliis quoque *Regis* nomine diceretur. Eodem

vero

vero labore rustici & olitoris filium primum, in solium collocaveris: quod & ille princeps dicatur. Imbecilles nimis, & exigui momenti collectiones à nominibus & vocabulis peti, annotarunt, qui vias rite & ex ordine arguendi tradunt. Ut taceam *Principem*, non demonstrare in nativâ significatione eum, quem nos hâc voce intelligimus. Regem hâc notione capimus: ad molliorem terminum deflectendo rigorem nominis Monarchici. Nimirum Romani superbiâ, & malâ libidine Tarquinii irritati, infensissimi erant Regis titulo: & communibus suffragiis damnandum censebant, quicunque reducendi regni mentionem faceret. Sed, ex ingenio corruptæ Reipublicæ, cum supersedere non possent unius imperio: ad tempus legebant, quem *Dictatorem* vocabant, æqualis potestatis cum Rege. Post, cum moles Reipublicæ, in immensum auctæ, vitia publica circumferret plura; & divisa plebis optimatumque studiis, non satis prȩsidii haberet in legibus; mox discerpta miserè, ipsi fato relinqueretur sananda ordinandaque: unius arbitrio permittenda erat, qui *Principis* nomine universam sub imperium accepit. Ut mitigaretur nimirum civili nomine invisa potentia: & ne complexo rem, obesset titulus. Ex prima enim impositione *Princeps* est *primus*, sed sine imperio: modestia Augustorum ampliori significatui locum fecit & rationem, ut hodie Regem intelligamus. Non vi nominis; sed usûs beneficio, & commodissima vocabuli in eminentiorem sensum exalta-

 tione.

tione. Parentum amor non sufficit ad conferendum imperium: nam in subditis quoque observatur, qui nulla sceptra transmittunt. Proprium aliquod argumentum, successioni regiæ, primigeniis debitæ, militare conveniebat. Et quid si forteā novissime genitos charissimos habeant parentes, ut observat *Tiraquellus*? Brutarum animantium proprietates, ut similitudini, longius petitæ, inserviant: moralium certè actionum, civiliumque, normæ haudquaquam sunt, & cognationem cum imperiis habent omninò nullam. Proximitas sanguinis, & prima patris virtus, jus succedendi in solium minimè conferunt. Prædictiones ex astris, ut incertæ maximam partem sunt, & incorruptæ ad nos non pervenerunt: ita ne quidem ab ipsis auctoribus suis, & admiratoribus, ejus efficaciæ perhibentur, ut imperii jus transfundant. Signa hæc cognationem patris & primogeniti, ex sensu Tiraquelli, notabunt: non ultra extendenda. Parentum nomine Primogenitos appellatos, rarissimè invenio: sive sacra, sive profana monumenta evolvam. Et quid nomen ad regnum? Cætera de virtute, pulchritudine, robore, nec perpetua sunt, nec speciale privilegium conferunt. Conjungantur omnia hæc argumenta, nihil efficimus, quod civiliter concludat, imperium primigenitis deberi: quod ista non sapiant alicujus regalis privilegii naturam. Quorumlibet privatorum liberis observata illa imaginariæ dignitatis inerunt: quibus nec axiomata præeminentiæ publicæ deseri-

deferimus, nec sceptra destinamus. Ut ut prærogativam aliquam domesticam, ex legis civilis præscripto, concedamus: nullam facultatem, primogenitis propriam reperimus, cujus virtute regna sibi postulent.

IX. Utilitatem publicam allegant alii, *& indissolubilem regnorum compagem*, quæ primogeniti dignitatem & successionem flagitat. *Familiarum splendor, & potentia pariter conservatur, quoties uni committitur rerum summa. Ipsa respublica unione subsistit firmius. Divisa imperia ab interitu quam proximè absunt, exposita quippe divulsione illâ potentiorum prædæ. Dissidia plerumque divisis intercedunt, quæ pernitiem præsentem solent accelerare. Debilitatur solâ distractione Respublica: nec tantæ virtutis & efficaciæ est, quanta conjuncta civitas.* His argumentis probant, regni corpus continuâ serie debere colligari, & cohærere, & nullo modo dissolvi: inde amplius inferunt, successionis prærogativam primogenito deberi, ob indivisibilem nexum provinciarum. Verùm his nondum acquiescit animus. Quid enim, si aliquis majora regna dividi posse adstruat? Si adducat nostrum ipsum Romanum imperium, quod Ludovicus in tres partes divisit, sufficientes sibi satis? Nam si prolixissimorum finium regnum sit, commodè partitionem pati, persuaderi forsan possemus. Amplitudinem enim immensam territorii, non esse de naturâ imperiorum, facile docebunt reges, qui olim singulis urbibus imperitarunt. Habuerunt majestatē, quamvis in arctos fines.

Et ipsa Germania documento fuerit, tot diversis populis quondam habitata. Diffitebimur nunquam, plurimum decedere & auctoritati & potentiæ, quando distrahitur regni corpus, & in plures, distinctis auspiciis, confertur: sed non concludendum statim; quod conservat dignitatem familiæ & Reipublicę, id certo & immutabili jure niti. Fac tamen, dividi nequeant regiones, non propterea jus primogeniti confectum est: potuit alius fratrum ad gubernacula sedere. Quæ interseruntur, *fratres iniquissimo animo fratris imperium toleraturos*; *id primogenito* fas erit opponere. In promptu quoque erit remedium, ad tollendam fratrum ęmulationem, si omnes simul regnent. Regeris: *Multò gravioribus turbis implicari Rempublicam. Quia indivisa illa potestas ubicunque introducta unquam fuit, semper per contentionum præcipitia delapsa est, aut ad* anarchiam, *aut ad unius dominatum.* Reponam socialem administrationem Imperii Romani, cum sedes in orientem translata esset: ubi inter duos, & plures sæpe, divisum fastigium illud novimus. Et cogam deinceps eodem argumento damnare Optimatum Rempublicam, quam tot laudibus ornare solent Politici: eâdemque collectione conficiam, popularem exstirpandum esse ordinem civitatis.

X. Concessâ interim regnorum perpetuâ cohærentiâ, permissâ simul ex hâc primigeniti excellentia: nondum tamen certi sumus, quale sit jus illud, quod indivulsum provinciarum contextum primo natorum confert. In-

Intricatiſſimâ diſputatione, modò Jus naturale, modò gentium laudatur. Ad legem naturæ confugiunt, qui inſtinctum naturæ comminiſcuntur, & prærogativam ætatis, ac majorem adeo prudentiam allegant. Contemplanti Jus Naturale, apparebit, nihil quicquam ab illo diſponi de regnis; nihil de ſucceſſione primogeniti. Nihil novit de ſucceſſionibus in univerſum. Succeſſio plerumque collationem dominii, aut dignitatis notat: neutrum verò naturali jure transfertur. Hîc deſignatio imperii eſt, quod jure naturali non arceſſi, ſupra vidimus. Actus morales jubendo prohibendoque jus naturale dirigit atque determinat: & hos ne producit quidem, ſed mandat, vetat, judicat. multò minus imperium producet. Idque ideò evenire putem, quod Sanctitas & Potentia divina, diſtinctâ mentis apprehenſione concipiantur. Ratio ferendo oneri impar eſt; quum probabilem ſuaſionem contineat, nec perpetua ſit; & nova ratione indigeat, ut confirmetut. redit iterum quæſtio; unde prudentiori & robuſtiori, imperium debeatur? idem de prærogativâ ætatis arbitrandum. Ætas & tempus ex ſe nullum jus conferunt: alia igitur quærenda cauſſa, quæ vim illis tribuat.

XI. Quæ de Jure Gentium proferunt, majorem ſpeciem, quam vim ſtabiliendę ſententiæ habent. Hinc derivant vulgo. *Succeſſionem in regno hæreditario, aut omnibus deberi ex æquo, aut ſi dividi non poſſunt provinciæ, uni primogenito, cui prærogativam hanc præ omnibus*

fratribus aperuerit jus divinum & gentium. Et contra hæc jura fas non eſſe, quantumvis abſoluto Principi, diſpenſare. Occaſionem id aſſerendi dedere exempla plurium populorum, quorum moribus introducta ea ſuccedendi ratio. Unde poſt enumeratas quam plurimas gentes, quibus primogenitus fuit in regem ſumptus, concludunt. *Ex tot Gentium unanimi conſenſu receptis moribus ſine hæſitatione licere progredi ad concludendum jus Gentium, quo primogenito ſucceſſio deferatur in regnis, & magnis principatibus.* Contraria quoque obſervatio, *contra jus Gentium* dicitur inſurgere JUSTINO, Lib. XVI. de Ptolomeo hoc judicium ferenti: *Finito bello Ptolomeus, cum magnâ rerum geſtarum gloria moritur,* Is contra Jus Gentium *minimo natu ex filiis ante infirmitatem regnum tradiderat.* In plurimis locis mentio fit Juris Gentium: ideò non perdemus operam, ſi ſemel compendiò dicamus, quid de ejuſmodi negotio habendum. Hîc primùm omnium ſatis firmandum judicium civile eſt, ne vacillet, aut nutet ad unius, alteriuſve Scriptoris auctoritatem: quâ ſolâ non ſtatim Jus Gentium conficitur. Uſuvenire non infrequẽter ſolet, ut in rebus difficilioribus, quarum abſcondita ratio poſt intimas penetrationes demum patet, inveſtigandis, quaſi redimendi temporis cauſſâ, vel compendio certo, ad jus gentium, aliquando jus naturale, recurratur. Sed hoc vulgari ſuffugio aut prætextu, in omnes caſus comparato, plurima inexplorata relinqui, & non ignobilia argumenta ignorari, haud

haud difficulter persuaderi possem. Quoties cujuscunq; negotii civilis natura, ex suis principiis asserenda; quoties difficilioris alicujus juris veritas, & prima scatebra demonstranda est; jus gentium allegatur, cujus aspectu superstitiosâ credulitate percelluntur interdum animi, ut curiosiori perscrutatione supersedeant, & visa interim pro compertis acceptent. Quod sicut prima facie pronam apertamque caussarum cognitionem prę se fert, & ambitiosè pollicetur: ita in progressu, ubi connexio & consonantia jurium, ut ultima primis respondeant, quæritur; inextricabiles difficultates, & conclusionum confusas, aut adversas invicem illationes, incondito partu solet producere. Nobis haud dum in pręsenti, aut alibi, promtum aut integrum est, quidvis credere. Sive Justinus, sive alius, primigenia Juris Gentium pronunciaverit: non propterea ita se habebit res, aut nobis extorquebitur assensus. Quin potius in hoc examine descendendum in intimiorem naturam Juris Gentium; scrutandumque, quæ domestica indoles ejus, circa quæ occupetur negotia: ab altera parte vestigandum rei, de quâ quæritur ingenium, & proprię qualitates. ita facilè contendendo apparebit, an ex numero earum sit, quæ jus Gentium determinat. Prostant quidem quam plurima exempla populorum, qui primogenitũ in paternum solium collocarunt: & exemplis jus Gentiũ probari, plerique statuunt; quod consensus Gentium iisdem indicetur. Unde HUGO GROTIUS, in Prolegom. de Jur. Bell. & Pac. *Historiæ*

duplicem habent usum, qui nostri sit argumenti: nam & exempla suppeditant, & judicia. Exempla, quo meliorum sunt temporum ac populorum, eò plus habent auctoritatis: ideò Græca & Romana vetera cæteris prætulimus. Nec spernenda judicia, præsertim consentientia: Ius enim naturæ, ut diximus, aliquo modo inde probatur; jus verò Gentium non est ut aliter probetur. In præcedentibus liberam voluntatem populorum solam, caussam posuerat; quòd ex certis principiis certâ argumentatione deduci nequeat. Quod minimè largiendum. Interim initio tollenda ambiguitas in voce *juris Gentium.* Dicitur aliquando, *quod singulis gentibus placuit sine mutuâ obligatione:* propriè, *quod mutuam obligationem continet.* Quod Lib. III. cap. I. n. VIII. agnoscit GROTIUS, & impropriè jus Gentium vocari fatetur. Et sanè plura, quæ juri Gentium adscribuntur, moris & usurpatæ consuetudinis, quam juris nomine designari oportebat. Receptum erat in successoriis regnis, ut primogenitus patris expleret vices: hanc rationem, aliis observatam, & introductam passim, gentibus pluribus communem fecerat imitatio. Quo sensu plura dicuntur ad jus Gentium pertinere, quæ usurpantur à gentibus. Verùm hæc genuinum jus minimè constituunt, quod citra obligationem recipiantur, ex merâ libertate populorum coëuntium in civitatem. Juris autem omnis essentia & virtus in obligatione consistit. Quod si consensus ille imaginarius, solus ac nudus sit, nullâ obstringendi vi præditus; haud surgit

ſurgit aliquod jus. Ipſa obligatio in verô Jure Gentium, non ex conſenſu præſumpto; ſed intimo contextu Rerumpublicarum, & ſanctimoniâ ſocietatis, quæ populis invicem intercedit, peti poteſt ac debet. Tunc obligantur Reſpubl. vel ad obſervationem, vel ad pœnam. Gonſenſum igitur de primogenito ſucceſſore, ad morem aliquem reduxerim, qui Jus Gentium, per abuſum quendam vocabuli, ex viciniâ negotii natū, appellatur: qui magis conſuetudo & obſervantia partialis eſt, per plures gentes diſperſa; quàm lex, omnes populos devinciens ſuâ auctoritate. Id opido neceſſarium requiſitum juris Gentium putaverim, ut *omnibus gentibus ſit commune*; omnes ex æquo concernat: omnes pari vinculo alliget. Quare dubito, an ſublimis *Grotii* ſententiam approbem, quâ hoc Jus Gentium, omnium aut multarum voluntate, obligandi vim accepiſſe, ait. poſitâ cauſſa; *quòd vix ullum jus reperiatur, extra jus naturale, quod omnibus commune ſit.* Vereor omnino, ut aſſertum defendi poſſit. Si conſenſus jus hoc producit, mihi quidem indubitatum eſt, paucas admodum gentes jure hoc uti. Sed illud quoque ſatis certum eſt; verô Gentium jure teneri omnes populos, etjam barbaros: de quorum voluntate contraria teſtantur facta. Jura legationum inviolabilia habenda ſunt, etiam feris nationibus. non quia conſenſerunt, ſed quia Sanctimoniam Miſſorum violare non debent. Fœdera ſacroſancta habenda ſunt, nec perjuriis, inſidiis, aut quacunque fallaciâ temeranda. Sic bella juſtè in-

choanda sunt. nisi transgressor Juris gentium haberi velit invasor, & à Rep. læsâ operiri ultionem ac pœnā. Hæc & alia ex certis principiis oriuntur, & ubique sunt observanda. Ad actualem observantiam hic respiciendum non est; quod consensus exemplis perpetuis probari nequeat: id quod *Grotium* movebat, ut statueret, non commune esse omnibus populis: sed attendenda est obligationis universalitas, quæ ex intimis visceribus Rerumpublicarū petenda est. Nisi omnibus populis normam daret jus gentium, frustra essent, quotquot illud allegarent: quum vel naturale, vel civile sufficiat; vel aliquod singulare pactum paucarum civitatum. Cum interim certissimum sit, Jus naturale omnes homines, jus civile omnes subditos; jus Gentium omnes populos inter se obligare. Ad nostram quæstionem si applicemus hactenus dicta; manifestum est, caussæ hujus conditionem non admittere generalem regulam. Successio primigeniti formam civitatis tangit, quæ omnibus haud communis est. Regnum & Monarchicum statum afficit: & illum præcisè, in quo statuendi regis judicium penes populum, aut hujus vicarios, seu optimates, non rèsidet. Paucissimæ igitur Respublicæ hoc ordine utuntur. Aristocratia, & popularis civitas, ignorant talem legem. Ut taceam normam illam administrationis à civibus non permitti peregrinis; non pati populos sibi dici leges ordinandæ Reip. ex aliorum præscripto. Quid enim obsecro, hæ curæ ad alios? quid ad extraneam

am Rempublicam, si vel minor natu succederet? Inde nihil vel commodi, vel incommodi; multò minus aliquid juris ad peregrinos redundat. Adeo nihil commercii populis circa hanc dispositionem intervenit; ut nihil contra alterius jura peccetur, & ideò nec puniri queat pater primogenitum excludens. Si vero Jure Gentium deberetur successio primogenitis, injustissima essent electiva regna omnia, quæ alium, quam filium, ad regimen mittunt. Excludunt enim, quem jus gentium elegerat: & excludendo contra jus gentium peccarēt: contra quod fas non est alicui dispensare. Everterent igitur Jus gentium, quotquot prætereunt primogenitum: cui immutabili lege jus successionis quæsitum esset. Cæterum, cum omnes gentes & Respublicas hæc ordinaria successio non spectet; vix est, ut universale jus fatigemus, damnando illud ad aliquas paucarum civitatum constitutiones.

XII. Offendi passim opiniones auctorum, ad jus divinum referentiū originationem primigeniorum. *Licet consuetudine firmata sint, & diversimodè pro diversitate morum formata: originem tamen & fundamentum, unde educta sunt, dependere ex auctoritate Iuris divini, imò etiam naturæ & Gentium.* Sed satis confusè id asseritur. Si auctoritati juris gentium aliquid debet primogenitura: non repetenda ejus origo ex naturali jure. Si ex hoc profluit, ad jus divinum ejus natales referendi non sunt. Distinctissima hæc sunt principia, & separatim tractanda in derivationum materiis.

riis. Non poteſt aliquid ex jure divino, naturali, gentium, ſimul originaliter deduci. Non enim hæc jura ſubordinatam invicem in ſuis objectis; ſed ſeparatam diverſamque naturam habent. Jus divinum, communi decreto filium primogenitum conſtituens ſucceſſorem, in omnibus hæreditariis regnis, nondum vidi adductum. Quid igitur proclamant ad jus divinum, quod allegare nequeunt? Erubeſcant ſine lege citata loqui. Producant ſanctionem ſacram, laudent librum, deſignent capitulum & comma, quô primogenii illa prærogativa, univerſali ſancito, ampliſſimè ordinatur: & applauſu excipiemus ſententiam. Unô alteròve exemplo jus divinum non firmatur. Occurrat primogeniti nomen, & dignitas in ſacris: non ſtatim lex erit, quod ſub rei geſtæ commemoratione introducitur. Multum diſtat facti narratio, à Legiſlatoris ſerio decreto, & Juris præſcripto. Non deſtituimur exemplis, quibus contraria Dei diſpoſitio apparet, quâ primogeniti fuerunt poſthabiti junioribus. Ex *Hieronymo* compendioſe eadem ſibi objicit *Tiraquellus*. *Dilexit Deus Abel magis quam Cain: Iſaac, quam Iſmaëlem. Dilexit & Iacob, Eſau odio habuit. Phares electus, reprobatus Zaran: electus Ephraim, reprobatus Manaſſe. Electus Iuda, in quem benedictio ſeminis Chriſti transferretur, reprobatus Ruben. David inter octo fratres minimus, electus præ cæteris. Moyſes magis, quam Aaron dilectus.* Quamquam plura enumeratorum privatam prælationem inferunt: ſtabilitur tamen ſententia;

tentia; primogenitum jure divino non perpetuo frui privilegio prærogativæ, cæteris exclusis. *Tiraquellus*, quanquam satagit ad hæc respondere, non videtur tollere difficultates. *Sed tantum abest* inquit, *ut hoc primogenitis refragari possit, ut illis etiam contra suffragari non modicum videatur, modò non cæcutiamus, sed paullò solertius rem introspiciamus. Nam Deus Opt. Max. novissimos primos fecit. Vt etiam ex his possis colligere, primogenitos esse naturaliter anteponendos ultimò genitis, quos proinde eligit Deus, ne primogeniti, naturâ superiores, in superbiam & elationem ob id veluti præcipites trahantur, nisi frenum hoc illis dederit Deus, quo se summissiores agant.* Non video, quomodo jus primogenituræ, & naturalem prærogativam sustineat divina sanctio: decernens, *minores ætate præferendos*. Eo ipso enim dum prætereuntur primogeniti, dum excluduntur divinâ electione; non potuit à natura esse illa dignitas. Deus contra naturam nihil agit, nihil constituit: quod sibi ipse haud contrarietur. Sed in eô forsan latet collectio, & argumenti vis; *quod nominatim minor natu admovetur prærogativæ majori. Sine speciali enim illâ designatione si fuisset, præferri debebat primogenitus.* Respondemus: id non statim sequi, primogenito debitam fuisse eminentiam, qua coruscabat postea minor frater, si hic eandem non accepisset à cœlesti manu. Nunquam forsan primogenitus Isai rexisset populum Israeliticum, si vel maximè Davidem non vocasset ad sceptrum Deus. Quod si regnum

jure

jure divino debebatur Eliabo primogenito, non probabile videtur Deum evertere voluisse propria decreta, iisdemque derogare auctoritatem, præficiendo multitudini Davidem; eligendo postero etiam tempore, Salomonem. Nunquam facultatem ullam habuit Senior ille filiorum postulandi tale jus. Rubenis primogenia amissa & erepta, morem populi, cujus terram Ebræi incolebant, designabant: non tamen, qui strictè obligaret Jacobum; aliàs mutari privatâ auctoritate fas non fuisset. Multò minus jus divinum mutationi hominis unquam fuit subjectum. Non inficiabimur, posse tale quid à Deo Opt. Max. ordinari. Nam unus ille est, qui confert Majestatem, qui sortem & vota eligentium, arcano ductu, in eligendum dirigit. Poterat ergò sanctissimâ Lege, ubique valiturâ, decernere; ut nemo, præter Regis primogenitum, succederet. & hæc jussio omnes erat obligatura populos. Sed hactenus talis juris tenorem non licuit reperire.

XIII. Impeditissimè ventilantur, quæ circa hanc materiam auctores disputant de *Iure Hæreditatis & Sanguinis*. An regnum, ubi consuetudine per successionem primogenito defertur, jure hæreditario, an sanguinis eidem competat? JACOBUS à SAA, Eques Lusitanus Tract. de Primogeniturâ, n. 37. statuit, *primogenitum possidere regnum jure hæreditatis.* Postquam in præcedentibus ostenderat per occasionem, non esse conveniens, plures participare imperia, & unum omninò ac solum requiri

quiri, qui gubernacula rerum teneat; ac propterea in administratione regni, omnes filios regis succedere non posse, sed ad unum primogenitum deferendum esse honorem: deducit hunc successionum ordinem, quod filius primogenitus Patris hæres est. Aliàs filium privari non posse ea prærogativa, nec gravamen ei imponi. Cujus alterius tamen exemplum habeamus in sacris, ubi Ruben amittit primogenituræ dignitatem; alterius tenorem ex Canonistis allegat. Concludit tandem, *omnia bona Majoratus haberi & possideri jure hæreditario & successivo*. Possit equidem hujus Auctoris assertum restringi ad solum *Majoratum*, sive illam privatorum successionem, quæ Hispaniarum lege introducta est: nisi generaliter de regni indivisione tractasset in superioribus; & viderem aliorum quoque hanc esse opinionem. Sanè EMANUEL ACOSTA, ubi de Patruo & Nepote quærit, p. 3. ut ostenderet, repræsentationi, quam vocant, locum esse, & in successione regnorum nepotem patruo præponendum; hac inducitur ratione: *quoniam regnum ad Regis liberos, aliosque regis successores devolvitur, quasi hereditas ipsiusmet Regis*. Distinxerat enim Regnum & Majoratum; illud jure hæreditario; hunc sanguinis deferri statuebat. Ut expressè habere dicit c. *licet*. de *Voto*. omnesque Dd. ibi affirmare, & alibi alios. Alii certis conditionibus hæreditario juri locum faciunt, pro diversitate modorum, quibus regna solent acquiri. *Quoties in novo regno pater eligitur, permissâ designandi successoris*

ceßoris facultate; quoties legitimo bello sibi asseruit principatum, aliave ratione comparavit. tum jure fas esse, testandi libertate regnum filiis tradere. At quando jam distinctâ lege, & usitatâ consuetudine per successionis ordinē admittitur, jure sanguinis primogenito deberi regnum. Nos universali pronunciatione dicemus; *Primogenito successionem jure hereditatis minimè deferri.* Nimirum Majestas extra commercium posita est. Hæreditate acquiruntur res, quę in patrimonio sunt; quæ ultro citroque alienari, distrahi & acquiri possunt. Majestas supra nundinationes humanas posita, tales transferendi modos ignorat. Hęreditate dominia in res acquiruntur: sed in imperium, in Majestatem, nullum dominium penetrat. Superatur enim omne dominium divino illo axiomate. Successionibus hæreditariis acquirimus res, quarum dominium testator obtinebat: exempta verò humanis dispositionibus & transactionibus Majestas est, quæ ad Deum redit, quam primùm rex decesserit. Ne tunc quidem regnum hæreditas est, quando in recens constitutâ civitate aliquis electus fuit. Quasi verò legi, seu pacto fundamentali locus tunc non sit. Fac tamen, absolutè concessam electo Principi esse designationem successoris: aliter erit id omne interpretandum, quàm de hæreditate hactenus dictum est. Non statim testandi libertas est, quando Princeps pater alium primogenito, urgentem ob caussam, præfert. Infra explicabimus hoc negotium: nunc id saltem observamus, jus Romanum privatum mul-

multis ſcandalum fuiſſe, ut confunderent has publicas ſucceſſiones, cum privatorum hæreditatibus. Uſurparetur quidem vocabulum hæreditatis non inconvenienter in hâc materiâ, modò generaliſſimo ſenſu intelligeremus ſucceſſionem: nec adſtringeremus præſentem cauſſam ad doctrinam Romanæ atque privatę hæreditatis, qua dominia rerum acquiruntur. Nam & alibi ſucceſſorem principem, heredem regni, ſolii, ſceptri vocare, haud verebimur; quia ejuſmodi voce qualemqualem ſucceſsionem in locum alterius intelligimus; non imperium, ab homine moriente in ſuperſtitem translatum. Quod dicebatur; *ſucceſſorem deſtinatum, ſi repudiet hæreditatem regis anteceſſoris, eô ipſo regnum quoque repudiare*: tum demum verum eſt, ſi conceptis verbis profiteatur, ſe nolle ſuccedere. Longè diverſa ſunt hæreditas anteceſſoris, nempe bona omnia, quæ anteceſſor extra coronam regni habebat, in quibus filiis, ipſique ſucceſſori regni, tanquam uni de numero eorum legitima debetur, & ipſum regnum, quod repudiatâ legitimâ, in aliis bonis ſibi debitâ, totaque hæreditate, poteſt ſucceſſor velle & obtinere, tanquam rem omninò diverſam, minimeque in hæreditate anteceſſoris incluſam: non ſecus atque hæc ipſa ſimiliter habent locum in aliis Majoratibus.

XIIV. Nondum interim accedimus alteri opinioni, quæ primogenitum ſuccedere *ſangvinis jure* docet. Hoc quale, & quantum ſit, nuſquam ex Auctoribus illis addiſcere licet. Aliàs jure ſangvinis continentur Cognationes.

nes. Ita Pater & filius, fratres & sorores sangvine colligantur. Verùm hoc jus non esse intelligendum, vel inde patet: quòd omnes liberi eôdem gradu, & ęquali proximitate sangvinis, attingunt parentem: deberent ergo omnes succedere. Et ita cadit jus primogeniturae, praecisè reliquos liberos excludens, & uni spem regni conferens, qui primus in lucem est editus. Quam ob caussam anxiè disputant, num consuetudo rationalis sit, quę primogenia invexit. Adde, si hoc sensu, jure sangvinis succederet filius, immediatè haberet imperium à patre. Sicut in hęreditate continuatur dominium in supervenientem haeredem: ita imperium transferri debebat. Sed haec pugnantissimè contrariantur doctrinae, de Caussâ Majestatis. Si enim jure sangvinis in imperium penetraret primogenitus; utique haeres esset, nunquam excludendus, & immediatè acciperet haereditariam potestatem à patre. Nam quae jure sangvinis competunt; beneficio generationis à patre communicantur. Obstat itaque sangvinis immutabilitas. Quoties publicae rei pernicies timetur, ob tyrannicum animum; aut quia mente planè captus, & perpetuo furiosus est: excidere posse primogenitum dignitate illâ constanter asserunt. Quod neutiquam contingeret, si jus sangvinis inferret jus successionis. Illud enim nullo modô variationem admittit: nec à legislatoriâ potestate mutatur, nec ipse, cujus negotium hîc agitur, honori tali renunciaret. Nullo modo efficitur, ut filius non sit patris filius; aut soror:

ror non ſit fratris ſoror: & vice verſâ. Fundamentum enim præſupponunt generationem: factum ſcilicet aliquod, quod eo ipſo dum eſt, aliter ſe habere, & infectum fieri haud poteſt. Et ſi quis ſcrutaretur attentius, quale jus importet ſanguis: experiendo diſceret, quam non facile ſit explicare fictum jus ſanguinis, ſi ex ſanguine, remota alia cauſſâ, id derivare conaretur. Et accuratiores quidem intelligunt hoc vocabulo, non naturalem cognationem; ſed diſpoſitionem Reip, qua cavetur, ut primus ille, qui ſanguine attingit regem proximè, regnet: dum proviſio civitatis reſpicit propinquum regis ſanguinem. In hunc ſenſum uſurpant dictam formulã, qui jus ſanguinis ſumunt *pro pacto & providentiâ Reipublicæ, quæ regnum ipſum instituit, certiſque legibus illud alligavit, ut illis ſuccederetur.* Declinatur adeò uſitata illa vocabuli ſignificatio ad loquendi genus, commune pluribus, hanc materiam tractantibus; ſed aliis ignoratum: quod ambiguitate ſuâ impedit rei explicationem, & errorem ingentem facilè poteſt gignere. Et opidò debebant, in tam magni momenti re, clarius loqui auctores.

XV. Quamvis autem hæc jura, quæ in antecedentibus rejecimus, non ſufficiant; temerario interim fortuitoque impetu primogenitus non admittitur. Nam illa æquabilis primogenituræ obſervantia dubitare nos de aliquo rationis vinculo non ſinit. quare aliæ dabuntur diſpoſitiones, quæ propius effectum illum maturent. Id principiò tenendum eſt, *in*

omni

omni tali successione latere quandam Electionem; sive tacitam, sive expressam. Hoc saltem discriminis intercedit, quod in Electione communi & usitatâ, judicium sumendi principis, à populo vel proceribus, huic operi destinatis, expressim declaretur in singulis eligendis: at in successione primogenitum populus semel nominavit, qui semper patris mortui suppleat locum; aut patri permisit successoris constitutionem. Ubicunque igitur succedit primogenitus, dispiciendum est, num pactum aliquod adsit de successione illius. Nam principiò, ubi constituitur Respublica, si de successore nec dum aliquid decretum sit, Princeps suis pollicebitur subditis, & certâ sponsione sanciet, ut dictâ prærogativâ fruatur primogenitus. Sive id flagitent subditi, sive sponte, consentientibus iisden, faciat Princeps. Valida erit & stabilis conventio, & primigenio in capessendo regno nemo præferetur. Neque igitur dubito, quin tali pactitiâ conventione inter electum primitus regem; & electorem populum, provideri queat firmiter, ac præcaveri, ne alius post patris excessum potiatur rerum. Hoc nexu Principis & populi voluntas ita colligabitur, ut se adstringant invicem, ad collocandam certam personam in solium: cujus pacti tenore tenebitur Princeps eum ordinem servare. Quâ conditione fixum & firmum perstabit Reipublicæ judicium, usque dum mutatâ rerum ac temporum facie, aliud placeat universis. Quoties hunc in modum successio lege fundamentali introducta est, & pacto

cto, ac principis promisso confirmata: non temerè unius Patris voluntate ac lubitu licebit intercipere dignitatem eam, Reipublicæ judicio & consensu collatam. Reverâ enim consequitur filius aliquod jus à civitate eligente, aut sanciente statutum: quod sine sententia priorum auctorum, hoc est, integræ Reipublicę non amittet; nisi ingens delictum, aut alia prægnantissima caussa intercedat. Verissimum enim est, quod habent Auctores: *Cum hoc jus lege statutaria sit firmatum, non eo potest pater privare filium sine caussa.* Fatentur interim omnes, excidere posse hac dignitatis prærogativa primogenitum, ob atrocia delicta, contra patrem, aut Rempubl. commissa. Caussam ingratitudinis allegant, *si primogenitus contra civitatem, & patrem regem insurgat. Si inidoneus sit moderando principatui: veluti si demens.* Anteponendus erit secundo genitus: quia hujusmodi consuetudo, præferens primogenitum, non est interpretanda contra commodum regni. Quippe respublica ita intelligitur sibi prospexisse, ne illo suo decreto aliquod detrimentum capiat; aut leges, publico egregio consecratæ, in perniciem expetant. Quin primogenito confert successionis spem, si prodesse publico studeat: sin desciscat à bonis, & periculum tyrannidis subsit; negligere putanda est civitas publicæ salutis eversorem. Hujus voluntatis communis interpres Princeps est, qui si talia veniant usu, primogenitum, vitiis obrutum, postpositum civitatis judicio declarabit, & proximis conferet successionis

ceſſionis beneficium. Niſi in hoc decreto judicium ſibi univerſus populus ſolemniter ſtipuletur. Tunc omnibus permittenda erit ſententia decretoria circa exauctorandum primogenitum. Nam ubi populi voluntate, & definita Reipublicæ ſanctione, id decus committitur, ab illa ſola repetetur. Sive concurrentibus ad judicium omnibus; ſive Principe interpretante & exſequente: quæ ſaluti publicæ conveniunt. Certò tamen conſtare debet, animos excludendorum meram tyrannidem ſpirare; nec remedium proſtare huic malo, & præſentiſſimo periculo, ruinam civitatis imminere, ſi illi admitterentur. Tunc ob prædictas cauſſas, communio civium, & univerſitas, quæ ſibi judicium de ſucceſſione retinuit, præterire familiam Regis, & ſibi optimum quemque præficere, apta erit. In tali enim Republica, parum diſtat ſucceſſio ab electione, communiter ſic dicta. Quod expreſſè tamen reſtringimus ad caſum, quando cognitionem & cenſuram in vitam regiæ ſobolis reſervavit ſibi univerſa multitudo. In regnis abſolutis, quoties manſura pactione de ſucceſſoribus nihil cautum eſt, non puto primogenituræ eam efficaciam eſſe, ut filius jure aliquid poſtulare valeat: ſed omne arbitrium Patris voluntati permittendum erit. Quemcunque hic dignum habuerit, qui ſuccedat, legitimè cenſebitur electus; primogenito nequicquam jus aliquod allegante. Quanquam hic, niſi cauſſæ prægnantes adſint, raro ſoleat præteriri. Quemadmodum igitur populus, qui liber-

liberrimo suffragio eligendi facultatem habet, sine alterius præscripto Regem statuit, ac declarat, qui publico bono promovendo plurima polliceri videtur: ita quoque in regno, cujus habendi modus nullis cancellis coarctatus est, Princeps, qui nullo pacto dispositionis libertatem labefactavit, dignissimum filiorum sceptro admovebit. Securus naturalis, divini, gentium, aut cujuscunque alius juris. Eximiè huc pertinere videntur, quæ apud Livium Perseus fratri, affectati imperii accusato, opponit. *Frater*, inquit, *non commessantium in vicem jam diu vivimus inter nos: regnare utique vis. Huic spei tua obstat ætas mea, obstat gentium jus, obstat vetustus Macedoniæ mos, obstat verò etiam patris judicium. Huc transcendere nisi per meum sanguinem non potes.* Planè politicum de hac re judicium, si cætera sana mens delatori fuisset. Et vide quæso, quàm per momenta civilia excrescat oratio. Magnum erat allegare *ætatis prærogativam*, cujus reverentia moveri debebat frater. Sed cùm parum præsidii in solis annis positum sciret, obtendit *gentium jus*, & pervulgatam consuetudinem, qua primogenitus regni successor declaratur. Verum cum & hîc exceptioni locus pateret; quod nimirum aliis gentibus, cum Macedoniæ regno nihil commercii intercedat: auspiciis propioribus gubernandum id esse, nec aliis de regiminis forma, servili somnolentia atque vecordia, permittendam sententiam: controversiam fortius stringit, & MACEDONIÆ *antiquissimum*

allegat *morem*. qui ſatis ſufficiens erat decidendæ liti. Interim cum vetuſtiſſima quæque, quaſi longi temporis vitio antiquata, vel maximè diſputationibus fatigentur: præſentiſſimum argumentum opponit, PATRIS judicium. Non poterat certiori fundamento inniti oratio, nec veriori ſententiâ exprimi. Totum negotium à Patris Regis arbitrio tum dependet, cũi acceptam fert primogenitus eam eminentiam. Non enim tenetur præciſè alligare ſe pater electioni primogeniti: ſed aptiſſimum filiorum legit ſucceſſorem, vel minimũ natu. Quin intrepide aſſeram, vel negligi poſſe filios omnes, ſi Pater eos bonæ frugis non deprehenderit. Nihil debet filiis Rex pater, quoad regnum: ſicut civi eligendo, aut præterito, nihil debuit populus, liberrimè eligens: nulla proinde injuria, vel omiſſus civis, vel filius afficitur. Et eadem ratio, quæ in primogenito, in reliquis militabit. Id niſi concederemus Regi, nullis pactis alligato: plus poſſet populus ſine imperio, quam Princeps Majeſtate præditus. Si objicias; *aliquando patre nihil conſtituente ſuccedere filium, ſæpè poſtumum: vacillare ergo illud eligentis patris arbitrium*. Reſpondebo, id boni regis prudentiæ minimè congruere, ut in incerto ſinat eſſe regni ſucceſſorem: & adeò non inuſitatas eſſe de poſtumis proviſiones. Fac interim, nihil tale exſtare. Jam conſtare debet, affectum parentis in filium tantę virtutis eſſe, ut potius filium, quam extraneum imperare velit. Non magis filium ex ſe genitum optat

Prin-

Princeps; quam post se regnantem. Ille tenerrimus amor plerisque inest, ut sibi proximis assertum velint regium axioma. ne ipsi in suis vel contemnantur, vel patiantur injuriam. Inde igitur fit, quod filio, præ extero, decernat successionis prærogativam: neque hic præsumitur contrarium, nisi expresse disponentis sanctio id manifestissimè constituat. Si vel maximè igitur pater rex decedat, nihil decernens de filio successore, præsumitur solita in suos benevolentia: quæ præsumptio, naturali amore fundata, stabilitur exinde; quòd nihil adversus hanc decretum reperiatur. Quod verò primogenito imprimis faveat ille amor, inde proficisci quis putet: quòd hôc natô, si nemo alius filiorum nasceretur, unus erat, cui maximè collatum regnum optaret pater; & eô ipsô, quo natus solus est, hunc statim videtur nominare heredem, & destinare successorem. ne, si aliquid humanitus accidat, ad extraneum devolvatur imperandi potestas.

XVII. De *filio nato ante regnum* pluribus disceptant; si cum aliis, natis post acceptam patris regalem potestatem, concurrat; *num ipsi illi primogenito, an posteriori regis filio asserendus sit successionis honor.* Citra negotium posse decidi litem ex nostris principiis arbitror. Si Reipublicæ pactis aliquid fuerit conventum; his stabitur. Sin minus, indeterminatæ patris libertati & hîc electionem permittemus: & justus erit successor, quemcunque ille constituerit. Hæc præsumptio nato ante regnum favet. Nimirum cum pater eve-

 hitur

hitur in solium, filius adest. Certum est regem, si paullò post obire diem cogatur, unum illum ante regnum natum, relicturum esse hæredem præ extraneo. Hæc destinatio parentis videtur durare, etiam supervenientibus liberis, donec de contrariâ mente satis constiterit. Nam si princeps decederet, relicto uno filio, qui natus esset ante partum principatum; neminem, illo neglecto, successorem relinqueret. quod civili ratiocinationi minus videtur convenire. His positis fundamentis, tranquille componentur, quæ *de Patrui & Nepotis* successione, acerrimo argumentorum conflictu, disputantur. Intricata quæstio est, quod omnes fatentur, qui eam attigerunt. Initiò erratum esse ab auctoribus, puto, quòd ad hæreditatem, & jus debitum primogenito, alligaverint hanc disceptationem: confuderintque successiones civiles, cum imperialibus. Hoc fundamentum erroneum impeditissimam effecit disputationem. Cui accessere privilegia legis civilis, aliquando feudalis consuetudinis, cum successione regnorum nihil commune habentia. Loco fundamenti substernimus præcedentia, & dicimus; Patrem habere liberrimam potestatem relinquendi successionem, cuicunque voluerit: præsumitur interim favere primogenito, nisi contrarium probetur. Quare communiter eundem intelligitur anteponere cæteris. Hic autem primogenitus, licet à patre nominatus expressè successor, potestatem non habet, si ipsi adire regnum, non contingat, substituere alium: ita enim arbi-

arbitrium patri adimeretur, quod foret iniquum. Sed pater, mortuo primogenito, repetit pristinam electionis facultatem; cujus vigore fas est, sive filium, sive Nepotem ex primogenito, regali fastigio admovere. Quod si decedat rex, neutrum eligens, dicendum est, eligendi potestatem devolvi ad populum universum, vel eos, quibus à populo id commissum fuerit: hac restrictione, ut alterutrum sumant in principem. Pręsumitur enim pater filiis, vel tacitè prospexisse, ne extraneo postponantur. Quod si consuetudo regni aliqua sit, quæ litem dirimat: alteri tali conditione rerum, assignans imperium, hac standum est. Quòd si populus arbitrium electionis suscipere nolit, sorti poterit controversia permitti. Ita congrue explicabitur intricatissimum negotium.

XVII. Sed hactenus dicta intelliguntur de filiis, qui in legitimo & ordinario conjugio nati sunt: videamus de illis, quos naturales vulgò, & spurios, appellant; procreatos à principe extra matrimoniũ solemne. Hos plures pronunciant indignos sceptris, quin, non posse succedere patri, *quem nullum habere, ex lege civili, intelligantur*, palam docent. Cumulant plures rationes, adductis passim exemplis: quæ exclusionem urgere videntur. *Non ferri æquo animo à subditis horum imperium. Infames passim haberi, ob vilitatem natalium: quod infimo loco natam oporteat, quæ corpus prostituit. Hinc mala præsumptione eos onerari, quasi participes gentilium vitiorum. Hinc factum, uti di-*

gnitates, etiam minores, hominibus ejusmodi praeclusae sint; & ipsum jus successionis. Lege divinâ arceri à concione: & Aristotelis scito, extorres agere, remotos à civitate. Postulari hanc severitatem à Reipublicae incolumitate, quae matrimonia sanctè custodire jubeat: nec aliter refrenari libidinem principum, quam si ex tali concubitu nati, incapaces imperii judicentur. Nobis minimè videntur dictae rationes sufficere tantae rei emoliendae. Si negotium disceptaretur de personis privatis, aliquid momenti forsan facerent adducta: nunc in Regis personam vix illa cadunt. Neutiquam sermo nobis est, de vulgò quaesitis, & incertô patre editis; sed naturalibus, ut vocant, ex minus solemni matrimonio, seu concubinario congressu, genitis. Cadit igitur statim objectio, quod pater in incertô sit. Id enim de vulgò quaesitis, ex prostibulo natis, exaudiendum est. Nulla hîc est vilitas aut infamia natalium. Si quâ obscuritas matris adesset, splendore patris corrigeretur: qui tantae efficaciae est, ut infimis maximam dignitatem possit conciliare: ut personae servili, carceris situ squalenti, secundum à principe locum tribuat. Desinit vilis esse mater, quamprimum quocunque modo Regis uxor fuerit. Et isto argumento omnes tenui fortunâ natos, incapaces sceptri effeceris: & Davidem forsan perpetuò jusseris esse opilionem. Non semper ex vilioribus foeminis nascuntur isti homines: frequentissimè nobiliores matronae, virginesque pulcherrimâ formâ praeditae, huic operae destinantur. Suspicio, quae

quæ alium affligit, tertio jus aliquod non adimet. Mores, nec ſemper in optimorum parentum liberis, iidem cum majorum ſunt: nec ſtatim omnibus vitiis obrutus eſt Princeps, qui nuptias minus ſolemnes celebravit. Florebit aliis virtutibus politicis, licet hac maculâ laboret. Non deſiit CAROLUS V. memoriæ laudatiſſimę Imperator haberi, quamvis *Ioannem Auſtriacum, & Margaritam Parmenſem*, ex matrimonio non ſolemni ſuſtulerit. Nec eo minus *Henricus* IV. Galliarum rex, MAGNI cognomen retinuit: licet amoribus nimis quàm fuerit obnoxius. Et *Gramondus*, illuſtris Gallicarum rerum ſcriptor, principio hiſtoriæ ſuę, nævum illum *Henrici* excuſabilem putat; *quod non ſæviat, qui amat.* Quamvis nos ex præſcripto moralis virtutis damnemus hoc vitium in Principe: nihil deprehendimus tamen, quod ad ſuſtinendum imperium inhabiles reddat eo modo procreatos. Infamia, & jus dignitatum, atque ſucceſſionum negatum, in hominibus privatæ ſortis concedam: qui lege civili, diſponente de ſolemnitate nuptiarum, obligantur; & ſi contra fecerint, ſubjiciuntur pœnis, civili jure conſtitutis. De his quodammodo vera erit aſſertio, quod infames ſint propter parentes; quod ad dignitates non admittantur, non plenè ſuccedant. De Principis naturalibus, liceat ita vocare, aliter cenſendum. Infamia ſpurios premit privatorum: quia mater, publicè infamis ſortis eſt. Quanquam de Nothis id controvertunt civilis juris interpretes. Quis vero citra crimen

Majeſtatis infamé velit appellare Principem? infamia pœna civilis eſt: quâ non afficitur, niſi ſubjectus poteſtati civili. Sed Princeps ſuperiorem civilem judicem ignorat. Quia igitur pater non eſt infamis, neque filius talis cenſendus. Cumque privatorum natales poſſint reſcripto Principis legitimari: quidni vel edito partu, aut concepto homine, id voluerit Princeps, ne ſuus reliquis deterior eſſet? Quanquam legitimatione nullâ opus eſt, quia Princeps nuptiarum ſolemnitatibus haud ſubjacet: quare nec Naturalis eſt filius Principis; ſed ſemper legitimus, cum Princeps lege civili, quæ ejuſmodi natum aliis poſtponit, ſolutus agat. Et coërcenda erant, quorundam plebejorum hominum, qui Majeſtati regum infenſiſſimi ſunt, impura ora, evomentia *Nothorum & ſpuriorum* infames voces, quoties ejuſmodi filiorum mentionem faciunt. Magis clareſcit eorum conditio ex dignitatibus, quas hi tales ſuſtinent. Non impedimento fuit *Margaritæ*, Parmenſium duci, aut *Ioanni Auſtriaco* ejuſmodi ortus; quo minus regimen Belgii obtinerent, Regis nomine. Ita nihil obfuit *Iephtæ*, nativitas minus legitima, ne Judex Iſraëlitarum communi voto exoptaretur. Et videmus quotidiè tales *Principum*, & *Comitum* axiomate honeſtari: ut reliquos magnos viros taceam, quos enarrat TIRAQUELLIS, de *Nobilitate*, *cap.* XV. FREHERUS, *de Exiſtimatione Lib.* III. *cap.*XXIII. Succeſſiones competere iiſdem, exempla documento ſint Francorum, Hiſpanorum, Siculorum,

An-

Anglorum, Scotorum, paſſim nota. Omnes illegitimo modo regna occupaſſe, negant Hiſtoriæ. Lex divina, & Ariſtotelis conſilium; arcent privatos, aut excludunt civitate, non regum filios. Quin propriè de *vulgi quæſitis*, qui patrem ignorant, explicanda lex divina eſt. Sanctè haberi matrimonia, pietas omnibus ſuadet: ſed propterea imperium nullum habemus, quo cogendus ſit Princeps; cujus libido noſtris argumentis non compeſcitur. Si infamiam irrogare velint ſubditi nato ex non ſolemni matrimonio: judicium ſibi arrogarent in principem; quod citra abſurditatem nunquam contingit. Nos concludimus: *Poſſe Principem, qui pactis fundamentalibus, prohibentibus ſucceſſionem Naturalium liberorum, non alligatur, pro libertate denominationis, etſi adſint legitimi, primogenitum ſuum, extra ſolemnes nuptias natum, deſtinare ſceptro & propter dotes politicas, reliquis liberis præferre.*

XVIII. Deficientibus liberis *Agnati* ſuccedunt, ſecundum graduum prærogativas, quo ſuperſtitem contingunt. Ex eo fundamento, quod remotiores potius, modo ipſi aliquo ſangvinis nexu cohæreant, quam planè extraneos velit ſuccedere: ut, ſi non in liberis, ſaltem in conſanguineis regnet. Succeſſio ex *conventione* varia eſt. Conſtituetur aliquis ſuccedendi modus per *Pacta Gentilitia*, eâ lege inita, ut alterius ſtirpe extincta, ad alterum principatus perveniat. Videntur exempla crebra eſſe in Imperio Germanorum. Confraternitates dicuntur. Imperatoris tamen appro-

batio accedat hic, necessum est; & aliquas pactiones ab illo infirmatas novimus: quòd Principes Imperii jure absoluto non imperent. Cùm autem hâc ratione territoria transferantur; non summum Imperium: dubitare quis poterat, quare hæc pacta inter modos consequendi Majestatem referantur. Interim ad similitudinem harum conventionum, etjam regnorum successiones posse attemperari, nihil absurdi habet. Ex titulo DONATIONIS quoque successio datur: & *testamento* acquiri regnum, dubio caret. Quamvis, ut rem novam in Unguino id notet CRANZIUS, respiciens nempe mores Norvagiorum. In his omnibus intelligenda est Electio, peracta à Rege, absolutissimè regnum habente. Eligit quippe Donatarium, aut hæredem, aut illum confratrem: hæc enim nomina Electionis species sunt. *Connubiorum* quoque Jure deferuntur sceptra: quorum plerumque hæc meta. *Quis sit connubiorum finis nemo nescit: verùm homines potentiæ cupidi, ad alium ferè finem referunt; eoque utuntur tanquam instrumento firmandæ suæ potentiæ: sicut de Hierone observat Polybius*; verba sunt ISAACI CASAUBONI *in Comment. ad Polyb.* Hoc modo iterum Electio subest, cum cessione; quando maritus eligitur à Reginâ, & illi conceditur majestas, qua se abdicat uxor. Quare interpretanda hæc sunt, ad normam eorum, quæ supra de abdicatione & cessione diximus; quæ similiter obtinent in Donatione, si à vivo Rege donatum sit regnum.

XIX. Ab-

XIX. Abſolvimus acquirendi Majeſtatem modos, poteramus ad alia rectà tranſire, niſi videremus dictis modis, conſequendi Imperium, à plurimis annumerari Præſcriptionem, quâ temporum decurſu poteſtas quæri perhibetur. Paucis ergò videamus, quantum eadem conferat imperio. Præſcriptio reſpicit Subditos, vel Extraneos acquirentes. De ſubditis planum eſt negotium, iis nullam præſcriptionem competere, nec hâc imperium acquiri, tuto affirmabimus. Omnia deſunt, quæ alias neceſſaria ſunt in Præſcriptionibus. Principiò *Subjectum præſcribens*, quà tale, non eſt capax rei præſcriptæ. Præſcribit ſubditus, qui capax non eſt imperii. quatenus ſubditus eſt, obſequium præſtat, omni imperii poſſeſſione deſtitutus. Non unam inhabitant perſonam Majeſtas & obſequium: qui altero inſtruitur, altero caret. Qui obſequium debet, nec Majeſtatem habet, nec præſcribit. Servus contra dominum hoc jure non utitur. *Objectum* quoque præſcribendum, ob rei qualitatem, ceſſat. Excipitur ſolemniter, quicquid in commercio non eſt. Nam Præſcriptio eſt adjectio dominii: dominium, niſi in res, quarum commercium eſt, non conceditur. Majeſtas igitur, cum in commercio non ſit, ut poſſit ultro citroque diſtrahi & acquiri; nulli ſubjacebit præſcriptioni. Rectè dicunt JCti: *Quæ non ſunt conceſſibilia, non ſunt præſcriptibilia.* Obſtat porrò *abſentia formæ*, quæ in POSSESSIONE conſiſtit. Quod in commercio non eſt, haud poſſidetur à privato. Quod ſeparari à

Principe nequit, minimè occupabitur à subdito. Quare, cum cesset possessio, cessabit quoque præscriptio. Tantum enim dicitur præscriptum, quantum possessum. quâ de caussâ *continuam possessionem* requirunt Doctores. Ipsa possessio legitimari debebat *Bona Fide*, & *Iusto titulo*. Exulat bona fides, quoties clam & furtivis artibus, aliena invadimus. Non ignorabant subditi suam sortem: quòd nimirum subditi sint, imperium nullum obtineant, sed obsequium debeant superiori. Hæc ubi dissimulant, malâ fide alterius bonis injiciunt manum. Unde verò titulum habent, verum, translativum dominii? Transferri debet res præscribenda: imperium in subditos eâ conditione nec transfertur, nec transferri potest. nullus præterea *titulus* allegatur; nec transferens ullus præstò est. *Tempus* etiam solet lege definiri, quô absolvatur pręscriptio, collatura dominium. Sed qua lege regnis acquirendis præstitutum tempus est? Non civili jure: quia secundum hujus dictamen, Majestas in commęrcio non est. Non Jure Gentium: quia nulla extat constitutio, quâ tempus determinetur, aptum imperii præscriptioni. Jus naturale tacet. aliàs omnium pectoribus impressa foret certa & immutabilis usucapionis observantia. Et quid legem hanc in juribus quærimus? Jus non est caussa imperiorum efficiens: nec potest eadem auferre, & aliis tradere. Juris divini dispositio valeret; si quam possent adducere formulam, definientem tempus tantæ efficaciæ, ut non possidenti Majestatem

ſtatem, eandem conferat. Solius cauſſæ principalis eſt, conferre facultates & adimere. Princeps, quia dominus eſt civitatis, inſtituit dominia, & modos acquirendi eadem præſcribit. Hic ſolus præſcriptione poteſt adimere, quod alterius erat dominium. Ita Deus poſſet adimere Principi jus, & alii tradere: quamvis præſcriptio ad tranſlationem non ſufficiat. *Effectus* pariter abſurditatem prodit. Id operatur uſucapio, ut præſcribens, in rem præſcriptam, verum & plenum dominium nanciſcatur. Num verò in imperium datur dominium? Imperium in dominio eſſe, negabunt omnes, qui utriuſque vocabuli vim ſatis capiunt: contra ea affirmabunt ſubtili argumentatione, ſub imperio latere dominium. *Finis* privatæ præſcriptionis, *ne dominia in incerto ſint*; hîc non attenditur.. Princeps habet Majeſtatem, certus ejuſdem poſſeſſor eſt, & omnia jura indubitatò exercet. Non igitur poterit incertum eſſe, cui jus regnandi integrum adhęreat. Nulla cauſſa hic ſubeſt controverſiam excitandi: quod ſubdito non conveniat diſputare de poteſtate Principis, ipſive cauſſam ſtatus movere. Quæ omnia ſatis luculenter probant, ne immemoriali quidem tempore, præſcribi à ſubditis Jura Majeſtatis.

XX. Sed hæc noſtra forſan, quoties cum ſubditis Principi negotium eſt, difficultate carebunt, & facili conceſſione dabuntur ab eruditis: qui negabunt interim hæc procedere, quoties extraneus territorium poſſidet, quocunque modô occupatum, & præ ſe fert uſucapio-

usucapionem, quâ tueatur imperium. *Extraneus subditus non est, capax igitur imperii censebitur: quod actualis possessio magis roborat. Quanquam Majestas extra commercium sit, & subdito communicari haud possit: malè interim negari, provinciam aliquam posse à reliquo corpore abstrahi, in quam imperium diutinâ possessione confirmabitur.* Huc faciet finis, *ut controversiarum sit aliquis terminus: ne perpetuis bellis vicina regna involvantur. Reliqua forsan in privatorum præscriptionibus locum mereri, non in extranei acquirentis imperio.* Concedamus, extraneum majori probalitatis specie occupare regnum, quàm subditum: interim Descriptio Usucapionis alia danda est, quæ extraneo Majestatem asserat. Nam hactenus essentialia præscriptionis ne in extraneo quidem deprehenduntur. *Possessio*, inquiunt, *adest, forma præscriptionis.* Respondemus, possessio justa, quæ bonam fidem, & sufficientem titulum allegat, præscriptionis formam dicant. rapta, vi possesa, excluduntur ab hoc beneficio. Quamprimum titulum translativum habebit, non indigebit præscriptione. Si justo bello quæsita provincia est, imperium habebit victor: non usucapione demum acquiret. De quibus mox: nunc videamus saltem adversæ sententiæ fundamenta. GROTIUS, & qui defendunt præscriptionem publicæ rei, urgent maxime incommoda, prementia negativam nostram sententiam: nullo futuro termino civilis sanguinis. *Atque id si admittimus*, inquit *Grotius* Lib. II. c. IV. n. I. *sequi videtur*

videtur maximum incommodum, ut controversia de regnis regnorumque finibus nullo unquam tempore extinguantur: quod non tantum ad perturbandos multorum animos, & bella serenda pertinet, sed & communi Gentium sensui repugnat. Et n. VIII. *Tum verò imperia tandem aliquando in certo, & extra controversiæ aleam constitui, humanæ societatis interest; quam quæ adjuvant conjecturæ, favorabiles putandæ sunt.* Rationes, quibus præscriptionem tuetur, conjecturis absolvuntur. Nimirum probabile est, scientem rem possideri ab alio, si taceat, consentire possessioni. unde derelictio præsumenda est: præsertim si tempus, memoriam excedens, silentium stabiliat. *Adversus præsumptionem, quâ quisque sua servare velle creditur*, inquit dict. n. VIII. *validior est altera, quod credibile non est, quemquam ejus, quod vult, longo tempore nullam planè edere significationem idoneam.* Sequenti numero ad Jus Gentium pergit. *Ac forte non improbabiliter dici potest, non esse hanc rem in solâ præsumtione positam, sed jure Gentium voluntario inductam hanc legem, ut possessio memoriam excedens, non interrupta, nec provocatione ad arbitrum interpellata, omnino dominium transferret.* Manet interim verum auctorum, in adversam sententiam euntium, assertum; *locum non habere præscriptionem imperiorum: quod tempus ex suapte naturâ vim nullam effectricem habeat. nihil fieri à tempore, quanquam nihil non fiat in tempore.* Tempus non tansfert jura; sed superior disponit dominiorum amissiones,

ones, certo tempore valituras. Hic superior deest, ubi de imperio præscribendo sermo est. Id fortean operabitur diutina possessio, ut excludat non possidentem. Hoc enim facilè largimur, neminem posse imperium petere, quod tempore immemoriali non habuit. absurdè simularet jus in rem nunquam possessam. Quod si hoc saltem volebant, nulla nobis est controversia. Non vero extendenda concessa conclusio est, ut dicamus, *repulsionem petentis esse collationem imperii*; aut, *præscriptione acquisivisse possidentem Majestatis jura.* Hoc enim impugnamus. Non sola & nuda possessio diuturna removet petitorem; sed imperium, jam dum ab alio occupatum, & tanto intervallo habitum. non demum acquiritur possessione: hâc solum arcetur agens, quem præsumptiones onerant, nulla fovet. Hoc efficit conjectura; Petenti nullum jus competere, qui nunquam possedit. interim hâc viâ non accipit possessor imperium. De Jure Gentium satis frigidè disputatur hoc loco. Si Jure Gentium præscriptio valet, verba illa dubitantia omittenda erant. Non, *credibile* est; sed certis & necessariis principiis constat, quicquid Jure Gentium sancitum est. *Forte*, *non improbabiliter*, de rebus incertis disputamus; non de illis, quæ jure constant. Consensus Gentium facti est, non præsumptionis, constare ergo de eo debet, nec conjecturis ejus certitudo temeranda est. Multa gentium juri attribuuntur, quæ longissimè ab hoc fonte absunt. Consensus solus haud sufficit rei alie-

næ

næ transferendæ: quem aliqui exempla vix probant. Et nimis confundit meus GROTIUS, *imperium* atque *dominium*. De dominio acquirendo aliquid usurpent populi consuetudinis; imperiorum præscriptiones sancire, gentium non est: quæ nec dare, nec adimere imperium possunt. Præscriptio, tradens dominium, vel imperium, ab eo trahat ortum, cui dominia,& imperia dare,atque repetere fas est. Fundatur Auctorum Præscriptio solâ præsumtione, pro derelicto haberi imperiũ, quod longo tempore nemo repetiit: quæ conjectura rejicit quidem extraneum affectantem imperium; sed possidenti illud minimè confert. Non est periculum, ne perpetuis bellis involvatur, exerceaturque Respublica, si non concedatur Præscriptio. Nam ipsa diutina possessio satis valido oppositu invasorem repellit. Non asserimus, jus competere assiliendi civitatem neglectam, aut nunquam possessam: sed hoc tantum negamus, *Præscriptione acquiri imperium.*

XXI. De totâ re breviter ita arbitrandum. Quamprimum occupator & invasor Majestatem possidet, excluditur pristinus imperans. Duo in solidum Majestatem non participant. Quamdiu Princeps majestatem habet, alius nemo eandem ad se trahit: quando vero alius posside, jam alter amisit. Dicunt; *Possessione diuturnâ præscribi imperium.* Dicimus, eo ipso, quo posside tur Majestas, supervacaneam esse præscriptionem; quia jam actu habetur imperium. Aliud in præscriptione dominii

nii civili contingit; licet aliquis poſsideat rem, non ſtatim habet dominium; quod amiſſa re dominium alteri ſervetur integrum. Aliud in imperiis obtinet, quorum poſſeſsio totum negotium abſolvit: nec expectatur legitimum tempus, quod ſuperaddat dominium. Quocunque tandem modo quæſitum ſit imperium, quia habenti adeſt, alteri non competit amplius. Occupatio bellica, ſi vel maximè ſit injuſta, id efficiet, ne requiratur uſucapionis beneficium. Qui vi tenet regnum, etiam tenet. Qui actu poſſidet, non opus habet novâ acquiſitione. nam illa, quæ habemus, non acquirimus. Sive igitur taceat pridem-poſſeſſor, videtur donaſſe imperandi facultatem; ſive bello petat invaſorem: tamdiu retinet ille imperium in ſubjugatos, donec pari vi, aut pactorum conditionibus, iterum amittat. Nec injuſtitia cauſſæ imperium tollit; quia hoc ſemper à Deo; non à bello eſt, licet per bellum. Sæpe enim caſtigat Deus ambitioſorum tumultibus ſceleratam multitudinem. Exemplo ſit defectio decem tribuum Iſraëlitarum, conſtituentium Jerobeamum Regem, & rejicientium Rehabeamum, regni deſignatum hæredem. Malis artibus habebat, regnum Jerobeamus: ſed quia habebat non opus erat præſcriptione. Et hæc à Domino facta eſſe, Sacræ Litteræ teſtantur. Quod ſi tamen injuſtitia invaſoris manifeſta ſit, vel perpetuum bellum geretur ad repetendos ſubditos; nec illa continuata geſtio, quicquam moraliter malum continebit: quod facilè largientur contradicen-

centes. Nam contra occupatorem justè bellum geritur : nisi expressa Dei interdicta id vetent. Sed hæc de primo possessore, qui exutus est possessione, intelligenda sunt. nam post natis fas minimè est, bella excitare, quum antecessores sederint, & silendo approbaverint invasionem; negligendoque vindictam subditos pro derelictis habuerint. Posteris nullæ vindiciæ competunt: quia nondum natis nullum jus adimitur. Quamvis hæc alia quæstio est, de justitia belli contra invasorem, pertinens ad Jus Gentium: de quâ materiâ, Deo propitio, alibi erit agendum.

CAPUT. X.

DE

MODO HABENDI MAJESTATEM.

XIII. *Lex fundamentalis, non est Majestas realis.*

XIV. *Origo, Duratio, Fundamentũ examinatur.*

XV. *Majestas Realis nec superat Personalem, nec punit.*



Erump. Monarchicum genus consortis impatiens est, & in civitate unâ plures potestates regnatrices ignorat. Gaudet imperantis unitate: accedente socio imperio, vel mutatur, vel perimitur. Non uno interim ęquabili tenore procedit ubiq; ;nec sibi similem speciem semper servat, aut omnibus ostentat. Dantur regna, quæ omne arbitrium, quidlibet statuendi permisere principi: qui vim dominandi, nullis legibus, conventisve adstrictam, liberrimo nisu exserit: & quicquid è re publici egregii sperat fore, sine cujuscunque intercessione, aut consensu, determinat atque designat. Plurimæ quoque civitates moderata imperia sibi fecerunt; ausæ, quasi aggeribus positis, regnantis potentatum coërcere; ne in infinitam licentiam, & suis injuriosam, exundaret. Jamdudum est, quod Europæ potentissimi populi, deprecati sunt sceptra, nullis vinculis alligata. Sive intractabilis bellicosæ gentis ferocia adstrictum gubernatoris repagulum pulsavit, & severę dominationis excussit jugum: sive generosa sublimioris spiritus libertas, servilem conditionem indignabunda detestata est: sive procerum ambitio, imperia regum, quibus excludebatur,

tur, imminuere satagens, Principis operationes in multis inhibuit ac sufflaminavit. Quæcunque caussa subsit, non ignobile invenimus argumentum exercitationis, in Modo habendi Majestatem: cujus cognitio, Majestati sincerè apprehendendæ multum servit.

II. Duplici autem modo habetur Majestas; uno, *absolutè*; altero, *limitatè*. Gradus quidem hic intercedunt: sed absolutissimum habendi genus est, quod perpetuam & illimitatam potestatem indulget imperanti; tum liberrimam administrationem jurium Majestaticorum, & arbitrariam dispositionem de futuro successore, permittit. DOMINATUM vocamus hanc illibatam Monarchiæ virtutem, nec tempore determinatam, nec coarctatam conventionibus, quæ libero exercitio Majestatis detrahunt. Nimis frigidè hanc materiam tractant, qui *privati lucri cupiditate & studio*, absolvi credunt Dominatum. Hunc autem quomodo à Tyrannide, quam itidem privatâ utilitate definivit Philosophus, discernant, non habebunt. Solemnes sunt, & inevitabiles ejusmodi errores iis, qui quodlibet commune prædicatum, ab *Aristotele* positum, pro accurata definitione venerantur. Dicerem ergo, Dominatum esse Monarchiam perpetuam & absolutissimam, non saltem quoad denominationem successoris; sed maximè quoad potestatem, & continuum imperii in personam, quà operas imponit, & præsertim dominii eminentis, exercitium. Non circumscribi temporis spatio, cum limitato quidem

dem regno commune est dominatui. nam hactenus quælibet Monarchia habet aliquid absoluti, saltem quoad durationem, aut propriam possessionem potestatis, si non quoad potestatis exercitium. Dispositio quoque de successore, quæ sub *alienandi* titulo aliis comprehenditur, quamvis & limitatæ potestati competere queat; conspicua tamen maximè est in *Dominatore*; qui de subditis, ad alium transferendis; aut Dominum, suis provinciis, omnibus, vel aliquibus, imponendi plenissimam facultatem habet. Princeps autem nota Dominatus est, liberius exercitium Majestatis in personam & bona subditorum: quorum corpora pluribus operis gravantur, & bona quotidianæ repetitioni patent. Notissimum est, quam addictè regnentur, à priscis inde temporibus, Orientis populi: quorum capita & fortunæ nimis durum patiuntur jugum. Vix est, ut privatis possessoribus aliud, quam detentorum & custodum nomen tribuas; cùm quamlibet substantiam ad nutum domini dimittere teneantur. Atque adeò Dominatum frequenti usu Dominii eminentis, citra caussam publicam & extraordinariam, delinearem. Nam quod *Grotius* III. XIX. VII. censet; *jus illud supereminens non promiscuè competere, sed quatenus communiter expedit, in regimine* non dominico, sed civili, *etiam regio:* admittendum nullo modo est. Si jus supereminens, Majestatis jus est, Dominatui competere debet: in quo imperatoriæ facultates, earundemque perpetua usurpatio, perquam insignes sunt & nota-

notabiles. Cognatæ habitudinis est *Regnum absolutum*, quò regimen indefinitum, & jus alienandi conceditur. Nihil quidem confert alienandi facultas vel juri, vel exercitio Majestatis; cum Electitia regna possint esse absolutissima: liberior interim habendi modus est, quoties Principi licet in alium prolubitu spem successionis conferre. Conjicienda in hunc locum est materia *Alienationum*, ut vulgò dicitur: cæterum quod GROTIUS habet de *pleno jure proprietatis, & patrimonio regnantis*; salvis principiis civilibus, admiserim nunquam: nisi hoc loquendi genus, leniori interpretatione, ad commodum sensum transferatur. Proprietatis nomen ad res, quæ in dominio sunt, pertinet: ad Majestatem non extenditur. In eo autem differt regnum absolutum à Dominatu, quod subditis non adeo gravis incumbat rex, & privatis mansura dominia conferat. Proximum his absolutissimis Monarchiis est Regnum Electitium, cujus potestas nullo vinculo pactorum sufflaminatur. Quamvis enim imperans de successore nihil possit statuere: regimini interim modus haud est positus.

III. Imo in hunc censum referam imperium tempori alligatum; ut præstituto & definito spatio quiescat. quale habuerunt *Dictatores* Romanorum, & Græcorum *Æsymnetæ*. Serio removenda est Politicorum opinio, arbitrantium; *perpetuitatem referendam esse ad naturam Majestatis; & ideo temporario imperio gaudentes, magistratus & administratores appellandos*

pellandos esse. Facile largimur, sublato interregno, vel dictaturâ deposita, Majestatem interregi, & pridem Dictatori, nullam constare. Idem judicamus de Græcorum Æsymnetis, & si qui alii hujusmodi occurrunt imperantes, quos summa potentia & auctoritate prędito s, temporis præfinitum spatium ad privatæ sortis stationem reducebat. Deposito nimirum imperio, nihil restabat nuper regnantibus. Hos tamen, durante regimine, *administrasse saltem majestatem, suo quemque modo, non ut propriam possedisse, cum ipsius regni esset*; minime concedam. Ex Romanis monumentis certum est, unum dictatorem exercuisse omnia jura, sine cujusquam intercessione: permisso quidem, sed non collato à populo imperio; & jam usurpato propriis auspiciis, ad nullius arbitrium, aut ductum. Quantę fuerit dignitatis olim Dictatura, vel unius *L. Papirii Cursoris*, cum universo populo contentio, documento sit apud *Livium* L. VIII. c. XXXI. conf. III. Reus agebatur *Q. Fabius Maximus Rullianus*, Magister equitum, quod spreto imperio Dictatoris, cum Samnitibus congressus erat. Nihil patris senioris ætas; nihil frementis exercitus, & tantum non tumultuantis, clamor profecit, quo minus à lictoribus jam spoliaretur Magister equitum. Nihil auctoritas senatus movit irritatum Papirii animum. Frustra Tribuni plebis appellati: frustra provocatum ad populum est. prævalebat Dictatoris summum imperium. Donec *oranti universo populo, & Tribunis precarium, non justum*

auxilium

auxilium ferentibus, reus donaretur. *Aristoteli* quoque Æſymnetarum Monarchia, quæ Romanorum reſpondet Dictaturæ, inter Tyrannides refertur. hoc eſt, inter abſolutiſſima regna. nec aliâ differentia ſeparatur à Barbaricâ tyrannide, ſeu Barbarorum illimitato regno, quam quod non ſit patria, vel avita. Ita philoſophatur L. III. Pol. c. xiv. *Eſt autem hoc Monarchiæ genus plane tyrannis optiva, ſeu ſuffragio & conſenſu populi delata: quæ à barbarica tyrannide differt, non eo, quod non ſit legi conſentanea: ſed eo tantum, quod non ſit avita, neque patria. Hoc autem imperium obtinebant alii per omnem vitam, alii uſque ad præfinita tempora, & ad certas res gerendas.* Concludit: *Hæ igitur Monarchiæ & ſunt, & erant, propterea quia ſunt tyrannicæ, heriles & dominorum propriæ: ſed quia ſunt optivæ, populique ſuffragio deferuntur, & quia in voluntarios uſurpantur, regales.* Sanè tempus extrinſecum accidens, intimam conſtitutionem poteſtatis non penetrat. Non minus homo eſt, qui horam vixit, quàm qui ſeculum implevit. Operationibus quoque ſolis nolim credere: quod ſciam, ſæpe diſſimilia principia cognatas actiones producere. Ipſa natura rei à priori ſcrutanda eſt, & quærenda eſſentia: quę cum in Majeſtate ſit ſummitas poteſtatis, nemini ſubjecta; & hanc inveniam in dictatore, Majeſtatem palam agnoſco. In hoc enim latet indoles imperii ſummi, ne actus civiles alterius ſubſint arbitrio, quo damnari & irriti poſſint fieri. Non me latet, plures doctiſſimos viros

contrariam defendere ſententiam: ſed in eô videtur occaſio lapſus fuiſſe, quod arbitrati ſunt; *poteſtatem Dictatori à populo commiſſam eſſe ad certum tempus, & illum adeò curatorem & exſecutorem fuiſſe alienæ Majeſtatis; quemadmodum vicariis integri regni à regibus ſolet credi adminiſtratio.* Verùm longe diſſimilis eſt hæc poſtrema commiſſio electioni Dictatoris. Rex in vicarium, præter exſecutionem, nihil confert: ipſe retinet imperium, valiturum ſingulis momentis in vicarium. Dictatori autem à Deo immediatè, niſi quatenus modus eligendi ab arbitrio multitudinis concurrit, poteſtatem Monarchicam ſummam collatam eſſe, mihi perſuaſiſſimum eſt. quod majus imperium acceperit, quàm univerſus populus unquam habuit. In hoc enim ſuperat Dictatoris jus, quod populus *in univerſos* nullum imperium habet; quale Dictatori prorſus aſſerendum eſt. Tribunorum interceſſionem, auctoritatem Senatûs & Conſulum, qui præcipui Magiſtratus erant, & reliquos privatos omnes, ſub Dictatore fuiſſe, Hiſtoria docet. Illud autem mihi indubitabile ſignum Majeſtatis eſt, ſi unus omnibus, ac univerſis imperet. Si ſupra dictas preces populi univerſi, ad conſilium, & leniorem imperandi viam interpreteris: minus cum *Livio* tibi conveniet. & multum poteſtatis ſuæ prodegerit populus, quod provocationem impediri paſſus eſt. Quod ſi rogantibus univerſis nihil indulſiſſet, & illi vi uſi eſſent; præter vim nihil agnoſcerem. Juſto titulo acceperat imperium, quod, niſi

nisi injustè, non oppugnabitur. Contradixerit aliquando factiosus Tribunus; sciverit aliquid de imminuendo Dictatoris imperio plebs: quasi non contigerint similia vel circa regum Majestatem, quæ interim vera Majestas manet. Quod si posteris temporibus infracta est Dictatura: nomen pristinum mansit; res abfuit. Et tunc *ducem* saltem habuerunt, & *primum magistratum*, cui ex pacto permiserunt moderatum regimen. Interim antiqua Dictatura revera exemplum est temporarii, sed summi & absoluti imperii. Nisi quod hæc temporaria duratio fuerit in manu & voluntate possidentis. Sola enim religione jurisjurandi tenebatur: quo vinculo neglecto si retinuisset imperium, à nemine poterat exauctorari. Revera præditus erat imperio, & non iniquo modo instructus initiò, licet sequuta retentio esset injusta. Itaque *Sulla*, nisi sponte cessisset tandem, deponi justè nunquam potuisset. Temporarium ergo imperium facit pacti vis, & promittentis fides; non populi potestas, imperantem elapso tempore destituendi. Dictatoribus verò nolim adjungere Tutores infantis regis. Hi enim sunt administri, non imperantes proprio nomine.

IV. Ad limitatum imperium referimus regnum, quod circumscriptam habet regiminis formam: quando certis conditionibus in solium admittitur regnaturus, & per determinata pacta atque juramenta civibus promittit, ad quæ ex officio, aut jure alio, non teneretur obstrictus. Hîc principiò contemplabimur;

 num

num tale quid in re civili occurrere ſoleat citra injuriam Majeſtatis. Vidi, qui inficiarentur, conſtare pacta, quibus deminuitur poteſtas Principum. quòd *hæc cælitus oriunda, incunabula ſua Deo debeat; ideò abſonum eſſe, divinum factum humanæ exponere libidini, quæ profanâ decerpat manu, quod attrectare nefas erat.* Pernegant ergo, poſſe conſtare pactum, quô circumſcribitur imperii amplitudo, à Deo deſcendens, eidemque ſoli ſubdita. HOBBII verba ſunt. *Monarcha ſi quid promiſerit civi, vel pluribus ſimul civibus, propter quod ſummum imperium exerceri non poteſt, promiſſum illud ſive pactum, juratò vel injuratò factum, irritum eſt. Pactum enim eſt juris tranſlatio, quæ per ea, quæ capite ſecundo, ar. 4. dicta ſunt, requirit ſigna idonea voluntatis in transferente. Qui verò ſufficienter ſignificat voluntatem retinendi finem, ſufficienter declarat, ſe non decedere de jure ad media, ad eum finem neceſſaria. Jam verò qui promiſit aliquid neceſſarium ad ſummum imperium, ipſum tamen Imperium retinet, ſatis idonea ſigna dat, ſe non aliter promiſiſſe, niſi quatenus ſummum imperium ſine eo retineri poteſt. Quandocunque igitur apparuerit id quod promiſſum eſt, præſtari non poſſe, ſalvo ſummo imperio, promiſſum pro non promiſſo, id eſt, invalidum cenſeri debet.* Sed uſus obſervantia contrarium probavit, & quotidiana experientia dictis adverſatur. Videmus enim in laudatiſſimis Rebuſpublicis pacta reperiri, quæ probabilem & ſpecioſam cauſſam ſecum habent. Concedendũ igitur fuerit, conventio-

ventionem inter Principem & subditos posse celebrari. quippe quod jam reverâ est, id esse potuit. Prolixè aliqui Politicorum occupantur, ut ex historiarum serie demonstrent, omnia regna limitationes suas passa esse. Id licet minimè credamus: consignatas tamen litteris Germanorum, aliorumque pactiones inficiabimur nunquam. Interim adversę Scriptorum sententiæ sub distinctione respondendum est. Aut enim limitationem capiunt, *de restrictione potestatis, quoad actum primum*; quasi extinguatur in se summum imperium quoad aliquod jus: aut intelligunt *exercitii suspensionem, & omissionem:* qua competens potestas in actum secundum non deducitur. Priori sensu rectè negant, Majestatem ipsam constringi, aut ullam particulam potestatis pacto everti. Nunquam enim probaverim Magni GROTII sententiam; *in ipsum jus, seu facultatem imperii, obligationem cadere. Fatendum est*, inquit, *id ubi fit, arctius quodammodo reddi imperium, sive obligatio duntaxat cadat in exercitium actus, sive etiam directè* in ipsam facultatem. *Priore specie actus contra promißum factus erit injustus, quia, ut alibi ostendimus, vera promissio jus dat ei, cui promittitur: altera autem specie erit etiam nullus defectu facultatis. Neque inde tamen sequitur, ita promittente superiorem dari aliquem; nullus enim actus non redditur hôc casu ex vi superiore, sed ipso jure.* Obligationem hanc, quæ cadit in facultatem, non temerè concesserim. Sic enim non erit Majestas in suo exercitio limi-

 tata,

tata, ſed quoad eſſentiam ſuam manca & deſtructa. Quod impedit facultatem, tollit aliquod jus Majeſtatis: quod citra totius interitum non accidit. Nam ut conjunctim habeatur Majeſtas, hoc eſt, ut omnia jura adſint, nec ullum deſit; id verò eſſe de definitione tam ſimplicis, quàm miſtæ Reipublicæ, auctores communiter docent. Quò ſenſu dicitur in indiviſibili conſiſtere Majeſtas: quod non liceat decerpere aliquod jus, proprium, & eſſentiale, niſi corruptum velis integrum. In ipſam facultatem imperii non penetrat ulla externa vis: nec poteſt ullo pacto tolli, quod Majeſtati eſſentiale atque perpetuum eſt. Populus igitur nullâ ratione imminuit ſuis conventis Poteſtatem; neque ipſe Princeps adeo contra eam moliri quid aptus eſt. Non ſecus ac homo alteri promittit, ſe non locuturum certo tempore: omittet vi pacti ſermonem, non in ſe extinguet potentiam loquendi. Citra operam humanam Majeſtas Principi contingit: & ideò humanę reſtrictioni haud ſubjacet. Sed quò minus actus ſecundus imperii, illa actualis exercitii uſurpatio, ſemper ſe exſerat, id uſuvenire poteſt. Id forſan largiri poſſis, alicujus juris adminiſtrationem ad Proceres transferri, & de hâc tranſlatione publicè ſolemniterque caveri: ſed tum non tollitur jus aut extinguitur; ſed ſano ſenſu communicatur & ſervatur in Republicâ. Transferri poterit aliquod jus, non impediri, non annihilari. De quâ tamen communicatione non videtur loqui GROTIUS, cum illam in ſequentibus tractet.

tractet. Quod si igitur de *Exercitio Majestatis restricto* loquantur Scriptores, neutiquam illis assurgam. Traditur sanè potestas divinitus, nec potestati derogare possunt humana pacta: interim ut suspendatur exercitium datæ cœlitus potestatis, non videtur esse absurdum. Ipsam Judaicorum Regum potestatem, in operationibus suis, aliquando cancellis circumscriptam fatebitur, qui contextum ejus civitatis fixis oculis spectare sustinebit. Adhæc imperii modum, quando absolutè etiam regnatur, statuere, non boni tantum principis, sed prudentis simul est. Majestas quidem agit secura, & detruncationem nullam metuit; quod in imperii sacra nulla humana vis pertingat. actualis interim jurium usurpatio sufflaminatur. Exercitium terminatur: non extinguitur aliquod Jus Majestatis. *Pactum omne translationem juris esse*, generali nimis, & ambiguâ pronunciatione dicitur; quam sensu *Hobbiano* non semper concesserim. Quoties de non exercendo jure convenit inter Principem & populum: non statim id ipsum imperium, de quo intercedit pactum, transfertur in populum. Nec opus est, ut de toto summo imperio capiamus, quod secundum partem intelligendum erat. Sanè si daretur aliquod pactum, quod universum imperium sufflaminaret, quin irritum foret, nemo ambigit. Si enim tam fanatica multitudo fingi posset, quæ se non aliter electuram Principem profiteatur, quam si promittat prius designatus eligendus, se nullum jus Majestatis exercere vel-

le; stolidissima foret stipulatio, & promissum sine obligatione. Electus enim consequeretur Majestatem, quæ omnino iners & otiosa nunquam sedet. At verò de aliquô moderatô regimine concepta promissa; puta Principem ultra consueta onera non gravaturum subditos, non gesturum bella sine optimorum consensu, & similia, ne quidem Exercitium Majestatis impediunt, sed saltem limitant: nedum ut ipsam facultatem imminuant. Quod si necessitas ingruat, quæ doceat pacti illius rationem haberi non posse, nisi cum detrimento Reipublicæ: non incongruum censebitur, transilire conventionis limites, & laboranti rerum summæ succurrere. ne salutariter excogitata, in perniciem publici boni expetant. Ex hoc verò singulari negotio non conficitur, irritum omne esse, quicquid pactorum cum Principe initur.

V. Majestas igitur, perpetuo integra & summa, quoad operationes suas restringitur: quæ contemplatio nobis sistit, restrictionis *Genera* & *Normam*, quæ regiminis modum designat; adjunctum *Vinculum* & *Effectum*. Genera limitationis duo sunt. Alterum liberius est, quod soli Principi omnem administrationem, quamvis circumscriptam, attribuit, sine consortio alterius, qui concurrat cum Rege in civitate gubernanda. Fit hoc, quando nemo ex proceribus, aut reliquo populo, assumitur in consilium exercendæ Majestatis: sed ipse rex, observatis generalibus promissis, regimen procurat, & jura suæ potestatis exserit.

Alterum

Alterum adstrictius est, quando rex, non saltem aliquid civile promittit populo, sed quosdam ex subditis in societatem administrationis vocat, quorum consensum in negotiis designatis se expectaturum spondet. Eo ipso participes fiunt publici honoris, ut de summa Reipublicæ dispicere queant, & imperanti loco freni sint. non propriâ auctoritate, sed electi concessione. Quamvis enim talium status perpetuo privilegio gaudeat: id tamen ex pacto, & promisso Principis est; non proprio aliquo jure ordinum. Ad hunc modum explicari debent, quę vulgo de Republicâ Mistâ scribuntur: quam non alio sensu, præterquam dicto, admiserim. Falsissimum est, jura Majestatis dividi, quod infra videbimus. Assumuntur ex populo, qui Consiliarii sint: sed quorum consiliis obstrepere nequeat Rex, nisi violatâ jurisjurandi sanctimonia. Quod non satis attendentes scriptores, nescio quid monstrosæ & confusissimæ rei, per fictam illam mistionem, in qua Majestas divisa sit, in Politicam introduxerunt. Si Rempublicam mistam nominant, in qua ex populo aliqui constituuntur, quorum consensum in expedienda Majestate auditurum se spondeat Princeps: non repugnabo. modo vulgarem definitionem mistæ Reip. omittant, & sincerè referant talem statum civitatis, ad modum limitatum habendi Majestatem.

VI. Norma continet *Leges fundamentales*, quas vocant, seu conventorum seriem, quibus vota eligentium & stipulantium comprehenduntur, implenda & conformanda im-

peraturi fide ac juramento. Nam desideria illa subjectæ multitudinis modum imperio conciliant, quoties eligendi placito & promisso roborantur. Hanc pactorum formulam, *leges fundamentales* vulgò apellant: quasi fundamentum sint futuri regiminis, & exemplar Reipublicæ gubernandæ. Leges tamen impropriè dicuntur. Non sunt veræ leges, quæ à superiore non feruntur, quæ Majestatem non laudant caussam. Populus stipulans, & mentionem faciens, superior non est Principe; nec imperio civili gaudet. Conditiones sunt illæ leges, quę pacti & promissi ingenium præ se ferunt. Ideò in Capitulatione Cæsareâ, quam vocant hodiè, accuratè ponuntur illa; Regem Romanorum ante electionem consensisse in appositas conditiones, *ad modum Pacti*. Et in contractibus formulam illam observamus, ut dicatur, aliquid *hâc aut illâ lege fieri*, etiam tum, quando pares inter se paciscuntur. Ubi *legem*, interpretamur *conditionem*. Quando leges fundamentales introducendæ sunt, vel populi nomine optiones ejus, certa beneficia sibi cupiunt indulta: aut eligendum monent, jura ne tyrannica sævitiâ, aut severô dominatu in civitate usurpet; aut quodcunque tandem id sit, quod excipitur: eligendus pollicetur, se sanctè præstiturum promissa, & pactis implendis daturum operam. Hac promissione tenetur, non superioris præcepto. Nisi promisisset, non teneretur: subditus, etiam non promittens, etiam invitus obstringitur lege, quæ alii, quam subdito non datur. Conditio-

ditiones illas, in ſtipulatione populi propoſitas, poſtquam receptæ ſunt à Principe, *valere in legem*, ego nunquam exiſtimaverim. Quid enim eſt *valere in legem?* Legem eſſe, propriè dictam, negant adducta; quod ſuperiorem non habeat Princeps. Hæc ratio tollenda erat antequam negaretur aſſertum. Non opus eſt, ut confundamus hanc doctrinam, & Legem fundamentalem appellemus, *quæ alios contra formam imperii nihil mutandam tacitè vel expreſſe obliget. Expreſſe in Statu Democratico. Tacitè in Statu Monarchico & Ariſtocratico.* Nam ſtrictâ adeò ſignificatione nunquam accipitur à Politicis: quod hâc ratione ſaltem obſtringeretur ſubditus, aut ſinguli in multitudine populari, ad conſervationem Status publici; non Princeps, cujus ſecuritati jam tacitè in Monarchiâ cautum eſt. Quanquam nondum video, quid ſit *lex tacita*; aut quod diſcrimen, inter *tacitam & expreſſam obligationem.* Obligatio, quâ tenetur Princeps, expreſſò pacto producitur. Id verò multo intricatiſſimũ eſt dictu, *in Regno legem fundamentalem eſſe Legem Regiam; in Ariſtocratiâ, libertatem Senatorum; in Democratia, populi libertatem.* Miſcebitur univerſa doctrina, de modo habendi limitatè Majeſtatem, hâc explicatione. Lex enim Regia, non limitat Majeſtatem; ſed abſolutam declarat: modo Romano ſignificatu accipias vocem. Libertas Senatorum, libertas populi, quia libertas eſt, non eſt adſtricta perpetuo eidem adminiſtrandi generi: & excludit adeo legem fundamentalem, quam agnoſcat. Fac

ta-

tamen Princeps, aliqua de gubernatione publici ſtatus promittat; aut multitudo formam ſuæ civitatis in futurum tempus ordinet: Princeps iterum propter pactum & promiſſum alligabitur; non propter legem ſuperiorem. Subditus Principis non poterit ſtatum immutare, aut peccare contra deſignatam formam: quia ratione obſequii prohibetur uſurpare imperantis ſui poteſtatem, cui innectitur facultas ordinandæ publicæ adminiſtrationis. In populari ſtatu libera eſt multitudo, & omnibus momentis adminiſtrationis faciem immutabunt univerſi: ſinguli nihil movebunt itidem propter pactum, quo ſuo ſuffragio conſenſerunt in ordinem præſentem. Vidi non ignobiles Politicos, qui ſerio affirmarent; *Regi in regno limitato, perpetuam legem dictam eſſe, obſervandam quibuscunque ſucceſſuris in omne ævum, quamdiu ipſum regnum manſurum eſt.* Idque univerſaliter verum pronunciant, *partes dicentis legem ſuperiores hoc caſu eſſe, præterquam ſint illius, qui legem accepit: qui ſe legi, quam accepit, jã tum ſubmiſerit, & ſubmittere teneatur. qui ſi abnuat, etiam adigi poſſit, conſtringi ac cogi.* Vide quam duriſſima effata colligantur, ſi vox *legum fundamentalium* non rite explicetur. Superiores partes dicenti legem fundamentalem aperte vendicant: at populus auctor laudatur, qui eligens Principem, legem fundamentalem condit. Populus igitur ſuperior ſit Principe, cui præſcripta lex eſt, oportet. Hoc primum abſurdum eſt, nemini admiſſum, niſi Monarchomachis, qui Principum

&

& ipsius Dei Majestatem nefariè calcant. Præterea legis vis, & anima, in obligatione posita est, & nisi observetur, pœnâ vindice sui neglectum ulciscitur. Submitte principem legi, & si dictis audiens non fuerit, constringe ac coge, ut supplicio inobedientiam luat. Hæc indubitatò sequentur, si priora asserta sint. Sed quale jus illud cogendi Principem? & unde subdito concessum in summam potestatem? Vide quam exiguus principiò error ingentem molem absurdorum post se trahat: quæ apta nata sunt Reipubl. ordinem seditionibus turbare, & ipsam civitatem horrendum in modum evertere. Omnes enim illæ inciviles conclusiones Legi fundamentali, si concipiatur ut propriè dicta lex, ortum debent.

VII. Id perpetuo inculcandum est imperitis; *Summitatem imperii non perire, nec superiorem Principe dari; licet conditiones fundamentales aliquos ponant terminos operationi civili, & actui secundo.* Non jurat imperaturus, imperio superioris adactus: sed sua sponte, approbans consignatas conditiones. Consentiunt eligentium & eligendi voluntates: non imperant invicem & parent. Integra Majestas manet in limitato regno, & rex verè imperans, ac summus est. Non sibi opponuntur, Imperium summum & limitatum. Nam circumscripta operatio procedit interim à summâ potestate: & quamdiu Majestatem habemus in principe, summus est, nemini subjectus. utut conventis suis mensuram imperandi fecerit. Sed *absolutum* hactenus *limitato* opponitur regno:

gno: ubi Princeps non tantum ſummus eſt, ſed liberam directionem univerſæ civitatis pro lubitu ſolus habet. Fruſtra ergo ſunt, qui putant, *regnantem in tali regno, non regnare ut regem, per ſe, ſuo jure, & quoniam rex ſit; ſed quia à regno in regem eſt ſubvectus. Legi à regno data, adductius ſimul, & remiſſius imperium debere. Non conſiderari ut Dominum abſolute ſummum, ſed ut regni adminiſtratorem, & diſpenſatorem, reliquis ſaltem ſubliniorem, & verbotenus Dominum, ob locum honoratiorem.* At omnis Rex regnat, quatenus Rex eſt, per ſe, ſuoque jure, quod Deo ſoli acceptum fert; non electioni, quâ Majeſtatem non habet productam. Reverâ rex eſt, licet modò remiſſius, modò adſtrictius regimen, vi pactorum habeat. Monarcha abſolutus eſt, qui adſtrictum imperium in ſuos exercet. (hoc enim opponimus remiſſiori in limitato ſtatu) tantum abeſt, ut non ſit verus Rex. Licet non ſit abſolutè ſummus Dominus: Dominus tamen eſt, & quidem ſummus in civitate. reſidet enim poteſtas ſumma penes hunc, quamvis ſe non ubique exſerat æqualiter. Adminiſtrator aliquis magiſtratus eſt, qui id diſtat à limitatæ Majeſtatis Rege, quod ſervus à Domino. Separanda eſt ab hâc doctrinâ popularis Reſpublica, quæ ad inſtar Monarchiæ adminiſtrationis modum format; & unum aliquem præcipuum Magiſtratum creat, qui ſæpe nomen principis gerit, ſed cætera nihil cum rege habet commune: cùm ſubjaceat conſiliis & decretis multitudinis, aut optimatium. Removemus

vemus hunc primum procerum, hunc magistratum plebejum, à Principe, cujus exercitium Majestaticum, suo ipsius promisso inhibetur. nihil his inter se convenit. Decepit interim auctores hæc Reipublicæ popularis facies; in quâ cum viderent constitui Magistratum à populo, accipere potestatem aliquam, removeri quoque, sæpe destinari noxium suppliciis: ad regium statum hæc applicarunt, & idem putarunt obtinere in Monarchiâ limitata, quod in Democratiâ usu venire noverant. Illabitur horum animis Principis persona sub fallaci conceptu Magistratus: quæ ignorantia, principiò absurda, plures in judicio civili peperit difficultates. Unde fieri haud potuit aliter, quam ut in multiplices, & inextricabiles errores sese induerent, qui semel falsitatem admiserunt. Tantum abest, ut Monarchiam limitatam, inter officia magistratuum referamus; ut ne quidem partitionem *Grotii*, quâ modum habendi imperium dispescit, satis sinceram esse, judicemus. *Altera cautio*, inquit lib. I. d. J. B. & P. c. III. n. XI. *hæc esto. Aliud esse de re quærere, aliud de modo habendi, quod non in corporalibus tantum, sed & incorporalibus procedit. Ut enim res est ager, ita & iter, actus, via. Sed hæc alii habent jure pleno proprietatis, alii jure usufructuario, alii jure temporario. ita summum imperium Dictator Romanus habebat jure temporario: reges denique tam qui primi eliguntur, quam qui electis legitimo ordine succedunt,* jure usufructuario: *at quidam reges pleno* jure proprietatis, *ut qui justo*

justo bello imperium quæsiverunt. Suſpecta diviſionis nomina ſunt. Supra proprietatis jus fecimus ſuſpectum: nunc mallem Grotius omiſiſſet quoque *Ius* illud *uſufructuarium*: quod indifferenter regibus, qui primi eliguntur, quam qui electis legitimo ordine ſuccedunt, aſſignat. Difficilis, & periculoſæ applicationis ſententia, nullo modô congruens huic materiæ: ſi quando eandem ad naturam uſusfructus, & regni electivi legitimi, contendamus. Ea perpetua nobis lex erit, doctrinam de Majeſtate & imperio civili, jure privatorum non commiſcere: quod hæc principia non ſint domeſtica ſummæ poteſtati declarandæ; ſed alieniſſima contineant. Diverſiſſima ſunt proprietas in dominio privato, & Majeſtas principis. Uſufructuarium autem jus in hâc materiâ concedere, eſt Principis Majeſtatem prodere. Ubicunque uſusfructus rei conſtitutus alicui eſt, ad alium proprietas pertinet. Habeat nunc Princeps uſumfructum imperii, proprietas ad populum ſpectabit, qui de jure ſuo ampliſſimè poterit diſponere. Concedas hæc Majeſtatis hoſtibus, & vacillabit Principis ſolium. continuò enim extinguendi uſufructuarium hoc jus, excogitabunt rationem, docebuntque intra modum non ſtetiſſe fructum; cauſſam igitur juſtam, & prægnantem adeſſe, cur Princeps beneficiô fructuum, quibus indignè abuſus ſit, pellatur. Nulla ſubeſt neceſſitas, ut limitatum imperium, incongruo illo termino, tantis procellis ſeditionum temerè exponamus.

VIII. *Vin-*

VIII. *Vinculum* limitationis est *Iuramentum*. Sat validum erat Eligendi promissum ad obligandam fidem: sed cum hominum animi varii plerumque & fluxi essent, repertum est religionis vinculum; quod contineret arctius pacta, & conditionibus placitis vim ac efficaciam conciliaret. Inde mos, juramentis urgere imperantis conscientiam, ut Princeps conceptis verbis juret, se sanctissimè promissorum fidem exsoluturum. Quanquam enim contingit interdum, ut honorifica subditorum de imperaturo opinio, & erectior spes, satis fiduciæ ponat in verbis promittentis, & optima quæque sibi polliceatur: nec tamen perpetuum illud est; sed dictorum pactorumque testis sępius citatur Deus, & nisi his stetur, invocatur vindex. Hic obex positus est spondentibus regibus, qui stringit transgressuros, ne fixum limitem temerent; & repellit, ne honestatis & fidei clathros effringāt aut removeant. Non verò omne juramentum limitati regni nota est. Dantur quædam quasi generalia, quibus rex juris ac justitiæ administrandæ, utilitatisque publicæ promovendæ curam in se recipit. De his talibus in præsenti nobis sermo non est. Nam absolutum imperium comitari possunt: quum de officio Principis communi & usitato concepta sint. Sed illa hic intelligimus, quibus ad aliquid civile obstringitur rex, ad quod aliàs non teneretur: quæ imperii rationem, & formam regiminis, seu cujuscunque gubernationis, determinant. Hæc sunt propriè imperii restricti juramenta:

hæc

hæc ſunt illa vincula, quibus conditiones deſignatas approbat regnaturus.

IX. Nunc de Effectu limitationis. Omnis operatio promiſſorum, & jurisjurandi vis ac efficacia RELIGIONE abſolvitur: qua imbutus jurans, nefas eſſe duxerit, tranſilire aut migrare limites conventorum. Tenetur igitur ſtare pactis, niſi omnem reverentiam Numinis excuſſerit: niſi perjuri infame nomen mereri, & vindictam divinam provocare atque laceſſere velit. Nunquam ſacra illa aſſeveratio tuto contemnitur: nunquam juratum Dei Nomen ac Numen, violatumque ſubleſtâ fide, maleferiatos homines ſupplicii expertes dimiſit. Exſecrandum nefas eſt, perjurio temerare ſacrum negotium, cujus teſtis ac vindex Deus advocatur. Fidem ſervandam eſſe, æterno juris naturalis decreto, ſancitur. quam veritatem, non niſi deſperatiſſimæ pravitatis homo impugnabit, qui univerſi generis humani hoſtis judicandus eſt. Quare ab illis, quæ ſemel placuerunt, quæ jurejurando interpoſito ſtabilita ſunt, Princeps recedere haud poteſt. Hoc fine, hoc effectu, intercedunt illa pacta, quibus concedendæ immunitates promittuntur: ut iram læſi perjurio Numinis exhorreſcat promiſſor, & pietate motus intra limites fixos conſiſtat. Aliam efficaciam, alias proprietates Legum fundamentalium ignoramus: fingi ſolitas ab auctoribus, qui veritati civili & accurationi officiunt. Nam ſi reverentiam juramenti exuat, & contra datam fidem imperet, atque imponat excepta ſubditis onera Rex; ſub-

subjacebit quidem pœnæ divinæ, & supplicio, à Deo, competente judice, irrogando: cæterum ad libertatem subditi reciperandam, nihil inde redundabit; tanquam jure possit excutere jugum, quod pactorum æquitas videbatur imposuisse. Quod obsequium subditi non proveniat à pacto; sed Principis imperio, quod perjurio non extinguitur. quemadmodum hoc pluribus infra demonstrabimus, ubi Obsequium subditi contemplabimur.

X. Nunc obiter removendi sunt, qui peregrinum effectum Legibus fundamentalibus assignant; non id tantum agi putantes, ut Princeps jurans religiose fidem servet; ut sanctis effatis reverentia constet & integritas: aut secus si fiat, Deum vindicem habeat perjurus. id potius effici, *ut subditorum religio solvatur, nullis adstricta vinculis, postquam pejeratum est. Id exigi, ut præstitum juramentum excipiat realis præstatio, quæ ea omnia & singula examussim perficiat, quam fuerint promissa: secus si fiat, hoc agi, ut habeat perjurus vindicem Deum à sua parte: ab altera, id est, à parte regni, ut agat soluta, & sit per hoc perjurium nullis adstricta vinculis regni, & subditorum religio.* Citant illud: *Fidem domino non servanti, impune non servari.* De antiquâ Suecorum constitutione, tradit CHYTRÆUS, eos sub perjurii pœnâ fuisse obligatos, ad non servandam fidem degeneri regi. Fœdus civile ita disponunt alii, ut subditi repromittant Magistratui omnia honesta, si scilicet juste, piè & non tyrannicè imperaturus sit. Hæc conditio si minus

nus impleatur, solutum esse populum, irritum contractum, obligationem ipso jure nullā. Et in genere duplex formant homagium, secundum obsequii & subjectionis formulam: aliud *limitatum*, *illimitatum* aliud volunt. Secundum hoc, sine conditione aliquâ expressâ, obedientia imperantibus juratur: at in priori, determinatur obsequium, ad conservationem privilegiorum, & fidem pactorum. Nos constantissimè negamus, obsequium negari ob defectum servatæ fidei. Examinanda hæc materia est, secundum ea, quæ de malo principe traduntur alibi. Bonitas & virtus imperii naturam non constituit; malitia & perversus animus non infringit. quare cum alia scelera Principem non exuant Majestate, nec perjurium id fecerit. Obligatur ad parendum subditus, non quia juravit Princeps, sed quia imperium habet. obligatur ob hoc imperium subditus, nō quia ita convenit, sed eo ipso, quòd subditus est. Si obsequii caussa esset pactum, hoc sublato forsan tolleretur obsequium, nunc obligatio immediatè ab imperio descendit. hoc violatione pacti non evanescit. *At Princeps tamen hâc conditione in solium evehitur, ut pacta præscripta servet.* Bene. Sed hæc electionem concernunt, quæ cum ipso imperio nunquam eadem est. Nisi jurasset in ea, quæ stipulabatur populus, non fuisset electus: at postquam electus est, postquam imperii potitus, non desinit manere rex, licet promissis non steterit. Negatio obsequii, solutum imperium præsupponit. Si igitur non adimpletâ con-

conditione, ſolutus eſt populus; ſi obligatio ipſo jure nulla eſt: exſpiraſſe imperium ſtatuendum eſt. Sed hactenus inter modos amittendi imperii, nondum firmiter fuit relata, pacti, cum populo initi, violatio. Faciant clarum evidentiſſimis documentis, perjurium eſſe perpetuam cauſſam amittendi regni: & ita punitos in continenti perjuros, ut privarentur imperio. Ipſo jure excidere Principem ſua ſtatione, nimis confidenter dicitur. Quod enim eſt ipſum illud jus, quo ſancita eſt hæc pręſentiſſima exauctoratio? Humanæ leges nō diſponunt de Majeſtate. In ſacris & divinis oraculis declaratio expreſſa debebat legi, de tali dejectione: alioquin ſubditus imperio ſolutus non exit, & obſequio debito non liberatur. Nec dum populus eſt conſtitutus judex, qui de tali crimine, & irrito contractu cognoſcat, & ſententiam definitivam, contra Principem transgreſſorem, ferat. Si vel maximè fides, minus ſincerè ſervata, cauſſa ſufficiens adimendi imperii, concederetur: ſubditus tamen cogeretur adhuc præſtare obedientiam. quod non detur in multitudine, qui imperinm jure poſſit repetere Id enim quia Deo acceptum fertur, alio judice ac vindice, non eripitur. Superior judex, qualis populus non eſt, in adimendæ majeſtatis actu, ſuam auctoritatem interponit: id niſi fiat, pręſens supereſt imperium, cui obſequium debetur. Quin illud aſſeverare non dubitem, ſi vel adjiciatur; *regem, fidem fallentem regno caſurum*: ne tum quidem regno poſſe exui, aut temporarium effici im-

imperium, nisi decedat sponte solio Rex. Non habeo, quo velamento tegam opinionem, *pactis fundamentalibus contineri contractum inter Regem & subditos, à quo si alterutra pars recesserit, nec alteram obligari: regem pactionatum, ubi pactum non servat, deponi posse.* Recensent aliqua, nimis abjecta juramenta, quorum clausulam sic explicant: *illud vero quod in fine additur, ab obedientia solutos fore subditos, si Rex in aliquibus saltem fidem violet, manifestissimum argumentum prabet, regi nullam competere potestatem, nisi ex pacto. quod in electione Sigismundi III. apertè apparuit, cum regni Cancellarius Zamoscius ita eum alloqueretur: Quandoquidem viderent ordines, Majestatem Regiam pactis conventis stare nolle, non debere ipsius Majestatem in malam partem interpretari, si ordines obedientiam ipsius Majestati renuncient.* Imperii caussa non est Pactum: nec in subditi arbitrio positum est, ubi semel agnovit Majestatẽ, obsequiũ postea pro lubitu negare. Si verus Rex fuit *Sigismundus*, si vera Majestas regia adfuit, non poterat renunciari obedientia. Si velimus exemplis ęstimare principia civilia, & ad factorum normam exigere; nihil certi aut fixi; plerumque nihil justi habebimus. Benè *Grotius* annotat, manere hâc conditione summum imperium. quod si verum est, sicuti verissimum, nemo contra poterit insurgere, nisi reus velit reputari Majestatis. Vanum & irritum pronunciamus hoc pactum, quod verborum sonum exhibeat, rei sensum nullum. Quod nemo sit in civitate
sub-

ſubditâ, qui imperium removere queat à Rege perjuro. Nam exempla de Sabæorum rege; item illa, quæ ex *Cromero* & *Cranzio*, citat Grotius, n.XVI. contradictoriam ſeditioſorum hominum vanitatem arguunt. Si rex Sabæorum, liberrimâ poteſtate præditus fuit, quis à perduellione abſolvet ſubditum, qui regiâ prodeuntem principem lapidare ſuſtinuerit? Fidei commiſſi ſimilitudo & hîc decepit *Grotium.* Adjiciatur in contractibus lex commiſſoria: in regni delatione nunquam adjicietur. In contractibus enim de ſuo ſe mutuò obſtringunt conſentientes. In delatione regni, imperium, quod conſequitur Princeps, à populo non habet: quare nec populus illud repetet. Non habetur amiſſibiliter, cum ſubditus citra impietatem non poſſit involare axioma, quod uncto Dei, ſolus Deus tradit & eripit. Iſtud temporarium imperium Dictatoris non poterat repeti à populo, niſi ſponte ceſſiſſet ipſe ſuâ poteſtate. Imperium enim, injuſtè etiam quæſitum, quia datur à Deo, ſubditi invaſionem & rebellionem excludit. Atrociſſima ſunt, quæ de merito pœnæ habent. *Principis actum, à tenore juramenti abeuntis, nullum eſſe & irritum ipſo jure: tranſgreſſoris conatus qualibet ratione ſufflaminandos, & coërcendos: quod ipſo jure, ipſo facto exciderit ſtatione.* Sed figmentum hoc eſt, non ſatis laudabile. In capitulationibus, nec adjicitur clauſula illa pœnalis, nec ex natura rei ſurgit, aut ſurgere poteſt. Si ne obſequium quidem negat ſubditus: multò minus Princi-

pem

pem perjurum castigabit. Universaliter verissima sunt, quæ nobilissimus GRASWINCKELIUS, dissert. de Jur. Maj. cap. XI. scribit. *Modò majestas adsit, ne quidem per somni umbram pœna ad eam se penetrabit. licet fiat, quod ab jurejurandi religione abeat diversum, tamen id valiturum*, pronunciat. Neque esse censet, *ut ex capite jurejurandi nonservati, sic arguatur, ut omni effectu destitutum, summo velut de culmine cadat in ruinam imperium.* Et planè politicâ utitur illatione, *ob præsentiam Majestatis:* hanc quia in regno limitato deprehendimus, idem ubique erit judicium, nam & tum præsens imperium adest; non precarium, non fictum, non subjectum alicui. Quam civilem rationem etiam barbari populi assecuti, præstabant perjuris obsequium; sed mortuos, indignos regiâ sepulturâ judicabant. De quo videre juvat GROTIUM I. III. XVI. Quum vero adversæ partis argumenta à Majestate reali, quam vocant, originem ducant: operæ pretium facturi videmur, si monstrum illud sequenti tractatione removeamus.

XI. Divisionem Majestatis nativam ac genuinam nullam agnoscimus: dum vero politicorum aliqui eam fovent, & in regno limitato maximè duplicem Majestatem ponunt; videndum erit, quid solidi contineat. M. ZUERIUS BOXHORNIUS duplicem fabricat Majestatem; ab imperantibus unam, à parentibus alteram deducit. Lib. I. Instit. Polit. cap. IV. §. II. p. *Dupliciter venit considerandа Majestas, quia vel ex imperantibus, vel ex obsequentibus*

tibus vim habet. Majestas quæ vim ex imperantibus habet, est insita quædam animi vis ac magnitudo, quâ, qui supra cæteros excellunt, cæteris debent imperare. Majestas, quæ vim ex obsequentibus habet, est nihil aliud, quam sanctũ, constans & immotum judicium subditorum, quo sibi omnino persuadent, illos, qui præsunt Republicæ, jure ac merito praeesse & posse, & debere. Neutra vera Majestas est: & videtur auctoritatem ac reverentiam, cum imperio & obsequio confundere. Non vis animi, aut magnitudo, Majestatis naturam absolvit: sed potestatis absolutum jus. nec magnanimus omnis imperat. Cadit illud mentis robur in plures illustres viros; qui nullo interim regni axiomate fulgent. Aptitudo illis nullum jus confert, ut cæteris, supra quos excellunt, debeant imperare. Confusioni autem maturandę congruit assertio, si optimus quisque sibi regnum destinet; aliis competitoribus, etiam vi excludendis. Ex alterâ parte, tam lubrico fundamento non superstruimus regale solium. Majestas ex obsequentium judicio, non habet majorem vim: ęqualem obtineret, si subditi secus censerent. Non extra se quærenda Majestas est; aut ejus vis ad opinionem alterius exigenda. Non præest Reipublicæ Rex, quia putatur justè præesse: sed quia præest, persuadere sibi omnino debent subditi; jure ac meritò præesse debere Principem. Duplicem iterum, sed diversam à prioribus Majestatem, eodem capite, n. XXI. seq. tradit; quæ videtur esse Realis. *Est & alia quædam ipsius Reipu-*

 blicæ

blicæ Majeſtas, quæ non tam vim imperantium & perſonam, quam vim, ſtatum, ſive formam, ſive incolumitatem Reipub. concernit. Illa vel domi adverſum Imperantes & ſubditos, vel foris adverſum exteros Principes, & populos facit. Adverſus domi imperantes & ſubditos, definitur illa, immotâ obſervatione, formæ, ordiniſque imperii ſemel recepti, legum, quæ pro eâ repertæ ſunt, & vulgo fundamentales appellantur. Adverſum cæteros definitur ſui penitus juris, neque alteri cuipiam, vel populo, vel principi obnoxia imperio, tum reſpectu eorum qui imperant, quam qui obſequuntur. Et in explanatione ad hunc locum. *Diximus quoque aliam Majeſtatem imperantium, aliam Reipublicæ. quæ diſtinctio notoria eſt, quia lædi Majeſtas imperantium poteſt, ſalvâ manente Reipublicæ Majeſtate. Reipublicæ Majeſtas eſt, quæ ſui juris eſt, nec cujusquam agnoſcit imperium. Quam Majeſtatem Tacitus, Annal.* III. c. vj. *abſolutè* Rempublicam *appellavit in Oratione Tiberii, ubi ait: Principes mortales, Rempublicam æternam eſſe.* Examinanti hanc Majeſtatem accuratius, vix aliquid ſupererit tandem ſolidæ rei. Ubi enim, & penes quem reſidet hęc Majeſtas, quę formam, ſive incolumitatem Reipub. concernit? Princeps eſt, & hujus Majeſtas, qua adminiſtratio civitatis ordinatur. Si pactis mutuis deſignata eſt facies Reipublicæ gubernandæ: his placitis & conventis originem debebit regiminis modus. Immota obſervatio formæ, ordiniſque, aut legum fundamentalium, non eſt Majeſtas Reipub. nec ab eâdem

pro-

proficiſcitur: ſed ab obligatione, quæ naturaliter pacta inſequitur. Difficilis fuerit conceptus, imaginari ſibi, *quomodo adverſum imperantes & ſubditos ſimul valeat domi.* Quid enim rerum tandem fuerit, quod hanc auctoritatem contra imperantem & parentes exerceat? Adverſus exteros nulla civilis poteſtas cum imperio uſurpatur. *Sui juris* dicitur Reſpublica propter Principem, qui neminis imperium ſuperius agnoſcit. Lædi Principis Majeſtatem, ſalvâ manente Reipublicæ Majeſtate, ego non temerè credam. Tiberius, per æternam Rempublicam, nunquam ſtabiliet Majeſtatem Reipublicæ: cum ſcenæ ſerviat, & per Rempubl. Senatum Populumque Romanum, qui ſine Majeſtate, Principum ævo eſſe poterant, denotet. Tandem, non ſatis definita eſt Reipublicæ Majeſtas, quando *ſui juris* dicitur. Nam id attributum Majeſtatis in genere eſt. Dum ſpecies diverſas fingunt Majeſtatis, per differentias ſpecificas, & proprias notas, reſtringendum erat illud commune genus. Igitur aliquid amplius contineat oportet, præter illud ſui juris imperium. Vulgo habent *Majeſtatem Realem*, quam perſonali contradiſtinguunt & opponunt. Dividunt quippe Majeſtatem in Realem & Perſonalem. Illam deſcribunt, *quæ cum imperio naſcitur, & imperio eſt coæva, ipſi perpetuò inhæret, nec cum Monarchâ exſpirat, ſed quamdiu corpus regni durat, permanet.* Hanc vocant, *quæ perſonam Monarchæ reſpicit, in quam collata eſt, & cum eâdem exſpirat. Hæc perſonalis, ſeu regnantis*

 Ma-

Majestas, à Majestate regni, ut fundamentatum à fundamento dependet, atq; adeo obstringitur, ut si contra eam insurgat, impune lædi possit. Regni quoque Cancellarium, ea quæ contra Majestatem regni, & leges fundamentales esse videntur, Regi jubenti, & flagitanti denegare posse, probare intendunt. Subjectum hujus monstrosæ potestatis Leges fundamentales faciunt: cui determinationi parum respondent attributa, penitus inspecta. Mira hîc fabulantur; Originem divinam & naturalem. durationem Reipublicæ coævam; fundamentum & principium agendi, influens in Principis potestatem. Sed id omnium fidem superat, quod major rege & regno sit hæc Majestas; & ideo immutabilis, pœnâ Principem afficiens, qui contra peccaverit.

XII. Antequam subjectum, Leges fundamentales, excutiamus, & ingentes illas affectiones; ostendemus prius, non dari hunc fabulosum fœtum: cum plurima absurda eundem à qualibet Republicâ proscribant. Nimis confidentes sunt hujus figmenti patroni, & nimium sibi promittunt de incallida credulitate lectoris, cum nulla probabili conjectura ostendant præsentiam realem suæ realis Majestatis. Rationes sanè, quibus adstrueretur, nullas reperire licuit hactenus; quibus evinceretur, dari Majestatem realem. nostro quidem commodo: dum opus haud est, ut iisdem infringendis detineamur. Fuit tamen, qui hoc momentum apponeret: *Est suum regno corpus, sed mysticum nempe, ut cuivis universitati.*

ti. Proinde non ambigendum, num ſit in eo Majeſtas. Infirmum fulcrum, quo ſuſtinenda erat tanta moles. Si cuique corpori myſtico majeſtatem realem aſſignabimus, omnes vici eadem prædit ſint oportet. Sed videtur hîc reſpexiſſe omnino ad Moraliſtarum quorundam ſomnia, putantium, cœtui civili naturaliter adhærere & adnaſci imperium, eo ipſo, quo cœtus aut multitudo eſt. Quam vanitatem ſupra rejecimus, ubi Cauſſam Majeſtatis declaravimus. Id multo magis mirari licet, deſcriptionem certam & fixam non dari. Duratione, & ſuperioritate, natura ejus dicitur abſolvi: quod *coæva ſit regno, cui congenita ſoli immoriatur; vim in perſonalem Majeſtatem ad dejectionem uſque exſerat.* Hæc non infrequenter magnificis verbis, & pluribus oratoriis pigmentis ambitioſiſſimè diducuntur, nulla probatione adjecta. Quaſi verò hominis naturam rectè deſcripſerim, ſi dixerim, eum cœpiſſe hoc anno, hoc menſe, hoc die; nec prius mortuum fuiſſe, quam collapſum ſit hoc ædificium. Non habebo genus, non differentiam, non definitionem. Non nemini eſt, *Totius civitatis ſponſio.* Sed viderit, ne ſubditorum obſequium in claſſem *Ma*jeſtatum reponat: quod communi ſponſione ut plurimum confirmatur. Sponſio, conventio, contractus & pactum, alieniſſimam naturam habent ab imperio & Majeſtate. Damnamus ergo hoc dogma, cum ſua reali Majeſtate. Nec movemur aſſerentium dicteriis, quaſi *Neoterici tantum Scriptores, ex merâ adulatione, illam impugnent: præſtantiſſi-*

tissimis Politicis admissam. eâ destinatione, ut Tyrannidi sternant viam, & ad absolutum dominatum veluti manu ducant Principem: quem in bona corporaque subditorum grassari patitur sola Personalis Majestas. Dantur ex recentioribus multi, qui conscientiam nullius Principum imperio mancipatam, nec cujusquam gratia emptam, liberam gerunt, & studio nihil dant: ex vetustioribus nullum reperias, cui prodigiosus ille fœtus, vel fando innotuerit. Difficultates, quæ urgent novitiam hanc doctrinam, tot tantæque sunt, ut unius lineæ ductu non solvantur. Id saltem allegabimns; si esset Majestas realis, vel erit superior, vel inferior Principis Majestate; vel eidem æqualis. Ubique absurda civilia oriuntur. Si inferior est Realis, desinit esse Majestas. Si superior; tollitur Principis Majestas: quam generali pronuntiatione in summa potestate fundari, omnino putamus. Jam si Principis potestas superioris arbitrio est obnoxia, summa non est, Majestas non est. Quod incautè, & inciviliter nonnulli affirmant; *Administratorem Reipublicæ constituentes omnem Principem: cui collata dicitur Majestas, non ratione possessionis: sed saltem usurpationis: ut eâ utatur ad Rempublicam benè administrandam. Aliam partem Majestatis communicari, aliam retineri. Summam potestatem administrandi conferri; summam potestatem constituendi & conservandi Rempublicam retineri. Hæc etenim si conferretur, Principem habere potestatem sibi constituendi successorem, vel alium di-*

eligendi. Experientiam vero testari, eam non haberi: sed hanc solam penes proceres, aut populum esse & manere. Imo etiam hoc absurdum inde sequitur; *quod Princeps semetipsum de solio dejicere posset: quod nemo sanus vel faciat, vel affimet. Proceres & Populum eam potestatem semper retinuisse; præstantissimis quibusq; Policicis statuentibus.* Indigna talia sunt, quæ publicè tradantur. Administratoris nomen, & procuratorium titulum, Regibus assignatum, nunquã sine commotione animi lego. Suspecta Majestas est, cujus pars administrationẽ, altera constitutionem complectatur. Ignota divisio, ignoti termini. Forsan ineptus terminus, *Juris* & *exercitii* nomen, debuit denotare. at nudum exercitium, Majestatis plenariæ notione venire haud potest. Si una jurium usurpatio Principi relicta est, nulla potestas; tollitur Monarchia, & omnes versamur in Republicâ populari. Princeps enim Magistratu fungeretur; nullâ esset instructus Majestate. Quod palam absonum est. Vellem doceri, quæ jura contineat potestas administrandi; quæ item potestas constituendi & conservandi. Mentiar, si se ipsi intelligant auctores, cum suis vanissimis distinctionibus. Principem sibi constituere successorem, documento sint hæreditaria, quæ vocamus, regna, Britanniarum, Norvagiarum, hodie Daniarum, ut alia taceam. Solio quidem se non deturbabit rex; quod nemini in se Jurisdictio competat. cæterùm principem abstinere posse regno, & illud hæredi transmittere, saniora exempla nos docent: à

populo posse dejici, non affirmabit, præterquam seditiosus. Subordinationem si fingas: summum tollis. Quod enim subordinatur, primum non est.. Si personalis Majestas subordinatur: non est summa; non est Majestas. cujus indoles in summâ potestate sita est. Superiorem autem haberet Realem, cui subordinatur: quâ ratione desinet esse & summa, & Majestas, & in subjectionem migrabit. Nihil simul summum est, & non est. Non eximetur hic scrupulus, quamvis dicas; *absolutè summam in suo genere, non habere superiorem*. Nam hæc ipsa nunc urgentur. Principem habere majestatis exercitium, in aliquibus casibus restrictum: non idem est, ac dependere à populo, ut privari possit regimine, si eodem abutatur. Omnia hæc evincunt, non satis cognitam fuisse naturam Majestatis: & abundè persuadent, ignorari ejus subjectum, caussam & judicem. Si concedunt hi tales, Majestatem personalem esse plenariam, & eam subjiciunt nihilominus reali: manent superiora incommoda, & pugnantissima contradictio verbis subest: quam divisio in diversas partes Majestatis, Constitutionis & Administrationis, non satis tranquillat. Ignorant illas partes Politici: & cui facultas majestatica administrandi, hoc est, regendi & gubernandi, permittitur, Eidem quoque conservatio assidet & constitutio. Nam Princeps, quem vera Majestas inhabitat, ille est, qui Rempublicam constituit. Æqualitatem si his duabus Majestatibus assignes, destrues alterutram, & confusissimè af-
fliges

fliges civitatem. Est, qui utrique eandem originem affingit, naturalem, tum divinam: ratione ordinis ac finis, summi boni politici. Utriusque naturam in imperii absolutè summi jure, & debitâ obedientiâ collocat. Sed miror Clarissimum virum non attendisse conclusiones inde emergentes. Si enim utraque vera Majestas est, altera alteram evertet. Majestas parem in Republicâ non agnoscit. quod æqualitate summitas tollatur. Potestas summa dicitur, non tantum quòd superiorem in civitate non habeat; sed quòd omnia eidem obsequantur. Æqualis alterutra Majestas non obtemperabit. Dabitur ergo aliquid, quo superior non sit Majestas. Neutra summa dici potest, cùm illud summum sit, quod supra omnia est; ubi verò potestates sunt æquales, neutra dici potest, esse supra omnia. & ipsa civilis ratio obstat, ne duo imperia summa ponamus: quam caussam in ordinis divulsione statuunt saniores. quod verum est. Mihi tamen videtur momentum politicum in eo versari, quòd certissima confusio immineat civitati, si duo summa imperia in eadem reperirentur, propterea; quia alterum alterius actus irritos faceret, aut actus irritos haberet. Nam si personalis majestas aliquid præcipiat; Realis contrarium censeat: alterutrius decretum frustraneum erit. Subditi enim contraria simul facere nequeunt: quod duobus adversis dominis non serviant. Altera igitur everteretur Majestas, cujus sanctio contemneretur à subditis, exsequentibus alterius mandata.

XIII. Hæc obstant, ne recipiamus Realem in numerum Majestatis: nunc subjectum, & attributa examinabimus. Subjectum hujus realis Majestatis, vel potius ipsam realem Majestatem, statuunt Leges fundamentales: quasi hæc absolutè summa potestas in fundamentalibus regni legibus, earumque conservatione, observantia & exsecutione tota consistat. Quoties quæritur, unde Majestas imperii dignoscenda & dijudicanda sit; ad leges fundamentales confugiunt, *quibus tanquam fundamento firmo, & immoto inniti quamque Rempubl.* dicunt. *Imperantis enim Majestas Reali, hoc est, legibus fundamentalibus, temperatur, quò minùs sit absoluta, summa, atque infinita.* Has nempè leges non modò instrumenta esse regni, cujus administratio secundum ipsas sit dirigenda; quemadmodum aliàs Leges instrumenta regnandi sunt: *sed ita immediatè ipsum spectare, ut ipsum in iis consistat & subsistat.* His principiò objecerim illa Cl. GRASWINKELII, diss. de Jur. Maj. cap. X. *Verius est Majestatem, sive regni ea sit, sive Regis, unam esse atque eandē planissimè, & ipsos, qui sic eam dispescunt,* (in realem & personalem) *in eo labi, quod non discernant rem ipsam à modo rei habendæ.* Deinde antiquissima cura nobis fuerit, ad Majestatis naturam exigere leges fundamentales. & scrutari, num patiantur applicationem, quæ illi sunt domestica. Apparebit statim, Imperii indolem summâ potestate instrui, quæ per omnia civilia diffusa est. Id Legibus Fundamentalibus non congruit. nisi Legislatoriam

potestatem,

potestatem, principalem Jurisdictionem, Pacis & armorum arbitrium, vectigalium & tributorum exactiones, & quæ sunt reliqua imperiorum insignia, iisdem adscribamus. Transferamus singula Jura ad Leges fundamentales, comparemus invicem omnia, ne unum quadrabit. Habentne potestatem legem condendi, interpretandi, mutandi & antiquandi? Hærebimus hîc extemplo. Quomodo enim Leges, alias leges ferre possunt? quomodo de variis conditionibus eorũ, quæ circumstant negotia, arbitrari, quæ ipsæ interpretatione opus habent? Applicantibus cætera jura, eadem absurda occurrunt, quæ circa legislationem: ut ita facile appareat, eas non continere Majestatem realem. Num exercent inter partes supremum judicium; & eâ auctoritate decidunt controversias, ut ad altius tribunal litigantibus aditus obstruatur? num instituunt Magistratus & officiales præficiunt sacris, profanis, civilibus, militaribus? Nemo hæc facile dixerit. De quo negantur omnes partes, & singulæ; de eo totum dici haud potest. cui definitio non competit, illi nec definitum. Suntne Leges fundamentales summa potestas in universam civitatem? Lex perpetuo instrumentum est administrationis. ipsa nec regit, nec judicat: sed normam suppeditat tantum, juxta quam, si fundamentale pactum sit, Princeps regat; aut officiales partes Reipublicæ administrent. Hæc regulam suppeditat, secundum quam commissum à Principe inferius regimen & judicium exerceant. Fatentur ipsi,

Realem impropriè esse Majestatem & Metonymicè; cum propriè & accuratè loquendo, Majestas sit in re animata, seu vivente. Quod satis est, destruendæ sententiæ. vel ingratiis enim concedunt, nullam dari Majestatem realem. Nam quæ impropriè dicuntur esse, talia non sunt, qualia dicuntur. Risus de prato dicitur; sed impropriè: & dum impropriè dicitur, prato non inest. Sic nives non sunt in capite cano, quia de eo dicuntur impropriè. Quare cum Leges fundamentales animalem naturam non habeant, impropriam Majestatem, hoc est, fictitiam & nullam, continebunt. Citanda hîc sunt quæ habet GRASWINKELIUS dicto loco: *Quod ne quemquam turbet, rei scilicet inanimæ tribui* Majestatem; *cavillari non decet, non ædes, non vici, non civitates*, regnum *constituunt*, *sed* homines. Adjiciendæ & subintelligendæ sunt Leges fundamentales, quæ certè animal non sunt. Id obiter monendum est, malè præsupponi; *quasi omnes in universum Respublicæ habeant suas Leges fundamentales*. Ecquis enim vellet asserere, in omnibus ubique regnis dari ejusmodi constitutiones, dari talia pacta, quibus adstringatur imperaturi Majestas? Quid dicendum erit de Provinciis, bello devictis; quibus nihil pristinæ libertatis relictum, & ultima ferè servitutum imponenda fuissent, si victor belli jure uti sustinuisset? Neque enim putari potest, in tali constitutione Reipublicæ locum habere illa postulata subditorum, quum armorum violentia his nihil permittat. Præter regna,

gna, subjugata, plura invenientur, quæ leges fundamentales ignorent. Non Turcorum, aut Tartarorum respublicas adducam: cum barbaricæ tyrannides audiant passim. quanquam priscis temporibus, omnium orientalium ea fuit ratio, ut adstricte regerentur subditi. Ad Romanos progrediamur, quorum *Cesar Iulius*, quum esset jam confirmatus in imperio, Majestatem habuit haud limitatam. Non arbitramur, populum sibi quicquam reservasse: quod ab eo omnem potestatem in Principem collatam, Scriptores passim, & Leges Imperatorum perhibeant. Idem statuendum est de imperio *Augusti*, & successorum: ex quo nihil relictum esse populo, manifeste patet. Si enim reservasset sibi vel populus, vel Senatus, aliqualem potestatem, Lege Regia eandem omnem non contulissent in Principem. Idem arbitrandum de prioribus Imperatoribus Germanorum, qui absolutissimo jure regnarunt: Reliquæ autem civitates, quæ limitato imperio reguntur, nondum agnoscunt realem Majestatem in Legibus fundamentalibus. quod ex dictis, & jam dicendis magis apparebit.

XIV. Originem naturalem & divinam affirmant: ut rem scilicet per caussam cognoscant. Sed applicetur hæc origo Legibus fundamentalibus: & jure naturali atque divino erunt præscriptæ. Ubi nunc est sponsio civitatis? Si naturalis origo est, omnium cordibus erit inscriptum, quales leges esse debeant; quibus pactis absolvantur. Aut nos non sumus homines, & Juris naturalis capacia subjecta,

jecta, qui præscriptum illud naturæ ignoramus; aut ficta erit naturalis origo. Id sequitur etiam, in omnibus Rebuspubl. easdem debere esse leges fundamentales. Nam quę à naturâ constituta sunt, ubique similiter se habent. Ut taceam, nullum imperium à naturâ dependere; quod supra vidimus. Si divini juris sunt Leges fundamentales; ostendant nobis in Sacris paginam, quâ id definiatur: aut quâ ipsæ leges sanciuntur, concessâ eisdem Majestate reali. Non magis vera sunt, quæ de Duratione jactant. *Majestatem realem, regno congenitam & coęvam, non desinere, nisi cum regno. Non delibari interregnis, non discordiis, non fatalibus imperii mutationibus; modò ne totum regnum subvertant. Hoc esse illud Palladium, hæc delapsa cælo Ancilia, hos denique æternos Vestæ ignes, quorum pervigili custodiâ, tutelaque totum imperii corpus conservari veteres fabulantur.* Splendida nomina: sed illud dolendum, quod fabulosa. Cavillatio in verbo *Regnum* latet. Nos appellamus, à Rege, & vocamus Monarchiam, in quâ unus Rex imperat. Ubi rex, ibi regnum, ibi imperium. Sed præter Regis Majestatem, nullam deprehendimus. Quamprimum rex exstinguitur, non amplius regnum est, non imperium adest, non respublica: sed materialis civitas, seu multitudo. Pone leges fundamentales, quales in modo limitate habendi Majestatem imprimis spectamus, proculdubio non præsente Rege, nullæ erunt in civitate. Nam limitatum Principem concernunt & obligant: sed ubi

ubi nullum ſubjectum obligationis adeſt, ceſſat ipſum obligans. Legum fundamentalium eſſentia in obligatione ad præſcriptam conditionem ponitur: ſimulatque perſona, in quam conceptæ ſunt, removetur, exſpirant ipſæ; quod abſit, qui obſervet. reviviſcunt demum, quando alium in decedentis locum adſtringunt. Non aliter ac imperans deſinit imperare, quoties ſubjectum deficit, quod imperio ſibi devincit, à quo obſequium poſtulat. Deficiente igitur Rege paciſcente, deficit lex fundamentalis. Ergo non diuturniorem perpetuitatem obtinet, quam perſonalis Majeſtas. quod vel una mutatio Reipublicæ ſatis comprobat. Non opus eſt ut evertatur univerſa civitas: ſolus habendi modus variatus legem fundamentalem tollit; ſi limitatus in abſolutum vertat. Non ſubverſum eſt Daniarum regnum: & nihilominus abſoluta regendi ratio, nuper validas leges adſtricti gubernaculi ſalutariter abſorpſit. Nunc de fundamento, quod habere dicitur in reali Perſonalis. Non aliter putant diſtribui Majeſtatem, in realem & perſonalem. *quam ut altera innuatur principium actionis & motus civilis. Summi nec æquale eſſe, nec aliud ſummum. Regni autem ſummam realem Majeſtatem cauſſam exiſtere & fundamentum perſonali: quæ illius cauſſatum, & velut fundamento ſuperinſtructum ſit. Sublata cauſſa, reali Majeſtate, nec perſonalem, tanquam effectum ſubſiſtere. Contra tamen fundamentum ſupereſſe, cui aliud quid inædificetur, licet priſtina ſtructura diruta ſit.* Ex quibus illa ſequela

quela producitur; *Deum respectu regis, ut ab ipso regno ad fastigium regale subvecti, causam causati esse, & mediam.* Respondemus; *fundamenti* nomen non esse Politicum. In attributis essentialibus & genuinis, propriis utendum est vocabulis. Nihil magis confusionem in disciplinas invehit, quam si in dogmaticis præceptionibus peregrina vocabula usurpentur. Interim sententia quoque falsa est. Inspiciamus ipsam rem. Potestne majestas dari sine Legibus fundamentalibus? Omnis ęvi monumenta id affirmabunt; & superius adducta satis convincunt negantes. His objecerim illa GRASWINKELII, cap. XI. Diss. de Jur. Maj. U*trumque hoc ipsum ut per se stet, alterum alterius ope aut conspiratione non indigere.* Hîc simul cadit & illud; *principium agendi à reali proficisci* M*ajestate.* Quocunque sensu accipias verba, certum est, principium actionis hic veram caussam esse, quæ facultatem agendi præsupponit. Nam omni caussæ efficacia tribuenda est, quâ effectum producat, & secundum indolem suam operetur. Nunc inquirendum rursus erat, num Jura Majestatis omnia resideant penes leges fundamentales, & inde in imperantem transfundantur. Num Jurisdictio, num belligerandi facultas ibi delitescat, & post in principe Legum beneficio se exserat. Sonum sine mente reperies, & pręter verba nullam potestatem. Ubi enim nulla efficax qualitas, ibi nullum datur actionum principium. quare nec principium actionum imperatoriarum ab inerti Majestate reali erit repetendum.

XV. Ex

XV. Exscisso talem in modum fundamento, corruit major dignitas & excellentia, quæ legibus fundamentalibus præ Rege, & ipso regno tribuitur. In commune enim asseverant, *illas majores Rege & regno esse*. sine ratione ullâ civili. Supra enim ostendimus; manere supremam potestatem penes regem, quamvis dentur leges regni. Dum enim Princeps reverâ habet Majestatem, nemini alii sublimior facultas affingenda est. Et quomodo major Principis imperio sit lex, quæ imperium nullum continet. Regno quoque potiores esse Leges, aliqui statuunt: eô argumento, *quod ab universâ civitate nequeant immutari*. Quod si attenderent hi tales, quæ antea de utriusque Majestatis æquali origine, fine, imperio scripserant; item quòd ipsum regnum constituat hanc Majestatem: nunquam in hanc diversitatem graduum consensissent. Num enim regnum se ipso majus & inferius erit? Nusquam cohęret hæc doctrina. Quid etiam per *regnum* intelligunt? Si civitatem & subditos: præcedentia attributa nunquam vera pronunciaverim; & loquendi formula non congruet accurationi & subtilitati politicæ. Per regnum enim populum ac multitudinem, Majestati Principis contradistinctam, nullus verus Politicus intellexerit. Ego verò à me nunquam impetrare potui, ut credam, leges fundamentales immutabiles omnino esse, aut Principem transgressorem, violentâ manu, jure posse coërceri ac castigari. Dicunt; *hanc absolutè summam potestatem, ipso regno majorem, in fundamen-*

damentalibus legibus consistere. quæ adeò sacrosanctæ sunt, ut ne quidem ab ipso regno in præjudicium posterorum tolli possint. Pias posterorum vindicias esse contra omnes, qui vi, fraude, dolo, prædictas leges opprimere conantur. Parricidas enim regni esse, quotquot in illas involare atque committere ausi fuerint. His initiò sunt opponenda quæ habet GRASWINKEL, cap. X. diss. *Proinde nihil intercedit, quò minus ipsum regni corpus & retinendi & amittendi juris sui sit dominum. Cui verò id juris est, quin id aut retinere, aut abdicare à se, sive in totum, sive pro parte possit, in controversiam vocet nemo. Ergo hominibus liberis tam fuit in proclivi, absolutè se alteri gubernandos regendosque permittere, quàm sub conditione: & vice versâ. Potest igitur regnum, seu Multitudo, potestatem si quam haberet à se abdicare, & vel in totum, vel in partem imminutam ad posteros transmittere.* Aliarum civilium legum naturam non comitatur immutabilitas. Pro arbitrio imperantis sanciuntur, ex ejusdem sententiâ abrogantur: libertate & auctoritate perpetuâ penes latorem manente. Idem de legibus fundamentalibus dicendum est. Nihil absurdi obstat, quo minus civitas illas leges possit omittere, & si ita è re communi videatur, Principem eligere, nullâ stipulatione adjectâ. Præsentium res hîc agitur, non posterorum. Si civibus expediat status purus & absolutus, non querentur posteri de mutatione. Horum nihil interest, olim mutatam esse Rempublicam: & bonus civis præsenti reipubl. statu placidus acquie-

acquiescit. Exsecranda est illa violentia, & Deo atque hominibus exosa, quâ tranquillitas semel constitutæ Monarchiæ turbatur. Si quicquam seditiosum fuerit, hoc dogma eam notam merebitur. Tumultus, bella civilia, rerum omnium confusio sequetur, si ea potestas secuturis subditis relinquatur, ut receptam, & constitutam formam civitatis possint convellere. Nulla Respublica sibi quietem habebit polliceri. Et quo jure quæso id efficient posteri? Præsentes non coacti, sed liberrimè, exigunt sponsionem à Principe. Quod liberrimâ totius Reipublicæ voluntate introducitur; quidni possit eâdem voluntate dissolvi? Illud intolerabile est, *Principem pœnam dare Majestati reali.* Duplex jus competere subjectis, *leges fundamentales sartas tectas conservandi, & ad implementum sancitorum annitendi, per istiusmodi vias, quas naturalis sui defendendi ratio commendat. Tyrannum, ipso facto statione sua excidentem, improtectum agere, adversum omnes, regno libertatem vendicare & re asserere nitentes.* Hoc est illud signum, quod ad seditiones & parricidia Regum, horrendo & exsecrando conatu, turbatores Rerumpublicarum toties sustulerunt. Recense mihi cædes Principum, & vix unam numerabis, cujus caussa vel prętextus non fuerit, populi in Principem simulata potestas. Unde verò illud jus subditis quæritur, ut regni leges sartas tectas conservent, & ad complementum jure jurando sancitorum quacunque viâ, aut vi contendant? Duplex remedium prostat, quò immorigeros
in

in ordinem cogimus, judiciorum auctoritas, & belli imperiosum jus. neutrum subditis concessum est: sed Majestati utrumque proprium; quæ integra penes Regem, qui vel juramento aliquid promisit, dicta est residere. Naturalis sui defendendi licentia, contra Principem quadantenus videtur concedenda: sed cave, offendendi conatum eâ voce includas, & violentiam legitimam in Principem pessimè interpreteris. Nunquam innocens erit, qui sacram Potestatem sacrilegâ manu temeraverit, & contra Rempublicam fecisse dicendus est, qui tam seditioso telo subditum armat. Atrocitatem sceleris non molliunt ficta *tutorum regni*, *& libertatis* nomina; *cujus servitus ac ruina vel gravi bello posthaberi debeat.* Hæc ipsa sunt incentiva seditionum, mentita subditorum potestas, & speciosum vocabulum libertatis: quæ florentissimis regnis discordias, tumultus, bella civilia, vastitatem, ruinam accelerarunt. Liceat exprimere indignitatem tumultuantium conclusionum, & inquietas sequelas indignante animo aversari, & feralia scita omnibus calculis damnare. Hæc sunt illa, *quæ obedientiam revellunt, factiones suscitant, seditiones armant: in bella civilia, nec paranda, nec habenda per bonas artes protrudunt. Quæ exesse utique fas esset. at quid exesse dico? quin demergi in horrendas abyssi tenebras; & eò ablegari, ubi neque nomina, neque facta maledicta Realis Majestatis audiantur.* Ista vix nominanda vocabula seditionum, originem suam non aliò referunt, quàm ad

vastas

vastas illas, & tantis animis agitatas disputationes, de jure summæ potestatis in populo: quæ orbem Christianum non modò exercuere; sed & horrendo parricidiorum, bellorumque civilium, & impiè fusi sanguinis profluvio, dolendum & exsecrandum in modum toties, totque hinc ab annis inundaverunt. Interest Principum ac Regum, ne sacra Imperii à quibusvis impuris manibus tractentur. Sæpè opinione, etiam impiâ, civilia evertuntur. Majestatis fuerit, coërcere tam absurdarum, & publicè noxiarum opinionum auctores: nec committere, ut profani illi homines divino imperio tam impune illudant. Reverâ enim stimulant plebem in seditionem & civile bellum; dum vanissimi subditorum voluntatem in suum Regem movent, & dextram armant. Has faces & tubas confusionum, si in suo regno deprehendat rex, non mitiori, quam perduellium pœnâ afficiet; si in alienâ, & forsan plebejâ civitate delitescent, tanquam reos juris gentium, ad supplicium dedendos jure postulabit. Ut digna severitate obviam eatur machinamentis diaboli, qui talium operâ commodè usus, divinum ordinem, atrocissimâ doctrinâ satagit miscere & conturbare.

CAPUT XI.

DE

SUBJECTO MAJESTATIS.

I. *Subjectum commune* M*ajestatis negatur.*
II. *Infantes reges* M*ajestatem habent.*
III. *Item furiosi.*
IV. *Fœminæ imperium, non est contra jus.*
V. *De hæretico, & pagano.*



Ltimo loco pauca quædam contemplabimur, quæ Subjectum Majestatis concernunt. Duplex hic disputatio ventilatur: altera de actuali subjecto; altera de his, quibus aptitudo imperandi non videtur adesse, propter imbecillitatem ætatis, sexus, aut alias circumstantias. Quoad actuale subjectum, opus haud est, ut prolixe ostendamus, Imperantes actu, esse subjectum Majestatis. Nam summum, & nemini obnoxium, imperium civile, est ipsa Majestas. penes quos ergo illud deprehenditur, illi subjectum Majestatis dicendi sunt. De populo saltem id disquiremus, num in Monarchiâ etiam, præsente Rege, aliquo modo subjectum Majestatis dici queat? Actuale Subjectum Majestatis dividit GROTIUS in *Commune* & *Proprium*. Lib. I. de J. B. & P. cap. III. n. VII. *Subjectum*, inquit, *aliud est commune, aliud proprium: ut visus sub-*

ſubjectum commune eſt corpus, proprium oculus. Ita ſummæ poteſtatis ſubjectum commune eſt civitas, quam perfectum cœtum eſſe, ſupra diximus. Hujus rei certum indicium eſſe poteſt, quod extincta domo regnatrice, imperium ad quemq; populum ſeorſim revertitur. Subjectum ergo commune eſto civitas: Subjectum proprium, eſt perſona una pluresve, pro cujuſque gentis legibus ac moribus. Repetit eadem Lib. II. c. IX. n. 8. *Nam imperium quod in rege, eſt ut in capite, in populo manet ut in toto, cujus pars eſt caput: atque adeò rege, ſi electus eſt, aut regis familia extincta, jus imperandi ad populum redit, ut ſupra oſtendimus.* Quam ſententiam redolere videntur illa apud *Guntherum*, in Oratione ad Proceres Germaniæ:

In manibus veſtris regnum eſt: ea quippe poteſtas
Ad vos more ſuo ſemper viduata recurrit.

Et fundamentum forte habent in illo naturali imperio, quod multitudini, tanquam toti, in ſua membra, natura datum eſſe, fingitur. Quod ſi Majeſtatis ſubjectum civitatem dicerent, ea interpretatione, quatenus Princeps imperium habet, & in civitate conſtituta reperitur: admitteremus aſſertionem. Sed quando ille ſenſus vincit; *Populum poteſtatem habere, electo regi conferre, hòc extincto eandem recipere, alterique tradere*: nullo planè modo enunciatum probamus. Argumenta quibus doceretur, hoc ſubjectum eſſe commune, erant adjicienda. Non ſupplet defectum illum ſimile, à naturali quadam potentiâ petitum. Exempla in Politicis

ticis politica, & probationes civiles, non naturales, aut aliæ diversæ similitudines sunt conquirendæ. Illud quoque visus subjectum, non satis accuratâ subtilitate fuit conceptum. Corpus non est Subjectum alicujus facultatis animalis, nisi mediante animâ, quæ habet potentias naturales, & cum his materiam inhabitat. Corpus destituitur qualitatibus, quæ à solâ formâ proveniunt; & ideo nisi vulgari nimis loquendi formulâ, subjectum non appellabitur. Sicuti forsan eruditionis subjectum aliquis nominaret Musæum, in quo vir eruditus commoratur. Sit interim corpus subjectum visus; non competet ipsi corpori, nisi intercedente animâ, cui principaliter, ut reliquæ potentiæ, adhæret. Recedente anima extinguitur visus, & neque oculus, neque corpus, subjectum amplius sunt. Jam si Majestatis subjectum simili modo se habet, concludendum est, mortuo Rege, qui erat proprium subjectum Majestatis, interire eandem, & populum privari summo imperio. Sicut cadaver omni qualitate animali destituitur, amissa anima. Non igitur extincta familia regnatrice ad populum revertitur imperium: sed jus eligendi aliquem, & sumendi in regem. Jus vero Electionis non statim arguit præsentiam Majestatis. Naturale illud imperium supra removimus. Inclinatio ad societatem ineundam, nullam probat potestatem. Et hunc naturalem impetum, vel ordinem, insufficientem esse productioni Majestatis, alibi declaratum est.

II. Quan-

II. Quando aptitudinis mentio fit, id disquiritur, *num certæ personæ ab imperiis excludantur, & quæ illæ sint?* In dubium enim vocatur, num ætas infantum, sexus fœmineus, item hæresis, aut paganismus, impediant, vel admittant imperium? De infantibus negativè pronunciant GROTIUS, & HERMANNUS KIRCHNERUS. Ille Lib. I. d. J. B. c. III. n. XI. Tutoribus temporariam Majestatem assignat, dum regni hæres infans est. Hic apertius Lib. I. de Legat. cap. III. n. 48. 49. *Majestatis, & regni jura nondum nactos esse, qui per ætatulam nondum intelligunt, quid agant, quidve videant ignorant, quique Reipublicæ attingere frenos, tanquam altioris Bucephali, nondum possunt, sed ad spem saltem imperii adolescunt.* Ratio effati illa est; *quod summa prudentia requiratur ad exercenda* Majestatis *jura: quam non admittit tenella ætas, ob judicii defectum.* Verùm quotidiana non tantum experientia; sed prophana simul, & sacra monumenta, sufficienter probant, id fieri potuisse, quia factum novimus. in regnis præsertim successivis; aliquando etiam electivis. Infans, qui jam destinatus hæres est regii solii, non in spem imperii adolescit, sed imperium jam actu complectitur. Non cum ætate & annis accrescit Majestas: momento adest, quo pristinus rex fatis concedit, & successor solito jure admittitur. Facultatem igitur, & jus imperandi habet infans; cujus exsecutores & administri sunt tutores: qui jussu auspicioque Domini, regimini moderantur, propriâ potestate

destituti. Habet hos vicarios, qui necessariâ prudentiâ, & usu instructi, Reipublicę munia exercent. Incommoda per accidens adveniunt. Seditiones perduellium veteranum quoque Principem opprimere solent; nec ideo tamen hic imperium non habuit. Quoties pertractamus imperia, non præcisè utilitatē majorem respicimus. id inquirimus potius, utrum aliquod detur obstaculum morale, seu civile, quod facultatem iniquitatis postulet, aut evertat. Damna sola, & incommoda, jus minimè tollunt. De auspiciis regis infantis, quæ Majestatem præsupponunt, videndus Iustinus, Lib. VII. cap. II.

III. De furioso eadem dicenda sunt; licet enim imperans debeat esse subjectum intelligens; in furioso autem mens sedibus suis mota, nihil reliquum videatur facere rationis: manet tamen ratio quoad actum primum, quam retinet, dum homo fuerit. Quare dicendum est, si casu, aut morbo, in insaniam incidat Princeps, retineri possessum antea imperium: nec privandum esse regno; sed adjutore sublevandum. Quod de *Cleomene*, Spartanorum rege, observat *Herodotus*, Lib. VI. De *Nabuchodonosare* Sacræ quidem litteræ testantur; furore correptum, in exilium esse missum. Sed hic speciale supplicium intelligendum est, quod Deus per Danielem, somnii interpretem, jam prædixerat. Ut superbus Rex fontem imperiorum scrutaretur: nec sibi ambitiosè vendicaret, quæ divinitus acceperat. Speciale igitur circa pœnas privilegium,

um, extra personam non est porrigendum. In reliquis benignior interpretatio locum sibi faciet. Eadem enim caussa subest, quæ in infante. Quare, ut huic tutor, seu administrator regni, designatur: ita furioso adjungendus est, qui negotia Reipublicæ procuret. Nisi furor ab ineunte ætate affligens hominem, sine intervallo durans, nullam spem relinquat ægritudinis tollendæ. Hoc enim casu aliter pronunciandum est. quod constare haud possit, utrum imperium à Deo huic, perpetuo furioso datum sit: & maximè, num illud amens acceptaverit, an recusaverit. Tunc enim proximo cognato permitti poterit rerum summa; ea conditione ac Lege, ut jurato promittat, se restituturum successionis beneficium, simul ac vitium prolapsæ mentis cessaverit, & ille resipuerit.

IV. Sexui muliebri qui Majestatem denegent, plures sunt. *Quod nullâ efficaciâ, nulla drudentia armatæ sint: potius in sævitiam, iram, & qualibet vitia propendeant. Unde judicio divino maledictus dicitur populus, cui infantes & fœminæ imperant.* Sed hæc argumenta tanti momenti non sunt, ut fœminam negent capacem imperii Majestatici. Rationes istæ particularia exempla pro fundamento habent. Quibus si ab alterâ parte æquivalens argumentum opponendum est; plurima coacervari possent earum, quæ dexteritate agendi, & consiliorum solertia, rem strenuissimè egerunt; cum vitia muliebria simul cum privatâ sorte exuissent. Si viros considere-

mus, & hos sua exercent vitia: quos propterea non excludimus ab imperio. Scripturæ locum, alium habere sensum, historiæ contextus arguit; & convincit, per *timidos*, aut *imprudentes*, esse interpretandos, qui infantes ibi, & mulieres dicuntur. Imo si maledictus est populus, cui fœminæ imperant: actu imperium exercere possunt fœminæ. Debebant negare non tantum exercitium Majestatis in fœmina; sed ipsa etiam jura, quoad actum primum. & quidem illis exemplis & argumentis, quę inhabilitatem sexus muliebris demonstrarent. Id majorem difficultatem habet, quomodo retineat Majestatem, si nubat: quod marito in conjugem, divino jure, & solemni formula, potestas permissa sit. Majestas autem superiorem non agnoscat. Habemus plurima exempla Reginarum, quæ matrimonium ineuntes, pactis sibi imperium reservarunt. Quod de Isabella, Ferdinando Arragonum Regi nubente, testatur *Bodinus*, Lib. VI. de Republ. c. V. De *Maria*, Ludovici filia, Sigismundo, Bohœmiæ Regi ac Imperatori, nubente, idem tradunt Scriptores. Hinc monetas percussit, hac inscriptione; MARIA REX UNGARIÆ. Indigna hęc & talia videntur, dum maritus uxoris subjicitur imperio. Adducunt alii exempla maritorum, qui ab uxoribus è medio sublati sunt. Hæc ad infamiam sexus virilis pertinere censentur: adeo ut muliebre imperium contra jus naturale, & divinum impingere videatur. Hoc inde probari video; *quod fœmina divino jussu subsit mariti voluntati*,

tati, & divinâ sanctione prohibeatur quicquam in civilibus negotiis publicè attingere. Citant textum *Genes.* III. I. *ad Cor.* II. item I. *Cor.* XIV. ubi jubetur *tacere mulier in Ecclesiâ:* quia turpe sit, *in medio conventu loqui, aut concionari fœminam. An non etiam turpe sit, mulierem dominari in medio foro, volare per rostra, per castra? Magnā regii muneris partem in constituendis Episcopis consumi. quâ curâ abstinere debet secundum Apostolum. Adducunt locum* I. Tim. II. 13. *qui uxorem non patitur regnare, cum Adam factus sit ante Evam, & Eva facilitate irrepserit peccatum.* quo facit I. Cor. XI. *Mulierem factam esse propter virum, non virum propter mulierem: & proinde velamen crinium ex justitiâ Naturæ decere mulierem, in signum subjectionis: viro autem cæsariem turpem esse, quod caput sit mulieris, liberum, nullius imperio subjectum. Iam non solum honestum esse, ut maritatæ uxores alant crines, sed etiam ut virgines & viduæ. Ergo eas dominari non convenire, sed esse subjectas, quoniam subjectionem inde evincat Apostolus, quod naturalis honestas prohibeat sexum femineum caput radere. Cuicunq; autem nefas est caput tondere illi nefas esse dominari. At non solis uxoribus, sed & innuptis, & virginibus, nefas esse crines demetere. Proinde nulli sexus fœminei ordini in liberos viros naturâ competere dominium.* Ex his tamen nondum convincitur, contra jus naturale fœminæ dominatum esse: licet largiamur, eundem fœminæ natura in viros non competere. Nec fœminæ, nec viro à natura,
aut

aut jure naturali competit imperium: quod supra vidimus. Prioritas temporis nullam potestatem evincit: aliàs bruta, & inanima subjectum habuissent Adamum. Adami quoque facilitate peccatum admissum fuit, non minus ac Evæ. Pœna, tum dictata, non ex natura peccati; sed judicis arbitrio variabat. Et eadem opera potuisset Deus Adamum Evæ subjicere, qua hanc illi subjecerat: nihil contra sanctitatem suam, & jus naturale, admissurus. Facta est mulier propter virum: sed huic in auxilium, non servitium. Ad jus naturale *Paulus* nos minimè deducit. Nam probabilibus argumentis utitur inibi Apostolus, non moralibus & necessariis. Et *Naturæ* vocabulum, optimi quique interpretum per Consuetudinem explicant: quasi Paulina ætate, moribus gentis Judaicæ introductum fuerit, ut viri comam raderent, non alerent: licet natura de re, minimè morali, nihil sanciat. Observat alibi Grotius, ab auctoribus utriusque linguæ, *naturam*, & *naturaliter*, pro solito accipi. Quo sensu explicat illud *Pomponii*, in pretio venditionis & emptionis *naturaliter licere se mutuo circumvenire. Naturaliter autem eo in loco, ut & alibi interdum, positum est pro eô quod recepti passim moris est, quomodo apud Apostolum ipsa natura docere dicitur, viro turpe esse comam alere, cum tamen id neque repugnet naturæ, & multos apud populos usitatum sit*, lib. II. de J. B. & P. cap. XII. n. XXVI. ubi pluribus exemplis id docet. Formulâ cadet, quicunque fortioribus probationum ponderibus non sustinuerit

nuerit sententiam. Id negant sacræ litteræ, quod nefas sit illi dominari, cui nefas est tondere caput. Nam contrarium in Simsone licet observare, qui regimen Israëliticum tenuit; & huic nefas tamen erat, capillos recidere. Ex præscripto Angeli, prædicentis nativitatem Simsonis, & vitæ degendæ normam, monebantur parentes, ne capiti ejus admoveretur novacula, quod Neziræus Dei futurus esset. Cæsaries signum, non ingenuitatis modò, sed regni quoque, apud gentes alias observatur. Itaque solis regibus, aut regali sanguine oriundis, aliquando permissum fuit, gestare cæsariem. Quod de Francis memorat JOANNES TILIUS, de Rebus Gallicis. Et hodiè tantum abest, ut, qui habet cæsariem, eam radat, ut potius qui alere nequit, fictitio capillamento æmuletur. Tunc forsan temporis apud Judæos indecorum fuit alere comam, nobis inhonestas nulla videtur subesse. Nulli fœminarum competere imperium, satis redarguitur, concessa servitute. Nam servus utique vir est, & huic posse præsidere fœminam, largiuntur omnes. Multò magis imperabit civiliter: quod genus regiminis mollius est herili. Si non potest imperare femina, nec servis imperabit: sin servis imperat, imperii in virum capax est. Tacere jubet Apostolus fœminam in concione; pro captu temporis, & circumstantiis seculi. Jam constituti erant Episcopi, Diaconi, & Doctores verbi: ut opus non esset ministerio muliebri. Docuisse fœminas, satis ostendunt Prophetissæ:

& sola Hanna, quæ Christum in templo prædicabat. Ipsi imperantes raró obeunt munia sacra, imò hodiè nunquam: regnant interim. Sequela igitur non satis firma videtur, à sacris ad imperium concludens. Vocabit Episcopos Princeps, & ordinabit omnia sacra, licet ipse clericus haud sit. Simili modo ut regat eadem fœmina, nihil obstabit. Jus divinum itaque non læditur fœmineo imperio: cum huic maximè faveat. Nam à Deo Majestas quoque repetenda est in muliebri imperio. *Evertitur interim* M*aritalis Potestas*. Ita est. Sed hîc applicanda sunt, quæ alibi dicta fuerunt; Majestatem eminentissimo quodam modô continere omnes potestates inferiores. ea efficacia, ut easdem ad se trahat, & pristinis possessoribus subtrahat. Inde est, quod servitutum jura, olim in Republica Romana antiqua satis severa, sub Justiniano, & aliis imperatoribus, angustioribus carceribus fuere inclusa; hodieque penitus inter Christianos abrogata sunt. Maritale jus nunquam ferè in Rebuspublicis integritatem suam retinuit: potestate in caput Majestati asserta. adeò ut maritus ne dominus quidem manserit perpetuò rerum dotalium apud Romanos, Germanosque. Quemadmodum Patria potestas à Principibus imminuta fuit. Tenue obsequium, & in filiis, & in uxore hodie superest, dum jussa mariti & parentis reverenter quidem suscipiunt; pristinæ autem potestati amplius non subjacent. Absorbet enim potestates inferiores Majestas. Jam olim in Republica Rom. excogitati modi, quibus reliquiæ

liquiæ patriæ poteſtatis penitus tollerentur: & non ignorata via fuit, quæ conjugem poteſtati viri non permitteret, niſi conveniret in manum. Nam quæ uſu habebatur uxor, in patris manebat poteſtate, aut eô defuncto, liberi juris evadebat, & manebat: modò per trinoctium iret uſurpatum, ne uſucaperetur à marito, ſi abſentia ſua uſucapionem non interrupiſſet. Et hæc tamen jus divinum non interrumpebant: quòd Deus nemini Jus irrevocabile dederit; & exſpirent ipſo facto patriæ & maritales poteſtates, ubi univerſi unius imperio à Deo ſubjiciuntur. Nihil quicquam intereſt, cui ſubjecto adhæreat Majeſtas: cùm poteſtas ubique eadem ſit, æqualis facultatis & efficaciæ. Ut olim ergo, hodieque Imperatorum Majeſtas, maritalem facultatem extinguere potuit: ita eandem ſimiliter ad ſe trahit muliebris Majeſtas, ex indole propriâ ſummi imperii. De indignitate ejuſmodi matrimonii viderit ille, qui tales nuptias ambit. Quanquam tolerabile videtur jugum, auſcultare dominam, cui omnes ſerviunt. Non obligatur ad indignius obſequium reginæ maritus, præ reliquis: cùm omnes viri in hâc Gynæcocratia fœminæ parere habeant neceſſum.

V. Secundùm alias circumſtantias negant, in Regem ſumi poſſe hæreticum, aut infidelem. Ita vulgò ex jure divino, quô conſtitutum erat, ne alius in Regem Iſraëliticum legeretur, quàm qui de gente & ſanguine eſſet; concludunt: quod Jure divino & Naturali in Regem nequeat eligi, qui Chriſtianus non eſt.

Sequi permulta absurda communiter, & ideo per Mosen dixisse Deum; Eum constitues (scilicet regem) quem dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non sit frater tuus. Fratrem eo loco Deus appellare eum, qui ejusdem est Religionis. Quod universaliter pronunciatum concedi haud potest: cum maximam orbis terrarum partem, non Christianus aliquis Princeps, sed vel hæreticus, vel paganus regat. Jure divino Gentilibus quoque conceditur Majestas: unde Pilato permissam potestatem Salvator ipse asserit. In Mosaicæ Reipublicæ constitutione certum est excludi solio Ethnicos: sed à solio Judaico. Speciale enim scitum erat hujus civitatis; ad universalem assertionem non extendendum. Sicut Germani extraneum non eligunt Imperatorem: nihil tamen obstat, quo minus apud alios in Principem sumatur peregrinus. Non regnat aliquis propter religionem; sed propter imperium: quod cum illâ nihil habet commune, sed cum, & sine illâ, consistit.

CAPUT XII.

DE

SUBDITIS.

I. *Peregrini & Incolæ.*
II. *Fidelitas subditi.*

III. Ob-

III. *Obsequium debetur Majestati in omnibus.*
IV. *Etiam Tyranno,*
V. *In præceptis dubiis.*
VI. *Sed ut in praxi deponatur dubium.*
VII. *Impiis mandatis non obtemperandum.*
VIII. *Subditus judicium non habet civile.*
IX. *Bene tamen in naturali a præcepta.*
X. *Contra tyrannum nequit insurgere.*
XI. *Defensio permittitur in ministros.*
XII. *Non obstante martyrum exemplo.*
XIII. *Caussa Obsequii.*



PRimam partem Reipublicę Monarchicæ contemplati sumus, Majestatem: ordine nunc considerabimus subditos, & quod hos decet, Obsequium. Hoc enim ex opposita parte respondet summo Imperio Majestatico. Non considerabimus hic varia subditorũ genera, quę auctoribus vulgo tractantur; quatenus *Ecclesiastici alii*, alii *Seculares*: alii *Nobiles*, alii *Plebeji*; item quod hi *agricolæ*, illi *mercatores*, isti *milites* sint: hæc enim discrimina non sunt præcipuum illud quod hic quærimus. Indagandum est, quantum sit obsequium, quod Majestati debet subditus. Hoc ipsum ut assequamur, separandi initio sunt temporarii subditi, à veris & perpetuis. Temporarii subditi, qui improprie, & secundum quid subditi vocantur, sunt *Peregrini & Incolæ. Peregrini* hospites sunt, versantes in aliena republica, cujus nec pars sunt, & in qua domicilium stabile non habent. *In-*

colæ propius accedunt subditis, & domicilium habent, & utuntur plerisque commoditatibus Reipublicæ, & propterea quoque munia civilia subeunt, licet singulis oneribus non subjiciantur. Peregrinorum obedientiam non extendimus ad alia, quam consuetudinis observantiam, quæ hospites publicis conformat moribus & institutis regionis, ne his contraveniant; sed loci observent leges, si quid agere instituant. Iniquum enim foret, alienæ Reipublicæ sanctiones temerario ausu violare, & subditos alterius in patriâ sede offendere. Ad operas personales ordinario jure non tenentur, nec realia onera. Vectigalia non solvunt, quatenus peregrini sunt; nam & cives pendunt eadem: sed quod mercaturam exercent, merces important exportantque; iisdemque emendis ac vendendis rem faciunt. Quanquam vero Reipublicæ in reliquis non obstricti sunt peregrini, dantur casus tamen, quibus subjacent nihilominus Jurisdictioni, quoties vel ex ære alieno, vel crimine aliquo publico, hospitum sententiæ subjiciuntur. Non est insolitum eos pignorationibus, quæ barbarè *Arresta* & *Repressalia* dicuntur, coërcere, quoties tale quid securitatis caussa postulat: quale remedium apud Romanos *Clarigatio*, apud alios aliter vocatum; dum jus erat prehendendi, & abducendi hominis, & in vinculis captum habendi, donec æs persolveretur. *Jus limitum* Gallis dici, quod in limitibus potissimum exerceatur, & eo utamur ad injurias vindicandas, ab alienigenis nobis illatas, alii tradunt. Solent
etiam

etiam pœnis capitalibus affici. Quod crimen delinquentem ſubjiciat tribunali imperantis, in cujus territorio contra ſocietatem civilem aliquid admiſſū eſt. Quadantenus enim concedit tranſiens in poteſtatē hoſpitis: contra cujus inſtituta ubi aliquid deſignaverit, jam hoſtili ſuo facto ſe alteri tradidit. Ita obſervamus, neceſſitatis extremæ articulo, bona peregrina, ſub titulo mutui, eripi poſſeſſoribus: quod hactenus ſubdita quodammodo ſint, dum in territorio Principis reperiuntur. Incolæ vero quoad obſequia majori obligatione obtemperant; & exiguo diſcrimine à veris ſubditis ſeparantur. Incolunt ſuum domicilium non ſecus ac alii cives, & ipſâ publicâ protectione ac ſecuritate cum aliis fruuntur; reliquas tandem utilitates, vitæ degendæ commodas, percipiunt. Eadem ratione operas ſuas publico commodant, & munera civilia minimè poſſunt detrectare: ſua quoque in publicum contribuunt. Et differunt aliquando à civibus, non tam quod majori onere, cui cives ſubducuntur, graventur; quam careant immunitatibus, quibus iidem gaudent, inprimis in Repub. liberâ.

II. Sed mittamus in præſentia temporarios illos & partiales ſubditos; & conſideremus potius, quid de veris & propriè dictis ſentiendum: qui in verâ relatione ad Majeſtatem id nomen gerunt, & alteram partem Reipub. conſtitutivam abſolvunt. Horum obſequium ex certioribus fundamentis, & indubitatis principiis deduci poteſt: nec opus habemus

illud

illud ad particulares, voluntarias & mutabiles civitatum singularum consuetudines extendere. Ejusmodi verus subditus est, qui secundum omnes potestates summi imperii debet obsequium. quo nomine & obedientiam quoad imperata, & fidelitatem comprehendimus. Ex hujus præscripto utilitatem & incrementum Domini totiusque Reipublicæ, quantum quidem in manu suâ positum habet, promovere studet: omnia incommoda, quę in perniciem civitatis expetere possunt, pro virili declinat. Quod si enim contra datam imperanti fidem aliquid sustineat designare; damnosa consilia vel non detegat, vel ineat ipse: reus Majestatis est, & eo crimine damnandus. Quam infamem notam ut effugiat, tentanda omnia, toleranda omnia, & hostium ingruentium impetus constanti fortitudine depellendi sunt. In obsidionibus potissimum castrorum, ubi vel ultima audenda patiendaque sunt, ut fidem, Principi debitam, inviolatam præstemus. Postulatur illa fides non tantum ubi resistendum hosti est: sed illibata manere debet, quando jam occupati sunt ab injusto invasore subditi. Adversus hunc quomodo se gerere debeant, definitur, ubi de occupatione agitur. Domino suo id debebunt, ne eundem deserant, sed emigrent potius evocati, etiam cum jacturâ facultatum. ne manifestam violentiam sua ope instruant. Ut idem vero cum præsentissimo vitæ periculo tentent, non videtur temere affirmandum: nisi expressissimè id à Principe legitimo præcipiatur, & hac via saluti ejus con-

consuli queat. Nam si frustranea foret illa audacia, & ad Dominum nullum rediret emolumentum; temerarius meritò judicaretur conatus, qui vitam periculo non necessario exponeret. Ad tam atrocia obsequia fidem subditorum non obligamus, ut arbitremur, mandari posse violentas manus, præcipitationes, & ejusmodi horrendas mortes, ne in hostium potestatem veniant. Id præcipi subditis potuit ut fortiter pugnent pro communi salute, & malint occumbere, quàm turpi & noxia fuga tutelam Reipub. prodere: ut ipsi occisoris occupent munus, imperari haud decet. Exsecranda est eorum fidelitas, qui classibus aut castris præfecti, antequam in potestatem hostis se redigi patiantur; vel ex præscripto superioris, & iniquè ad hoc præstito juramento; vel ex nescio qua, temeritatis & vanæ gloriæ cupidine, tormentario pulveri lacerandos se permittunt. Ad id obligabitur miles, ut quamdiu aliquis spiritus membris inerret, adversario restet, & pro domini utilitate ponat pugnacem animam. Ut secum ipse componatur, & hostiles inferat proprio corpori manus; id nulla fides excusabit, & ab omni humanitate accusabitur monstrosum obsequium.

III. Sed properemus ad Obsequium, quod manifestis jussis debetur: & videamus quousque illud extendendum. Nos ad omnia mandata porrigimus. Sed ea *omnia*, secundum substratam relationis materiam veniunt interpretanda. Scilicet obsequium constituit naturam subditi, qui respicit imperantem, Majestate instru-

instructum. Huic omnia subjacere, quæ in civitate sunt, in præcedentibus expositum est: his omnibus obnoxii, vi consequentiæ, sunt subditi. Imperantibus non aliter adhæret Majestas, quàm ut in subditos se exserat illa vis, à parentibus reverenter suscipienda. Vanum esset omne imperii nomen, nisi ex sua indole importaret obsequium in adversâ parte. Jam ipsa Majestatis natura in eo dicitur consistere; ut summa sit in civitate, & ubique, hoc est, per omnia valeat. quare necessariò concludimus, omnibus istis juribus, & ubique, obligari subditum. Ut cogi possit, imperio in personam, dominio in res, directioni universæ civitatis, secundum explicata jura, debet obtemperare. Atq; posita hâc explicatione, ulterior nulla dubitandi vel caussa, vel ratio subest. Honesta sunt, licita sunt ista omnia: nec periculum inde obedientibus timeri potest. Principi potestas in omnia jure vicario competit; exerceri solito Dei optimi maximi nomine: qui sicut nihil decernit, nisi quod justum ac bonum est; ita ejus officialis aliter haud poterit agere. Hinc auctores, qui in Principe potentiam, divinæ æqualem, cœlitus communicatam, agnoscunt; imaginem Dei simul deprehendunt, cujus vim in virtutibus positam esse affirmant. unde jussiones Majestatis, illuc respicientes, nullum præjudicium pietati, vel justitiæ facient. Quòd ille divinitatis character, in Majestate deprehensus, ex potentia simul, & justitiâ componatur. Rectè igitur subditi atque ex ordine faciunt, quoties constitutum Principem,

cipem, non aliter quam Dei Vicarium suspiciunt: rati, non homini præstari tum honorem & reverentiam, tum obsequii promptitudinem; sed ipsi, qui præfecit Regem, Deo. Necessitas enim parendi Deo, quum imposita cuilibet ex lege creationis sit; non detrectabit imperium divinum quisquam, ubi Creator prçceperit in Principe sibi honorem exhibendũ.

IV. Interim non optimus semper contingit populo rex, sed pessimi quique non rarò id fastigium tenent. Potissimum quando hæreditario jure conceditur successio: ubi accipiendus ac retinendus est, quem nascendi sors prætulit aliis. Et quamvis Electionis major sit libertas, quæ dispicere quaquaversum potest, ut sumatur optimus: fallitur nihilominus humana solertia, quæ fucata discernere à veris non semper novit. Adhæc varium ac mobile Principum non infrequenter ingenium est, ut non exsequantur strenuè, egregiè quæ cœperant. Immissi in hunc regnandi campum, initio ostentant, aut simulant virtutem: progressi aliquousque descisćunt ab eadem, & non gradu, sed præcipiti cursu, ad vitia quidam procurrunt. Quod si hæc talia veniant usu, & antè habitam, vel fictam bonitatem exuat animo rex, sordidisque moribus inquinet divinum characterem: num subditi obsequium ipsi præstare tenebuntur, perinde ac bono Principi? Poterat dubium incidere de obligatione obedientiæ. Propterea scilicet subjiciuntur homines potestatibus, quia divinum id officium est, & qui eo fungitur, Dei vices subit in regendâ civitate.

vitate. Sed cùm pessimus præest, & vitiis inquinatissimus, tantum abest, ut gerat personam Dei Optimi Max. vicariam, ut Deo potius suis sceleribus infestus immineat. Quare soluti videbantur subditi obedientiâ, debitâ Deo & ejus administris, non perjuris hostibus. Si consulamus Græcos, & Romæ liberæ Scriptores, reperiemus, non tantum negari obsequia, sed strui insidias, deturbari Reges, machinari cædes, decerni præmia Tyrannicidis. Tyrannum occidere, ex omnibus præclaris factis pulcherrimum existimat populus Romanus, si TULLIO credimus. III. off. Et sunt, qui virtutem Regis, inter conditiones ponunt, ut subditi pareant. Turpitudinis quidem notam non effugient reges, qui exemplorum vi & efficacia inculcare debent virtutes parentium animis; si primi deserant pietatem, & vitia in Rempub. introducant: cæterùm non fas erit subditis, pristinam obedientiam negare. Quod ejusmodi impium Regem supremus Dominus ferat, & in veteri loco positum relinquat. Sive indulgentia solitâ & conniventiâ, ut redeat ad frugem; sive imperscrutabili quadam providentiæ lege, ut subjectum cœtum, qui proculdubio affinis culpæ erat, imperantis improbitate atque sævitiâ moneat atque castiget. Quamvis igitur Deo adversus sit tyrannus quoad vitia; refert tamen adhuc Eundem imperii potestate; cui obsequium juste negari haud poterit. Quamdiu regale fastigium tenet, venerabundâ subjectione dictis & imperatis ei audientes sunt cives. Propter

pter evidentissimam obligationis consequentiam. Nec mutanda obedientiæ religio, quando iniquum aliquid postulaverit. Separanda tamen, ad evitandam confusionem, iniquitas actionis, ab injuriâ, qua patiens afficitur. Nimirum quoties requirimus obedientiam circa postulata iniqua, intelligimus iniquitatem imperantis, non malitiam subditi. Quando ex mala libidine, & nocendi animo, aliquid imponit subdito, quod ejus personam, aut fortunas aggravat, parendum tamen est jubenti. Non tam quod ingens imperium in personam, & maximum dominium in bona habeat imperans: multo minus quod subdito non possit injuriam facere Princeps; sed quod actionem palam tyrannicam, teneatur ille recipere, cum passionem saltem infligat parenti, nullum morale malum imprimat.

V. Hactenus igitur debet tyranno obsequium subditus, dum patientis rationem subit: ne detrectet, quicquid injungitur. At aliter se res habet, ubi agere malè jubetur, & præcipitur crimen perpetrandum. Distinguendum tamen hîc est, num apertum sit scelus & manifestum, quod perpetrandum est; an apparens, quod dubium vocamus, de quo prius. Nimirum occurunt actiones, quarum bonitatem non semper ex communissimis principiis Juris Naturalis deprehendere potest subditus: sed educendæ sunt conclusiones ad definiendam qualitatem *actionum*; ea subtilitate, ut se expedire nesciat dubius animus. *Dubium* enim vocamus, quando intellectus subditi nihil deter-

terminare audet, circa honeſtatem, vel malitiam actionis; ſed hęret: quia conjecturas æquales invenit, quæ ex una parte oſtendunt bonitatem, ex altera turpitudinem actionis arguunt. Quomodo hîc ſe comparabit ſubditus. obſecundabit imperanti, propter argumenta, quæ permiſſum eſſe mandatum evincunt? an reſiſtet non obtemperando, ob probabilem actus præcepti malitiam? Sunt qui ea conditione rerum, negari poſſe obſequium affirment. Ita CICERO, l. *off. Bene præcipiunt, qui vetant quicquam agere, quod dubites æquum ſit, an iniquum. Æquitas enim lucet ipſa per ſe: dubitatio autem cogitationem ſignificat injuriæ.* Quando varietas opinionum eſt, immediate circa obligationem obediendi, certum eſt FRANCISCO de OVIEDO, poſſe ſubditum licite non obedire, ex probabili opinione, aſſerente, eum non adſtringi obligatione obediendi, *Tr.* V. *Cont.* III. *Punct.* V. *n.* 54. Argumenti loco id ponitur, *quod inter duas opiniones probabiles, immediate tendentes circa praxin, quilibet poteſt gratiorem ſibi eligere.* Alii ſubditum abſolvunt obſequio, tali collectione: *Non teneri propterea, quia probabiliter opinatur, illicitum eſſe, quod præcipitur. Ad res autem illicitas non tenetur. Tandem, quia opinione probabili, dictante tributum eſſe injuſtum, ſubditus non tenetur illud ſolvere, etiamſi Princeps probabiliter judicet eſſe juſtum;* univerſaliter concludunt, *nec in reliquis obligari ſubditum.* GROTIUS in materia applicata, de bello dubio, auctor eſt ſubdito, ut quieſcat.

Quod

Quod dubitans contemplative, debeat judicio activo eligere partem tutiorem. Est autem pars tutior, abstinere bello. Neque obstat, quod ex altera parte periculum est inobedientia. Nam cum utrumque incertum sit (nam si injustum est bellum, jam in ejus vitatione nihil est inobedientia) caret peccato, quod ex duobus minus est. Inobedientia autem in ejusmodi rebus suapte natura minus malum est, quam homicidium, præsertim multorum innocentum. Sed hæ rationes non eximunt subditum ab imperio mandantis dubia. Quod in genere dicitur, *omittendum esse actum, de cujus bonitate dubitamus, & gratiorem partem eligendam*: id valebit, ubi proprio consilio, & libera electione suscipitur actio. In his enim probabilibus opinionibus, eam quisq; proprio ductu eliget, quę commodissima apparebit. Verum hic agimus de solitaria & libera hominis operatione, quam sponte vel suscipere, vel omittere potest agens. Superioris imperium nunc actionem determinat, ubi non licet partem, quæ magis arridet, sumere. alias nunquam obedientiam præstaret subditus. quod acceptior possit esse inobedientia, & otium præferri molestæ negotiorum gestioni. Quare in nostra materiâ non admittendum est illud axioma, nisi precarium velimus asserere omne imperium. Probabiliter illicitum, est etiam probabiliter licitum: ad quod perficiendum, cogi potest imperio mandantis. Tantum abest, ut subditus tributum possit negare Principi, ut nequidem eidem competat cognitio de tributi æquitate: cum hæc

hæc ſit rei civilis judicium, quod in ſubditi perſonam non cadit. Quod illud Grotii concernit, *in judicio practico tutiorem partem eſſe eligendam*; plures ſunt, qui conſilii, non præcepti dictamen agnoſcunt. Et hi prolixe demonſtrant, citra omnem peccati ſpeciem; licitum eſſe, ſequi partem minus tutam. Quod in moralibus ſufficiat, ſequi bonum ac tutum, quale eſt probabiliter licitum; non ſit neceſſe, optimum ſemper eligere. Sed demus illud principium, ſequendam eſſe partem tutiſſimam: dicemus, illum tutiſſimam partem eligere, qui obſequium præſtat in re dubia. Si caret peccato, quod ex duobus minus eſt, cum utrumque ſit incertum; multo magis rectè operabitur, qui certum incerto præfert. & contra, peſſima erit electio, quæ certæ honeſtati incertum dubiumque peccatum anteponet. Certum eſt, debere ſubditum obſequium: rem illicitam eſſe, incertum eſt: tutiſſimam igitur partem obſervabit, certum obſervando & prȩſtando obſequium. Secus propter ſuſpicionem vanam, & incerti fugam, in præſentiſſimum crimen inobedientiæ incideret. Inobedientiam eſſe minus malum, quam homicidium multorum innocentium, certum eſt: & hoc poſterius ne quidem in bello juſtiſſimo licet. Sed extrema hic non erant conjungenda. Propterea non ſcribitur miles, ut innocentum cȩdibus omnia fœdet: ſed ut reprimat hoſtem, qui nocens credi poteſt. Egreditur igitur exemplum controverſiæ ſtatum: de dubio nobis diſquiſitio; at homicidium innocentis homi-

nis

nis manifestam deteſtationem poſtulat. In reliquis obedientia ſemper majus malum erit, exſecutione præcepti, quod omni ſuſpicione liberum non eſt. Ut illud obiter moneam, contra principia moralitatis dici; *carere peccato, quod ex duobus minus eſt.* minor aliquis gradus non tollit naturam peccati, quod nec perpetrandum eſt, licet ſit minimum. Ubi duo mala ſunt, utrumque vitandum, neutrum ſub prætextu parvitatis eligendum eſt.

VI. Mihi difficultas maxima videtur in eo latere, *quod dubio ipſum illicitum includatur.* Oſtendunt enim Moralium interpretes, operationem malam eſſe, quæ non procedit à determinato judicio intellectus, & certa conſcientia, licitum eſſe, quod hic & nunc agitur, vel omittitur. Omne dubium practicum comprehendit eam vacillationem judicii, non eligentis actionem ob certam bonitatem. Neceſſarium omnino eſt, ut actus humanus rectitudinem & honeſtatem à prudentia æſtimatam, ſupponat: quæ conſiſtit in firmo judicio, decidente, quid hic, & hoc tempore, his, aliisve circumſtantiis rectè fiat, aut non fiat. Id ubi abeſt, actio recta dici haud poteſt. Et facile probatur, ejuſmodi incertum actorem, jam parvi æſtimare, licet contra juſtitiam aliquid deſignet. Quare Sacræ litteræ tanquam peccatum damnant, quicquid *non ex fide*, hoc eſt, certa ſcientia & fiducia, rectum eſſe quod agitur, procedit. Indubitatum eſt, ad bonam actionem requiri judicium, definiens rectitudinem operationis: quæ regula debet eſſe firma & con-

Sequi permulta absurda communiter, & ideo per Mosen dixisse Deum; Eum constitues (scilicet regem) quem dominus Deus tuus elegerit de numero fratrum tuorum. Non poteris alterius gentis hominem regem facere, qui non sit frater tuus. Fratrem eo loco Deus appellare eum, qui ejusdem est Religionis. Quod universaliter pronunciatum concedi haud potest: cum maximam orbis terrarum partem, non Christianus aliquis Princeps, sed vel hæreticus, vel paganus regat. Jure divino Gentilibus quoque conceditur Majestas: unde Pilato permissam potestatem Salvator ipse asserit. In Mosaicæ Reipublicæ constitutione certum est excludi solio Ethnicos: sed à solio Judaico. Speciale enim scitum erat hujus civitatis; ad universalem assertionem non extendendum. Sicut Germani extraneum non eligunt Imperatorem: nihil tamen obstat, quo minus apud alios in Principem sumatur peregrinus. Non regnat aliquis propter religionem; sed propter imperium: quod cum illâ nihil habet commune, sed cum, & sine illâ, consistit.

CAPUT XII.

DE SUBDITIS.

I. *Peregrini & Incolæ.*
II. *Fidelitas subditi.*

III. *Ob-*

III. *Obsequium debetur Majestati in omnibus.*
IV. *Etiam Tyranno,*
V. *In præceptis dubiis.*
VI. *Sed ut in praxi deponatur dubium.*
VII. *Impiis mandatis non obtemperandum.*
VIII. *Subditus judicium non habet civile.*
IX. *Bene tamen in naturalia præcepta.*
X. *Contra tyrannum nequit insurgere.*
XI. *Defensio permittitur in ministros.*
XII. *Non obstante martyrum exemplo.*
XIII. *Caussa Obsequii.*



PRimam partem Reipublicę Monarchicæ contemplati sumus, Majestatem: ordine nunc considerabimus subditos, & quod hos decet, Obsequium. Hoc enim ex opposita parte respondet summo Imperio Majestatico. Non considerabimus hic varia subditorũ genera, quę auctoribus vulgo tractantur; quatenus *Ecclesiastici alii*, alii *Seculares*: alii *Nobiles*, alii *Plebeji*; item quod hi *agricolæ*, illi *mercatores*, isti *milites* sint: hæc enim discrimina non sunt præcipuum illud quod hic quærimus. Indagandum est, quantum sit obsequium, quod Majestati debet subditus. Hoc ipsum ut assequamur, separandi initio sunt temporarii subditi, a veris & perpetuis. Temporarii subditi, qui improprie, & secundum quid subditi vocantur, sunt *Peregrini* & *Incolæ*. *Peregrini* hospites sunt, versantes in aliena republica, cujus nec pars sunt, & in qua domicilium stabile non habent. *In-*

colæ propius accedunt ſubditis, & domicilium habent, & utuntur plerisque commoditatibus Reipublicæ, & propterea quoque munia civilia ſubeunt, licet ſingulis oneribus non ſubjiciantur. Peregrinorum obedientiam non extendimus ad alia, quam conſuetudinis obſervantiam, quæ hoſpites publicis conformat moribus & inſtitutis regionis, ne his contraveniant; ſed loci obſervent leges, ſi quid agere inſtituant. Iniquum enim foret, alienæ Reipublicæ ſanctiones temerario auſu violare, & ſubditos alterius in patriâ ſede offendere. Ad operas perſonales ordinario jure non tenentur, nec realia onera. Vectigalia non ſolvunt, quatenus peregrini ſunt; nam & cives pendunt eadem: ſed quod mercaturam exercent, merces important exportantque; iisdemque emendis ac vendendis rem faciunt. Quanquam vero Reipublicæ in reliquis non obſtricti ſunt peregrini, dantur caſus tamen, quibus ſubjacent nihilominus Juriſdictioni, quoties vel ex ære alieno, vel crimine aliquo publico, hoſpitum ſententiæ ſubjiciuntur. Non eſt inſolitum eos pignorationibus, quæ barbarè *Arreſta* & *Repreſſaliæ* dicuntur, coërcere, quoties tale quid ſecuritatis cauſſa poſtulat: quale remedium apud Romanos *Clarigatio*, apud alios aliter vocatum; dum jus erat prehendendi, & abducendi hominis, & in vinculis captum habendi, donec æs perſolveretur. *Ius limitum* Gallis dici, quod in limitibus potiſſimum exerceatur, & eo utamur ad injurias vindicandas, ab alienigenis nobis illatas, alii tradunt. Solent

etiam

etiam pœnis capitalibus affici. Quod crimen delinquentem ſubjiciat tribunali imperantis, in cujus territorio contra ſocietatem civilem aliquid admiſſū eſt. Quadantenus enim concedit tranſiens in poteſtatē hoſpitis: contra cujus inſtituta ubi aliquid deſignaverit, jam hoſtili ſuo facto ſe alteri tradidit. Ita obſervamus, neceſſitatis extremæ articulo, bona peregrina, ſub titulo mutui, eripi poſſeſſoribus: quod hactenus ſubdita quodammodo ſint, dum in territorio Principis reperiuntur. Incolæ vero quoad obſequia majori obligatione obtemperant; & exiguo diſcrimine à veris ſubditis ſeparantur. Incolunt ſuum domicilium non ſecus ac alii cives, & ipſâ publicâ protectione ac ſecuritate cum aliis fruuntur; reliquas tandem utilitates, vitæ degendæ commodas, percipiunt. Eadem ratione operas ſuas publico commodant, & munera civilia minimè poſſunt detrectare: ſua quoque in publicum contribuunt. Et differunt aliquando à civibus, non tam quod majori onere, cui cives ſubducuntur, graventur; quam careant immunitatibus, quibus iidem gaudent, inprimis in Repub. liberâ.

II. Sed mittamus in præſentia temporarios illos & partiales ſubditos; & conſideremus potius, quid de veris & propriè dictis ſentiendum: qui in verâ relatione ad Majeſtatem id nomen gerunt, & alteram partem Reipub. conſtitutivam abſolvunt. Horum obſequium ex certioribus fundamentis, & indubitatis principiis deduci poteſt: nec opus habemus illud

illud ad particulares, voluntarias & mutabiles civitatum singularum consuetudines extendere. Ejusmodi verus subditus est, qui secundum omnes potestates summi imperii debet obsequium. quo nomine & obedientiam quoad imperata, & fidelitatem comprehendimus. Ex hujus præscripto utilitatem & incrementum Domini totiusque Reipublicæ, quantum quidem in manu suâ positum habet, promovere studet: omnia incommoda, quę in perniciem civitatis expetere possunt, pro virili declinat. Quod si enim contra datam imperanti fidem aliquid sustineat designare; damnosa consilia vel non detegat, vel ineat ipse: reus Majestatis est, & eo crimine damnandus. Quam infamem notam ut effugiat, tentanda omnia, toleranda omnia, & hostium ingruentium impetus constanti fortitudine depellendi sunt. In obsidionibus potissimum castrorum, ubi vel ultima audenda patiendaque sunt, ut fidem, Principi debitam, inviolatam præstemus. Postulatur illa fides non tantum ubi resistendum hosti est: sed illibata manere debet, quando jam occupati sunt ab injusto invasore subditi. Adversus hunc quomodo se gerere debeant, definitur, ubi de occupatione agitur. Domino suo id debebunt, ne eundem deserant, sed emigrent potius evocati, etiam cum jacturâ facultatum. ne manifestam violentiam sua ope instruant. Ut idem vero cum præsentissimo vitæ periculo tentent, non videtur temerè affirmandum: nisi expressissimè id à Principe legitimo præcipiatur, & hac via saluti ejus con-

consuli queat. Nam si frustranea foret illa audacia, & ad Dominum nullum rediret emolumentum; temerarius meritò judicaretur conatus, qui vitam periculo non necessario exponeret. Ad tam atrocia obsequia fidem subditorum non obligamus, ut arbitremur, mandari posse violentas manus, præcipitationes, & ejusmodi horrendas mortes, ne in hostium potestatem veniant. Id præcipi subditis potuit ut fortiter pugnent pro communi salute, & malint occumbere, quàm turpi & noxia fuga tutelam Reipub. prodere: ut ipsi occisoris occupent munus, imperari haud decet. Exsecranda est eorum fidelitas, qui classibus aut castris præfecti, antequam in potestatem hostis se redigi patiantur; vel ex præscripto superioris, & iniquè ad hoc præstito juramento; vel ex nescio qua, temeritatis & vanæ gloriæ cupidine, tormentario pulveri lacerandos se permittunt. Ad id obligabitur miles, ut quamdiu aliquis spiritus membris inerret, adversario restet, & pro domini utilitate ponat pugnacem animam. Ut secum ipse componatur, & hostiles inferat proprio corpori manus; id nulla fides excusabit, & ab omni humanitate accusabitur monstrosum obsequium.

III. Sed properemus ad Obsequium, quod manifestis jussis debetur: & videamus quousque illud extendendum. Nos ad omnia mandata porrigimus. Sed ea *omnia*, secundum substratam relationis materiam veniunt interpretanda. Scilicet obsequium constituit naturam subditi, qui respicit imperantem, Majestate instru-

instructum. Huic omnia subjacere, quæ in civitate sunt, in præcedentibus expositum est: his omnibus obnoxii, vi consequentiæ, sunt subditi. Imperantibus non aliter adhæret Majestas, quàm ut in subditos se exserat illa vis, à parentibus reverenter suscipienda. Vanum esset omne imperii nomen, nisi ex sua indole importaret obsequium in adversâ parte. Jam ipsa Majestatis natura in eo dicitur consistere; ut summa sit in civitate, & ubique, hoc est, per omnia valeat. quare necessariò concludimus, omnibus istis juribus, & ubique, obligari subditum. Ut cogi possit, imperio in personam, dominio in res, directioni universæ civitatis, secundum explicata jura, debet obtemperare. Atq; posita hâc explicatione, ulterior nulla dubitandi vel caussa, vel ratio subest. Honesta sunt, licita sunt ista omnia: nec periculum inde obedientibus timeri potest. Principi potestas in omnia jure vicario competit; exerceri solito Dei optimi maximi nomine: qui sicut nihil decernit, nisi quod justum ac bonum est; ita ejus officialis aliter haud poterit agere. Hinc auctores, qui in Principe potentiam, divinæ æqualem, cœlitus communicatam, agnoscunt; imaginem Dei simul deprehendunt, cujus vim in virtutibus positam esse affirmant. unde jussiones Majestatis, illuc respicientes, nullum præjudicium pietati, vel justitiæ facient. Quòd ille divinitatis character, in Majestate deprehensus, ex potentia simul, & justitiâ componatur. Rectè igitur subditi atque ex ordine faciunt, quoties constitutum Principem,

cipem, non aliter quam Dei Vicarium suspiciunt: rati, non homini præstari tum honorem & reverentiam, tum obsequii promptitudinem; sed ipsi, qui præfecit Regem, Deo. Necessitas enim parendi Deo, quum imposita cuilibet ex lege creationis sit; non detrectabit imperium divinum quisquam, ubi Creator præceperit in Principe sibi honorem exhibendū.

IV. Interim non optimus semper contingit populo rex, sed pessimi quique non rarò id fastigium tenent. Potissimum quando hæreditario jure conceditur successio: ubi accipiendus ac retinendus est, quem nascendi sors prætulit aliis. Et quamvis Electionis major sit libertas, quæ dispicere quaquaversum potest, ut sumatur optimus: fallitur nihilominus humana solertia, quæ fucata discernere à veris non semper novit. Adhæc varium ac mobile Principum non infrequenter ingenium est, ut non exsequantur strenuè, egregiè quæ cœperant. Immissi in hunc regnandi campum, initio ostentant, aut simulant virtutem: progressi aliquousque desciscunt ab eadem, & non gradu, sed præcipiti cursu, ad vitia quidam procurrunt. Quod si hæc talia veniant usu, & antè habitam, vel fictam bonitatem exuat animo rex, sordidisque moribus inquinet divinum characterem: num subditi obsequium ipsi præstare tenebuntur, perinde ac bono Principi? Poterat dubium incidere de obligatione obedientiæ. Propterea scilicet subjiciuntur homines potestatibus, quia divinum id officium est, & qui eo fungitur, Dei vices subit in regendâ civitate.

vitate. Sed cùm pessimus præest, & vitiis inquinatissimus, tantum abest, ut gerat personam Dei Optimi Max. vicariam, ut Deo potius suis sceleribus infestus immineat. Quare soluti videbantur subditi obedientiâ, debitâ Deo & ejus administris, non perjuris hostibus. Si consulamus Græcos, & Romæ liberæ Scriptores, reperiemus, non tantum negari obsequia, sed strui insidias, deturbari Reges, machinari cædes, decerni præmia Tyrannicidis. Tyrannum occidere, ex omnibus præclaris factis pulcherrimum existimat populus Romanus, si TULLIO credimus. III. off. Et sunt, qui virtutem Regis, inter conditiones ponunt, ut subditi pareant. Turpitudinis quidem notam non effugient reges, qui exemplorum vi & efficacia inculcare debent virtutes parentium animis; si primi deserant pietatem, & vitia in Rempub. introducant: cæterùm non fas erit subditis, pristinam obedientiam negare. Quod ejusmodi impium Regem supremus Dominus ferat, & in veteri loco positum relinquat. Sive indulgentia solitâ & conniventiâ, ut redeat ad frugem; sive imperscrutabili quadam providentiæ lege, ut subjectum cœtum, qui proculdubio affinis culpæ erat, imperantis improbitate atque sævitiâ moneat atque castiger. Quamvis igitur Deo adversus sit tyrannus quoad vitia; refert tamen adhuc Eundem imperii potestate, cui obsequium juste negari haud poterit. Quamdiu regale fastigium tenet, venerabundâ subjectione dictis & imperatis ei audientes sunt cives. Propter

pter evidentissimam obligationis consequentiam. Nec mutanda obedientiæ religio, quando iniquum aliquid postulaverit. Separanda tamen, ad evitandam confusionem, iniquitas actionis, ab injuriâ, qua patiens afficitur. Nimirum quoties requirimus obedientiam circa postulata iniqua, intelligimus iniquitatem imperantis, non malitiam subditi. Quando ex mala libidine, & nocendi animo, aliquid imponit subdito, quod ejus personam, aut fortunas aggravat, parendum tamen est jubenti. Non tam quod ingens imperium in personam, & maximum dominium in bona habeat imperans: multo minus quod subdito non possit injuriam facere Princeps; sed quod actionem palam tyrannicam, teneatur ille recipere, cum passionem saltem infligat parenti, nullum morale malum imprimat.

V. Hactenus igitur debet tyranno obsequium subditus, dum patientis rationem subit: ne detrectet, quicquid injungitur. At aliter se res habet, ubi agere malè jubetur, & præcipitur crimen perpetrandum. Distinguendum tamen hîc est, num apertum sit scelus & manifestum, quod perpetrandum est; an apparens, quod dubium vocamus, de quo prius. Nimirum occurunt actiones, quarum bonitatem non semper ex communissimis principiis Juris Naturalis deprehendere potest subditus: sed educendæ sunt conclusiones ad definiendam qualitatem *actionum*; ea subtilitate, ut se expedire nesciat dubius animus. *Dubium* enim vocamus, quando intellectus subditi nihil deter-

terminare audet, circa honestatem, vel malitiam actionis; sed hęret: quia conjecturas æquales invenit, quæ ex una parte ostendunt bonitatem, ex altera turpitudinem actionis arguunt. Quomodo hîc se comparabit subditus. obsecundabit imperanti, propter argumenta, quæ permissum esse mandatum evincunt? an resistet non obtemperando, ob probabilem actus præcepti malitiam? Sunt qui ea conditione rerum, negari posse obsequium affirment. Ita CICERO, I. *off. Bene præcipiunt, qui vetant quicquam agere, quod dubites æquum sit, an iniquum. Æquitas enim lucet ipsa per se: dubitatio autem cogitationem significat injuriæ.* Quando varietas opinionum est, immediate circa obligationem obediendi, certum est FRANCISCO de OVIEDO, posse subditum licite non obedire, ex probabili opinione, asserente, eum non adstringi obligatione obediendi, *Tr.* V. *Cont.* III. *Punct.* V. *n.* 54. Argumenti loco id ponitur, *quod inter duas opiniones probabiles, immediate tendentes circa praxin, quilibet potest gratiorem sibi eligere.* Alii subditum absolvunt obsequio, tali collectione: *Non teneri propterea, quia probabiliter opinatur, illicitum esse, quod præcipitur. Ad res autem illicitas non tenetur. Tandem, quia opinione probabili, dictante tributum esse injustum, subditus non tenetur illud solvere, etiamsi Princeps probabiliter judicet esse justum;* universaliter concludunt, *nec in reliquis obligari subditum.* GROTIUS in materia applicata, de bello dubio, auctor est subdito, ut quiescat.

Quod

Quod dubitans contemplative, debeat judicio activo eligere partem tutiorem. Est autem pars tutior, abstinere bello. Neque obstat, quod ex altera parte periculum est inobedientiæ. Nam cum utrumque incertum sit (nam si injustum est bellum, jam in ejus vitatione nihil est inobedientiæ) caret peccato, quod ex duobus minus est. Inobedientia autem in ejusmodi rebus suapte natura minus malum est, quam homicidium, præsertim multorum innocentum. Sed hæ rationes non eximunt subditum ab imperio mandantis dubia. Quod in genere dicitur, *omittendum esse actum, de cujus bonitate dubitamus, & gratiorem partem eligendam*: id valebit, ubi proprio consilio, & libera electione suscipitur actio. In his enim probabilibus opinionibus, eam quisq; proprio ductu eliget, quæ commodissima apparebit. Verum hic agimus de solitaria & libera hominis operatione, quam sponte vel suscipere, vel omittere potest agens. Superioris imperium nunc actionem determinat, ubi non licet partem, quæ magis arridet, sumere. alias nunquam obedientiam præstaret subditus. quod acceptior possit esse inobedientia, & otium præferri molestæ negotiorum gestioni. Quare in nostra materiâ non admittendum est illud axioma, nisi precarium velimus asserere omne imperium. Probabiliter illicitum, est etiam probabiliter licitum: ad quod perficiendum, cogi potest imperio mandantis. Tantum abest, ut subditus tributum possit negare Principi, ut nequidem eidem competat cognitio de tributi æquitate: cum hæc

nis manifestam detestationem postulat. In reliquis obedientia semper majus malum erit, exsecutione præcepti, quod omni suspicione liberum non est. Ut illud obiter moneam, contra principia moralitatis dici; *carere peccato, quod ex duobus minus est.* minor aliquis gradus non tollit naturam peccati, quod nec perpetrandum est, licet sit minimum. Ubi duo mala sunt, utrumque vitandum, neutrum sub prætextu parvitatis eligendum est.

VI. Mihi difficultas maxima videtur in eo latere, *quod dubio ipsum illicitum includatur.* Ostendunt enim Moralium interpretes, operationem malam esse, quæ non procedit à determinato judicio intellectus, & certa conscientia, licitum esse, quod hic & nunc agitur, vel omittitur. Omne dubium practicum comprehendit eam vacillationem judicii, non eligentis actionem ob certam bonitatem. Necessarium omnino est, ut actus humanus rectitudinem & honestatem à prudentia æstimatam, supponat: quæ consistit in firmo judicio, decidente, quid hic, & hoc tempore, his, aliisve circumstantiis rectè fiat, aut non fiat. Id ubi abest, actio recta dici haud potest. Et facile probatur, ejusmodi incertum actorem, jam parvi æstimare, licet contra justitiam aliquid designet. Quare Sacræ litteræ tanquam peccatum damnant, quicquid *non ex fide*, hoc est, certa scientia & fiducia, rectum esse quod agitur, procedit. Indubitatum est, ad bonam actionem requiri judicium, definiens rectitudinem operationis: quæ regula debet esse firma & con-

& conſtans. Nec opus habemus eo refugere, ut negemus, *ad rectè & honeſtè operandum requiri judicium practicum, moraliter certum; quo excludatur omnis formido oppoſiti: ſed ſufficere aſſenſum probabiliter dictantem, quamvis non ſine ſuſpicione peccati, hoc vel illud honeſtè agi.* Requiramus in obſequio, circa dubium præceptum, illud determinatum judicium; continuò id inveniemus. Dubium quidem practicum includit imbecillitatem judicii; ſed tum, quando adhuc dubium eſt. Quam primum ſe accingit homo ad agendum; tollitur dubium, & eligendo alteram partem, firmatur intellectus. Scilicet quando in re dubia obſequitur ſubditus, operatur ſecundum partem, quâ honeſtas apparet; non qua ſuſpicio iniquitatis ſubeſt. Nec enim fingere licet, hominem virtutis amantem, qualem volumus, declinare in partem deteriorem, quæ vitioſam reddit actionem: quum locus detur actioni, ſecundum præſcriptum honeſtatis inſtituendæ. Dum ſequitur opinionem, quæ rem probat, & adeo non aliena eſt, à recta ratione, imo huic innititur; & honeſtè, & prudenter operabitur. Non agit, quatenus res illicita eſt; & damnatur; ſed quatenus honeſta videtur. Sic nullum amplius reſtat periculum perverſæ operationis: neque *læditur amicitia Dei, aut ſpernitur voluntas.* quia in dubio nihil conſtat de voluntate Dei contraria, & ipſa probabilitas ſuæ rationi inſiſtit. Deponitur ergo dubium practicum eo ipſo, quo agere inſtituit aliquis, & ipſe actus ſatis declarat, alteram ratio-

nem

nem prævaluisse. Huc facit, quod dubium necessario ponendum sit, propter accedentem auctoritatem superioris: per quam gignitur certissima scientia, rem præceptam esse licitam. Nam cum rationibus, declarantibus rem esse licitam, jungitur mandatum imperantis, tenetur subditus credere, ipsum mandatum licitum esse. Imo propter solam hanc auctoritatem, dubium amplius non est dubium. Nam in dubio utraque contradictionis pars æqualibus rationibus instruitur: sed illa deinceps præponderat, cui jussum Principis momentum addit. Prævalens igitur assensum & obsequium postulat: cum absurdum sit, eam actionem negligere, quæ fundamentis ornata est; & contrariam assumere, quæ imbellibus fulcris sustinetur. Obligatus ergo subditus evidentiori conclusioni accedit. Non opus est, ut hoc assertum adstringamus ad casum, *quando imperans est vir doctus & prudens, qui non nisi ex maturo consilio soleat præcipere.* Nam id semper debet præsumere subditus. Sicuti de justitia Principis optima quæque sperat, nec aliter sentire potest, nisi contrarium evidentissimis rationibus constet. Id enim est de officio subditi, optimam & honorificam opinionem de principe suo fovere. U*t dubitans viros doctos consulat, & prudenti quadam diligentia in præcepti talis justitiam inquirat:* id ad confirmationem judicii moralis pertineat; ad suadendam inobedientiam, nunquam efficax erit. Nisi forsan jussum adeo impingat contra naturales leges, ut ejus bonitas nulla ratione possit colligi:

ligi: tunc non amplius dubium eſt; ſed injuſtum; illicitum ſuâ naturâ, & nemo ad ejus effectionem jure obſtrictus tenetur. Sunt qui communem hanc ſententiam eſſe, & in praxi ſemper conſulendam cenſent; & nihilominus putant, *valde probabile eſſe, ſubditum non eſſe obligatum.* Quod licitum ſubdito ſit, *non parere ſuperiori præcipienti, quando eſt opinio probabilis, non eſſe obligatum ad parendum.* Bellè procederet negotium, ſi obligatio parendi, fundaretur in opinione ſubditi. Nam id gratis dicitur, *liberationem ab obſequio in opinione probabili conſiſtere.* Nunquam præſtaretur obedientia, niſi ex gratuita voluntate ſubditorum: quod ſemper poſſit probabilis cauſſâ fingi negandæ obedientiæ. Illud quoque falſum annectunt; *ſuperiorem habere jus præcipiendi, quod eſt licitũ, certo & indubitabiliter: quod vero ſub opinione tantum licitum eſt, ad id jus habere ſub opinione* Nam in omnia jus habet, niſi certo & indubitabiliter ſint illicita. Quod ſi noſtra ſententia in praxi ſemper conſulenda eſt; veram eſſe oportet: quod falſa non poſſint regulæ locum ſubire in practicis. Excipiunt quoque ſubditi obſequium, *quando dubium eſt, num ſuperior ſit legitimus.* Male. nam obligatio nec ab opinione ſubditi, nec juſto titulo imperantis deſcendit: ſed ſolo imperio & poteſtate præcipiendi. quæ citra ſubditi examen, & titulum imperantis conſtare poteſt.

VII. Quoties evidens peccatum præcipitur, reſtabit ſubditus: non quidem oppugnando,

do, & deturbando tyrannum; ſed eidem non obtemperando. Rectè negatur obſequium, ubi præſtitiſſe crimen eſt. Invenies aliquando Principes, qui non tantum ipſi vitiis ſunt obruti; ſed ejurata quaſi humanitate, in idem lutum detrudere alios conantur; & præcipiunt ejusmodi, quæ approbatæ non ſolum conſuetudini, ſed honeſtati, & legi, mentibus hominum inſcriptæ, & ſalutari adeo Dei verbo ſunt oppoſita. Nunc ſi talis, vel gentilis, vel impius contingat populo rector, & eas ponat leges, quæ jubeant prohibita divinis, vel prohibeant ibi mandata: citra omnem dubitationem ſiſtet debitum aliàs obſequium, & pluris faciet divina monita, quam tyranni deliramenta. ſciens, Deo magis eſſe, quam hominibus obediendum. Tenetur quidem populus obedire Principi; ſed & Deo: atque huic quidem, tanquam ſupremo Regi. Duplicem rationem eximiè notavit THOMAS, 2. 2. q. 104. a. 5. ob quam non teneatur ſubditus in omnibus obedire ſuo ſuperiori. Prima eſt, *ſi contrarium præceptum majoris poteſtatis adſit:* altera, *ſi ſuperior egrediatur terminos ſui imperii.* Utraque hic concurrit. Scilicet Deo magis obediendum eſſe, quam hominibus, ratio ſana concludit, ducto argumento à poteſtatibus civilibus inferioribus, obnoxiis Majeſtati. Mandat aliquid præfectus, contrarium Rex præcipit; hunc omnes ſubditi auſcultant, ſpreto inferioris decreto. Simili ratione jubeat impium quid Rex: contrarium faciendum erit, quod Deus ſanxit. Concredidit equidem Prin-

cipi summam potestatem Deus: ea tamen lege, ut retineret eandem ipse; & ille ne quid contra auctorem suum auderet. Ubi concurrunt igitur duo, se invicem extinguentia jussa, quorum alterum obligaturum est; id prævalet, quod à superiori irritum fieri non potest. quare necessarium est, Deo, præ impio homine, qui sub illius tamen potestate est, obsecundare. Altera ratio in objecto potestatis fundatur. Ipsa eminentia Principis ad impia & inhonesta jure suo non progreditur. quare ut obligetur iisdem obsequium subditi, fieri haud potest. Nimirum aliàs in genere, tantum posse Principem in civilibus & moralibus, quatenus horum exercitium ad civitatem ordinatur, quantum ipse Deus valet; citra operosam disputationem constat. Ideò enim Vicarius Dei constituitur. Quia vero Deus Opt. Max. nulla lege potest efficere, ut impia, & inhonesta admittantur ab hominibus; relinquitur illud, egredi tyrannum imperii commissi limites, & agere præter ac contra formulam constitutionis. Satis certum est, vicarium non habere potestatem majorem principali, aut eidem adversam. Unde ex altera parte firmiter concluditur; observanda minimè esse, quæ contra expressum Dei mandatum ab impio rege constituuntur. Superioris jussa ad facultatem legislatoriam referunt Politici; quia vim legis habent. Quod non inconcinnè dicitur: & in præsenti argumento eximium usum habet. Examinantibus enim materiam, circa quam Legislator occupatur condendo legem, apparet

paret eam merè civilem esse: unde resultant ejusmodi leges, quæ ex voluntario jure, seu civili nascuntur. Jus naturale huc non pertinere, cum à Deo impressum sit humano generi, supra ostendimus. Nulla proinde, vel sanctio, vel determinatio legum naturalium competit Majestati: quam ob caussam, nec mutare, nec abrogare easdem potest. Ad quod negotium Legislatoris auctoritas, conditura jus, non pertingit; id nec subjacebit mutationi. quia mutatio & abrogatio præsupponit jubendi facultatem. Hinc patet juris naturalis edictis, qualia sunt omnia, quæ turpitudinem vetant, nullo modo derogari posse. Quoties igitur inhonestum mandatur, contra naturalem legem insurgit Princeps. illud vero jure non potest. quod autem jure non potest, id planè non posse, aut sine effectu præstandi obsequium, intelligitur. Ubi enim desinit potestas superioris, ibi cessat quoque inferioris obsequium. Ubi imperium malè extenditur ad iniqua & inhonesta: inhonestum est obsequium, & obligatio contradictoria.

VIII. Clarissimus HOBBES in hac doctrina plane diversus abit, & nostram sententiam, inter seditionum principia reponit: *quod Regum sit, discernere inter bonum & malum.* Quum igitur totum fundamentum in eo positum sit; *quod subditus non possit judicare de rei bonitate aut malitia*: videamus de cognitione rei licitæ, illicitæve; & utrum omnino habeat subditus aliquando judicandi facultatem. TERTULLIANUS certè videtur omnem

legem subdito dijudicandam relinquere: *Neque civis fideliter legi obsequitur, ignorans quale sit, quod ulciscitur lex. Nulla lex sibi soli conscientiam justitiæ suæ debet, sed eis à quibus obsequium expectat. Cæterum suspecta lex est, quæ probari se non vult: improba autem si non probata dominatur.* Distinctè hic versandum est, ne vel omne, vel nullum arbitrium parenti cœtui permittamus. Discernenda præcepta sunt, & merè civilia separanda à moralibus, quæ ex jure naturali proveniunt. In civilibus actionibus jure absoluto imperat Princeps, & pro ratione sufficit ejus voluntas: quia in his necessario parent subditi. quod una illa præcipientis voluntas regula sit actionis. Idque necessarium est, nisi omne imperium frustraneum velis efficere. Placet mihi illorum sententia, qui inter conditiones obedientiæ *Cæcitatem* numerant: quod perfecta obedientia duplici modo debeat esse cæca: primò ad imperfectiones & vitia superioris; & oculata maximè considerando, cujus locum teneat. altero modo, ad præcepti rationes scrutandas; ne cupiat scire caussas. GREGORII illud est; *nescit judicare, quisquis perfectè didicit obedire.* Ratio autem prohibiti judicii ea est, quod in civilibus negotiis passive se habeat populus, etiam tum quando in agendo concurrit. instrumentum quippe est, quod in his talibus non debet rimari caussæ principalis finem. quare nec cognoscere potest de ipsa naturâ præcepti, cùm intentionem primarii agentis ignoret. Et è re publicâ quàm maximè est, non omnium præcepto-

præceptorum evulgare rationes. Sæpe negotium celeritate ſumma perficiendum eſt, quod omnem efficaciam amitteret cum amiſſa occaſione: quæ ſæpiſſime ante avolaret, quam edocta eſſet multitudo de ratione mandati, & congruentia cum ſana mente. Id affirmare habemus, turbulentiſſimas confuſiones afflicturas eſſe Rempublicam, in quâ omnium præceptorum, aut legum ratio exponenda ſit plebi, & committendum judicium, utrum legitimæ ſint. Id ſi nullibi accideret, eveniret tamen in pendendis tributis, ubi nulla juſtifica cauſſa probari poſſet ruſtico, contra diſputanti. Ne igitur populus honeſtiſſima quælibet ad turpitudinem interpretetur, & deneget debitam reverentiam, & boni principis tandem imperium precarium ſit: non tantum judicium de æquitate & proportione tributi, item verſione ejuſdem in uſum Reipublicæ; ſed de omnibus merè civilibus, quieſcat. In ejuſmodi enim actu procedit *Hobbii* judicium, & ſeditioni apta loquitur, qui contra ſentit. Niſi per judicium intelligat nudam apprehenſionem præcepti, & proviſionem inſtrumentorum conformium exſecutioni: aut generale & ſummarium examen, per quod cognoſcit, mandatum Principis non impingere contra aliquam legem naturalem.

IX. Has autem naturales ſanctiones, quæ juſtitiam ſuam non aliunde à voluntate hominum mutuantur, ſed perpetuam ſecum circumferunt, non cenſuerim eodem modo cum præceptis civilibus: quod judicare poſſit ſub-

ditus istarum conditionem, dum honestas evidenter se ingerit oculis, cujus beneficio ab illicitis separat concessa, ab justis iniqua. illa facit, & adimplet obsequii promptitudinem: hęc omittit. Id ideò accidit, quod judicandi principia connata habet. Scilicet discrimen honestorum ac turpium non frustra insevit natura. *Aristoteles* sanè inde colligit, hominem à natura esse animal sociabile. Quia justitia virtus est, quæ tota ferè ad alios porrigitur: nec coli igitur potest nisi in societate. dum verò homo differentiam justi & iniqui connatam habet, prima justitiæ semina; hoc ipso à natura instructus videtur ad societatem. natura nimirum nihil frustra moliente. Eadem, & vix tam remota collectione inferemus, judicium de rebus merè moralibus, honestis aut turpibus, cuilibet homini vindicandum esse, & in civitate, & extra civitatem degenti. Nisi enim subsequatur actuale judicium de objectis necessariis, frustranea fuerit omnis illa potentia. Nam naturalis aliqua facultas, quæ in toto genere nunquam in actum deducitur, nullius usus est, & gratis fingitur. Ne igitur utilitatem nullam præstet, & frustra omnino sit, illa norma directrix humanarum actionum: concedendum utique judicium homini est, ut in actum aliquando deducat potentiam cognoscendi, ac dijudicandi rerum moralium qualitatem. Quod facili negotio peragitur, dum prolixa deliberatio, aut subtilis, & anceps disputatio haud requiritur; & sponte sua honestas apparet, & omittendorum turpitudo agnoscitur.

tur. Injuncta est homini harum sanctionum custodia, ne dictamen illud naturale patiatur à quoquam, sub quocunque prætextu, oppugnari. Commendavit cuilibet conscientiam suam Deus, quam intemeratam servare debet: quod neutiquam præstabitur, si actionem quamlibet adiaphoram, præcepta quælibet de non lædendo, non occidendo proximo, de non vitiandâ uxore alterius, Juris civilis esse statuamus: si Principi soli definitionem honesti & inhonesti asseramus. Nihil ingenii habet hæc sententia, & à suis auctoribus evertitur non uno adverso effato. Honor parentibus exhibendus est, licet lege civili nihil dum sit constitutum. Determinabit fortean Legislator quędam objecta, observanda liberis obedientibus: sed in ipsum pręceptum nulla vis Nomothetica extenditur: quod haud liceat Majestati sancire; reverentiam parentibus debitam negandam esse. Ita homicidium absque Principis decreto prohibitum est, sicut & adulterium: quæ definitionem ab arbitrio Principis non habent. Cognoscuntur hæc ex Jure naturali, quo prohibentur. Prohibitio naturalis legis, declarationem quoque rei prohibitæ includit: unde fit, ut inter attributa ejusdem ponatur *Evidentia*, ut perceptis terminis statim assensum præbeat intellectus. Frustra esset legis ingenitæ interdictum, nisi cognosceretur simul objectum prohibitum: nec ulla foret obligatio ejusdem, si cognitio ab imperante penderet. Ignota, qua talia, non obligant. Præterquam quod legis authentica

interpretatio ad latorem pertinet; exinde satis refutatur ista sententia; quod nihil sua natura honestum aut turpe relinqueretur. Quid si aliter determinet negotium lex civilis, quam ejus indoles requirit? si Nero aliquis, aut Caligula, hominis innoxii cædem neget esse homicidium? aut concubitum cum alterius uxore adulterium esse inficietur? Licitum erit, quod ex suâ indole homicidium, aut adulterium est. Sic omnia scelera permitti possent à Republicâ, modò aliis nominibus insignirentur. Nam Justum & Injustum ante imperia non exstitisse, contradictoriè statuit *Hobbes*; qui ante imperium, in statu naturę, quem fingit, leges naturales ponit, & immutabiles atque æternas pronunciat. ut nunquam licitum esse possit, quod vetant; nunquam illicitum, quod jubent. In statu igitur naturali, ubi omnes æquales sunt, cognitio de bono & malo ad singulos pertinet: qui ordo non invertetur in Republica. Si datur lex cujus æterna veritas est; si datur dictamen rectæ rationis, extra constitutionem imperii civilis: justum fuerit necesse est. Lege enim determinatur justitiæ modus. Si æterna quoque auctoritas legis naturalis est, erronea sunt omnia effata, quæ imperanti permittunt facultatem judicandi de honesto & turpi. Si mutari nequeunt legis ingenitę scita, non dependebit dijudicatio à merâ voluntate Principis. Temerè quoque fingeretur lex divina, *in quam nimiâ obedientia erga civitatem peccari posset.* Ipse fatetur auctor; *tale posse mandatum esse, ut interfici malit,*

lit, quam facere. Ad deprehendendam turpitudinem ejusmodi mandati, opus est judicium subditi.

X. Judicat itaque subditus, quid cum jure naturali congruat, quid eidem adversetur; & si tale quid præcipiatur, non obtemperat. Quid vero si planè in tyrannum abeat malus Princeps? & in eversionem non obtemperantium impiis jussis, se convertat, & ultimo supplicio coërceat eorum pertinaciam? Id enim propriè est tyrannum esse, evertere suos. nam studium privatæ utilitatis non absolvit ingenium tyrannicum. Ad cædem ejusmodi civis, nullum imperium instruit tyrannum: ideo resistere subditum posse, & vi repellere vim, dicendum videbatur. præsertim si eximiam aliquam multitudinem insontium perimat. Et sunt plures eruditissimi viri, qui universo populo necessitatem imponunt, non tantum resistendi, sed deturbandi quoque publicum hostem, qui contra leges divinas, aut patrias peccaverit, & sanguinem temerè fuderit. Sed hi Majestatem, etiam Tyranno superstitem, non attendunt: nec cogitant, Deum esse solum, qui instruat potestate; solum, qui exuat, & ad pœnam rapiat transgressorem. Verissimum illud ANTONINI PHILOSOPHI: *Nemo nisi solus Deus judex Principis esse potest.* Qui summus est in civitate, neminem natum hominem agnoscit judicem. quod universi subditi inferiores sint, nulla potestate, in Principem valente, præditi. Duplex nimirum initur via, quâ in ordinem cogimus delinquentes; quando legitimo judi-

diciorum tramite jus nostrum persequimur, aut bellorum impetu violentiam propulsamus. ibi judex, hic victor à maleferiatis pœnam sumit. Neutra tamen conceditur multitudini. Quod enim judicia concernit, in quæ trahere volunt Principem; ad Majestatem, quâ subditi carent, eadem pertinent. Judicio non condemnabitur, qui summam judiciorum facultatem obtinet. Nemo potest judex adversus eum nominari, quo inferiores sunt universi. Adversatur naturæ & rationi, judicari Principem à servis suis, qui judiciis ipsi parent. Frustra sunt, qui ad magistratus provocant: quos privatorum eximunt loco, & judices Regis constituunt. Quasi vero non privatorum numero & hi censendi sint, & eandem cum cæteris sustineant potestatem, ad regem relati. Nam quicquid censentur imperii habere, id omne debent Principi, à quo communicatum id habent. qui si detrahat manum, & repetat potestatem, privati ac nudi adstabunt, nihil pristinæ dignitatis retinentes. Non aliter de belli inferendi jure arbitrandum est: quod similiter ad Principem, non subditos, spectat. quare nec impeti bello à plebe poterit Princeps; cujus decernendi potestas penes hunc solum residet. Nisi publicâ auctoritate, nullũ geritur bellum. quam pro se allegare nõ possunt, qui eam oppugnant. Relinquitur inde Principem abutentem imperio, & affligentem subditos, neq; bello coërceri, neq; judiciis damnari, aut pœnis affici posse. Quapropter remittenda hæc talia sunt supremo Judici Deo, vindica-

ca-

caturo severissimè, quicquid in populum suum fuerit admissum. Et hoc est, quod expressè sibi reservavit Deus luculentissimis verbis: non in veteri saltem Instrumento; sed recentiori quoque Fœdere. Ita *Doctor Gentium* ad suos Romanos, XIV. 2. *Quisquis obsistit potestati, Dei ordinationi obsistit: qui autem obsistunt, ipsi sibi condemnationem afferunt.* Certum quidem est, sermonem esse, de legitimâ potestate: verum ab hac, re ipsa, non possumus separare tyrannidem. non enim removebitur aut exstirpabitur tyrannus, absque læsione potestatis, & ordinationis divinæ contemptu, qui impunis nunquam est. Iniquis etiam dominis parendum esse, exhibendumque honorem, *Petrus* docuit. *Hoc cedit gratiæ, si quis propter conscientiam Dei, suffert molestias injustè afflictus. Quæ enim est gloria, si peccantes & colaphis cæsi subsistatis? sed si benè agentes, & tamen afflicti subsistatis, hoc cedit vobis gratiæ apud Deum.* Priori II. 18. Non est quod dicas; *Tyrannum qui vitæ subditi insidiatur, eamque invadit, desinere esse Principē, & in hostem vertere, atque adeo subdito remittere obsequium; & subministrare omnem resistendi facultatem.* Nam solâ fictione tertii non extinguitur imperium in subditum. Exploranda voluntas tyranni, num velit solitū remittere subdito obsequium. Sanè non eo animo adoritur civem, ut eidem tradat plenissimam facultatem, tanquam hosti resistendi. Si regeris; *ipso facto hostili remissum esse subdito vinculum pristinæ obligationis*: probanda erit talis facti efficacia.

cia.

ria. nego enim ſubditum ſolvi poſſe imperio Principis, citra hujus expreſſam voluntatem. quæ contraria proprię tyranni ſaluti fingi haud debet. Verſus erat Davidi in hoſtem Saul: ſed nihil tanquam in hoſtem licere ſibi, credidit David. Qui non amplius privatæ ſortis haberi poterat, cum & rebus feliciſſimè geſtis nobilis, & jam in regni ſpem unctus eſſet à Propheta. Nihilominus Saulis vitæ, aut ſceptro nullam vim intulit; quamvis quæreretur ubique ad mortem, & crudelis ſocer bis in manum fugientis incidiſſet. Suadentibus etiam, ut perderet tyrannum, cum tremore objecit inviolabile nomen, *unctum Domini*.

XI. Durum videtur ita patientiæ lege ſubigere ac indurare animum, ut ſupplicium immeritum ſubeat: quum ſi non ſinguli, vel multitudo movere nos debeat, ut defenſio permittatur. Accidat enim, ut Tyrannus non uni atque alteri inhoneſta præcipiat; ſed egregiam multitudinis partem velit evertere, omneſque ad gladium vocet, qui dicto non fuerint audientes; & in hoc cœtu ſint, qui de Chriſtianâ re meriti optime, egregium publicum promovere latiſſime valeant. Anne hos omnes trucidari miſerrime patiemur, quos exitio ferali immanitas jubentis deſtinavit, ſolâ repugnantiâ ſubtrahendos. GUILIELMUS BARCLAJUS, acerrimus imperii Monarchici vindex, contra Principem licitè arma ſumi à ſubditis arbitratur, *quando inſontes ille hoſtili animo delere cupit*. Quod GROTIUS etiam admittit; ſed conatum illum, in ſanæ mentis regem haud

haud cadere, putat. Subest asserto aliqua æquitas: sed ritè explicanda est. Si forsan urbis aut regionis incolæ, ob religionis diversitatem, quod idololatrica sacra noluerint sequi, excidio destinentur, usus esset necessariæ tutelæ. Sed cautissimè hîc versari oportet. Non cæco impetu arma involabimus: cautiones prius adhibebimus, quam hæc violentiæ permittamus. Præsupponimus extrema servitutum ferè imposita, subditorum preces nullum habuisse pondus, ut sublevarentur onere: nunc eo devenisse rem, ut mactandi, ovium instar, sub carnificis versentur manu, & præsentissimum immineat exitium, quo non tantum societas illa civium dirimatur fœdè; sed Ecclesia quoque detrimentum capiat. Rebus ita comparatis, ex hoc tyrannidis carcere educimus ad tempus omnes pressos & afflictos: quin militarem induimus cultum, quo se tueri possint contra adversariorum rabiem. Hoc modo. Si tyrannus propriâ manu, civem nihil delinquentem, interficere satagat, ex malâ libidine atque crudelitate: huic subdito nunquam auctores erimus, ut personam Principis lædat. sed mittendus erit spiritus impiæ sævitiæ. Cum verò tyrannus solus integram urbem haud possit invadere, quod verendum habeat, ne forsan incidat in æquè impium hominem, ac ipse est, qui nec Dei, nec majestatis, in tyranno existentis, reverens, pari maleficio tollat invadentem, quo infestabatur: administros plerumque habet, tam horrendi mandati executores, qui innocentes excarnificant. Hos tales

les malitia sua non præstabit sacrosanctos; & ab imperio tyranni nullam facultatem injustè agendi consequuntur: ubi igitur ex mandato crudelitatem volunt exercere, tam improtecti agunt, ut à læsis omnes trucidari possint. Absistere debebant ab exsecutione præcepti: imperans non poterat eosdem ad peccata obligare. quę ubi sponte perpetranda recipiunt, à quovis, quem contra jus & fas hi latrones aggrediuntut, jure cædi possunt. Tyrannum, occidentem cives, majestas tuetur, quæ eandem personam inhabitat. apparitores autem communicatum nullum imperium defendere potest. Ita miseri subditi stringent gladium, non tam vindicem, quam tutelarem. Neque ulterius privilegium resistendi valet, quam ad tutelam. Bello non lacessent tyrannum, nec infestabunt reliquos innocentes subditos; multo minus, licet prævaleant ac superent multitudine, invadent regnum, aut dignitate regiâ dominum crudelem spoliabunt: potius ubi ad meliorem redierit mentem, & securitatem subditis imposterum pollicitus fuerit liberaliter, pristina obsequia exhibebunt. ostensuri, non à Principe se descivisse; sed obviam saltem ivisse crudelitatis instrumentis. Si cui præceps ac lubricum hoc iter videbitur, Davidem recogitet, qui eadem via incessit. Hic cum aperto jam marte peteretur à Saule, postquam furtivæ artes processerant minus, & militari manu quæreretur: non se mactandum offert impio socero, sed fugam arripit, quâ sibi consulat. Mox comparat manum, ex iis potissimum,

mum, qui ab ſimili clade domo profugi: non alio fine, quam ut innocentiam ſuam ſuorumque tegerent. Enimvero haud aliâ mente recipiebat hos ſocios, quam ut effugeret regis tyrannidem; & eſſet tamen, in quô poneretur aliqua ſpes infringendi ſubitaneos improborum inſultus, ſi ad arma veniretur. interim ita ſe comparat, ut Majeſtatis reverentiam nunquam depoſuiſſe credatur. Nam David, cum exſilii ſociis, neutiquam divexat adverſarii regiones, cohortibus ſuis in alicujus agrum impetum faciendo: quin tuetur magis eaſdem, cum infeſto exercitu eò pergerent hoſtes. Sectatur inſuper devia, & quęrit latebras potius, quam ut formet aciem, & apertâ vi inſequentem laceſſat. cumque poſſet eum aliquoties opprimere: abſtinuit tamen à parricidio inviĉtiſſimam dextram, & turbulenta ſuorum conſilia deflexit in melius. pugnaturus nihilominus, ſi omnis elabendi ſpes præſcinderetur, ſi ignominioſę mortis immineret periculum; & ne inultus periret, editurus ſtragem. Non eo quidem animo, ut Principi ſuo violentas inferret manus, eundemve perimeret: ſed ut caſtigaret eorum leviſſimam impietatem, qui obtemperando regi, impia jubenti, ſævitiam ejus foverant, coërceret adeò intempeſtivum obſequium.

XII. Non me præterit, eſſe qui hanc reſiſtendi facultatem haud permittant populo, præſertim religionis cauſſa: & *jus majeſtatis* ab altera parte urgent quum maximè, quod non obſiſtendum eſſe imperanti hoſtili manu, manifeſtè docet, & haud nocendum ſupe-

superioribus expressè dictitat. ab altera parte objiciunt *tot martyrum cædes*, quorum innocenti sanguine fœdati gladii, patientiam flagitant potius, quam vim qualemqualem. *Tot millia confessorum letho dati, qui noluerunt contravenire divinis præceptis, nec obtemperare impia mandantibus. Non vi propagandam censebant veritatem cælestem, aut armorum strepitu; sed hilari ejusdem confessione, & obsignatione pretiosâ.* His tamen iniquitatis nondum convicta est nostra sententia. quæ Majestatis, si quæ alia, studiosissima, satis eidem, in truculentissimo etiam tyranno, cavit. in cujus personam nemini læso aliquid permisit. In mancipia illa malitiæ pugnat, quibus nulla à Majestate tutela. Aliud igitur est, in personam tyranni aliquid permittere, ut capiatur, trucidetur, aut solio pellatur; quam facultatem multi largiuntur, contra fundamenta civilia, ut modò declaravimus: aliud, privatum latronem, nullo privilegio Majestatis fretum, exponere iræ, & justæ defensioni bonorum. Quod martyres concernit, qui potius habuerunt vitam ponere, quàm vel gerere morem dominis impiis, vel iisdem resistere: id eò haud pertinet, quasi ex lege Christianæ professionis ad hoc fuerint obstricti; quum nullibi præceptum à Deo inveniamus, ut sine omni circumspectione tradamus spiritum, quoties libuerit tyranno. Dicendum igitur potius, quod nec fugere, nec ob paucitatem se tueri potuerint. Dispersa hinc inde erat primitiva Ecclesia, ut facile in unum haud possent congregari omnia ejus membra.

poten-

potentes insuper tyranni conjunctionem dissipare & opprimere valebant. Necessitatis igitur inevitabilis erat, quod deprehensi, volentes ponerent vitam: non mandati, ut se sponte offerrent jugulandos. Etenim hos, postea interfectos, sibi fugâ consuluisse novimus; & ut evitarent immanem sævitiam, in petris ac subterraneis locis delituisse. quod fecissent minimè, si jure fuissent cædendi. Fuerunt equidem non pauci, qui se ultrò stiterunt persecutoribus, abjectisque armis, quibus defendere se, & hostem arcere poterant, cædi maluerunt. De *Thebaa legione* præprimis narratur, eam à *Maximiano Cæsare*, ut idolis sacra faceret, compulsam, non gessisse morem; & cum decimus quisque per apparitores esset interfectus, inermem se universam tradidisse occidendam. Verumenimvero multa perpetrantur à piis, & Deo dilectis hominibus, quæ laudanda interdum potius & admiranda, quàm imitanda, & ideo ad communem regulam trahenda non sunt. Non infrequenter singularis natura temporis locive, & rerum ipsarum diversitas, actori suppeditat consilium, quod haud æquè in alio requireretur. Asserenda tum temporis à confessoribus rei Christianæ certitudo & veritas erat, & approbanda veniebat adeo in conspectu orbis universi: ut nondum confirmati satis, haberent exemplar, quod respicerent. Id melius autem fieri haud poterat, quam si magnanimi prodirent heroes, qui ingenti animo mortem obirent propter fidem, quam publicè docebant, vel sequebantur. Non enim

enim ſine inſigni utilitate communis rei, & incremento naſcentis Eccleſiæ, audiebantur cædes conſtantiſſimorum hominum. qui non tantum perſeverantiam majorem popularibus doctrinæ ſalvificæ aſpirabant; ſed tacitos ſæpè relinquebant ſtimulos in animis perſecutorum: adeo ut hi inquirerent altius, inque ipſas deſcenderent cauſſas hujus, quam vocare ſolebant, pervicaciæ; mox deprehenſâ cœleſti veritate, & profiterentur eam, & propugnarent, & quâ affecerant ejus cultores, morte pro eadem obire diem, nihil quicquam recuſarent. Martyrum igitur exempla ſingularem æquitatis laudem habent: quod, cum potuerint fugere, vel repugnare, ad confirmandos ſocios, & conteſtandam doctrinæ veritatem, ſe interficiendos tradiderint. Interpretanda verò neutiquam ſunt, quaſi perpeſſi talia ſint propter negatam jure reſiſtendi facultatem. Ad demonſtrandam certitudinem fidei tantam patientiam adhibebant: rati potius, exquiſitiſſima ſupplicia ſufferre, quam ſemel agnitum Deum negare. Iſte finis, cum non attendatur ubique, diverſitatem maximam deprehendimus. Neque diſputamus enim in præſenti, utrum ob gloriam Dei, confeſſionem fidei, & oſtendendam ejus firmitatem, mors oppetenda: ſed utrū ſimpliciter non liceat reſiſtere impotentiæ tyrannorum. Aliud eſt, pati mortem, ut religionis certitudo appareat; aliud quod reſiſtere non liceat.

XIII. Cauſſam obſequii ordinarii, & obligationis fundamentum, verbo repetendum ex ſu-

superioribus assertis. Manifestissimum illud nimirum est, Deum Optimum Maximum, propter omnipotentiã creationis, absolutum & plenissimum imperium habere in creaturam rationalem: illius vigore quidlibet injungere potest homini, sancte observandum. Homo enim tenetur omnibus jussis sui creatoris humilimâ veneratione obtemperare. propter naturam divini imperii, quod sine obligatione ad parendum, intelligi nequit. Quoties autem contingit, ut Rex constituatur, communicat ei Deus, & transcribit jus regendi hominem, quale ipse habebat, & isti juri inclusum obsequium. Simulac participem facit regem imperii, subditorum obedientiam obstringit. Tradit enim illam facultatem, quæ producebat in homine constans aliquod obsequium. Illa in Principe valida est, ut cives universos sibi subjiciat, non secus ac si Deus ipse præsens immediate regeret multitudinem. Confert enim supremum Numen auctoritatis particulam in Vicarium suum, cui obtemperatum vult à subjectis. Quemadmodum autem in omnibus Deo obedientiam debet homo: ita tum etiam, ubi divinas partes imponit Principi, & his annexum obsequium. Surgit hoc immediate ex præsenti imperio Majestatis; & porro ex imperio divino, Principi communicato, quod propter creationem primùm creatori domesticum est. Ita Caussa Majestatis simul caussa est obsequii, quod illi debetur.

LIBER TERTIUS,

DE

REPUBLICA LIBERA.

CAPUT UNICUM.

I. *Respub. libera imitatur Monarchiam.*
II. *Majestas non est penes plures conjunctim.*
III. *Nec divisim. unde tollitur Resp. mista.*
IV. *Quomodo constituatur Respub. libera.*
V. *Differentia Oligarchiæ & Politiæ.*



Gressi sumus itaque summi imperii Majestatici ditionem, & connexum eidem adstrictissimum obsequium subditorum: nunc pleno passu tendimus in libertatem. contemplaturi paucissimis lineis conditionem Reipublicæ Liberæ. Datur civitatis genus, quod confusionem promiscuæ multitudinis declinat, & ordinem aliquem concinnum assequitur, pactis atque conventionibus prospiciens communi omnium saluti, citra subjectionem & dispendium ejus libertatis, quam Monarchia extinguit. Similimum vero est, homines suarum rerum prudentes, & amantes simul communis aliorum commodi, extra subjectionem deprehensos, vicinorum regum violentum, & in parentes plerumque in-

injuriosum imperium horruisse; admiratos interim fuisse ordinem & compagem civitatis universæ, observasse actiones & instrumenta, quibus salutariter provisa in omnes diffundebantur; tandem solertis ingenii opera adinvenisse rationem, quâ extra imperium Monarchiæ, complurium civium tutela, salus, felicitas, salvâ libertate singulorum, procederet. Nam & temporum series consentit, quæ regna primam speciem rerumpublicarum proclamat: nec abnuit occasio liberarum civitatum, quæ post expulsos tyrannos cœperunt, aliisque exemplum suppeditarunt talẽ in modum, emortuis familiis regiis, aut sponte, sese concinnandi. Ut mihi Respublica libera, quoad legitimi regiminis actus, prorsus videatur imitamen Monarchiæ. Quanquam autem humani ingenii ea sit solertia, ut artifici conatu æmuletur naturam: ea interim successuum felicitas haud est, quæ ipsam naturam, & ejus operationes æquet. Ita hæc repræsentatio Politiæ aliquo modo complectitur indolem regnorum, quoad efficaciam communis utilitatis: ipsam vim imperii, quod instruit Monarchiam, tanquam opus Dei omnipotentis, producere apta non fuit.

II. Communis error est, quem nimiæ & servili credulitati ac obedientiæ, Aristoteli exhibitæ, acceptum ferimus; Aristocratiam esse, quoties penes pauciores Majestas residet; Politiam, quando universus populus illam participat. Verùm istud ingenium est Majestatis, ut, nisi contradictorie, in plures ejusdem

dem Reipublicæ personas, haud reponatur. Mirari subit, adeò securè id creditum esse, ut nemo fuerit Politicorum, qui hoc animadverterit. Erat autem facilis & prona cognitio, si naturam Majestatis attentius considerassent: neque ut lacera & dispersa membra, concepissent ejus jura. Cognovimus supra, Majestatem formali conceptu notare Imperium in caput civium. Dominium in res publicas & singulorum; item Regimen universæ civitatis, consequentia sunt, quæ vim imperii comitantur. Quaslibet etiam particulas, separatim propositas, ejus naturæ esse, quæ summitatem inferat, sponte notum est. Ita quidem, ut Legislatio sit summa potestas ferendi leges; Jurisdictio, sit summa potestas judicandi cives; Bellorum jus, sit summa potestas belligerandi. & sic in reliquis. Quærendum igitur erat, num ista consequentia adeò possint realiter separari, ut in diversis pluribus subjectis, propria auctoritate, sine concursu constituentis sui imperii, validè subsistant. An summitas quarumcunque partium, seu jurium, sine contradictione, pluribus simul communicari possit, & salva manere, concessa procerum æqualitate, cõjunctim participantium summum imperium. Mihi adeò indivisibilis habetur in suis facultatibus Majestas, ut nec divisim, nec indivisim pluribus queat adhærere. Perpetuò suspecta fuit Majestas Democratica: quod nullo cogitatu subjectum imperans discernere potuerim à parentibus. Nam quod universos à singulis disjungunt; difficultates omnes haud tollunt.

Pu-

Putant universos imperare, singulos parere. Sed vertant se in omnes formas, non evitabunt confusionem regnantis & subditi. Nunquam intelligo universos, nisi conjunctis singulis: & quicquid pronuncio de multitudine, id vel secundum aliquam partem, vel totum, eidem debet competere. Ubi imperium universis assignatur, cum aliquid vagi non sit, dispiciendum est, ubi hæreat; num omnibus, an aliquibus adsistat. Si omnibus adscribunt, neminem habebunt subditum: quod imperium & obsequium non inhabitent eandem personam. Si singulos faciunt subditos, non habebunt deinceps universos imperantes. quod ex his singulis parentibus, non possit multitudo confici, nisi obtemperans. Nihil enim aliud, quàm obtemperantia, confertur à singulis Universitati. Quid vero illud quoque est, quod non universi, sed major pars prævalet in comitiis popularibus? num parti prævalenti soli adjudicabimus imperium? an suffragiis victos assumemus in consortium majestatis. Utrobique scopuli. Si partem majorem axiomate potestatis honoras solam, quid est, quod universos diximus subjectum esse Majestatis, cum pars populi nunc deprehendatur confecisse negotium? Si pauciores istos æquali imperio instrues, cur vana fuit horum sententia? cur sine his reliqui potuerunt? Quo respectu considerabis præpotentes illos? universos haud nominabis; cum eximia pars populi contradicens restet. singulos non dices, quod hi decernendi facultatem habeant nullam. Nun-

quam constanter asseverabis, quod nam sit subjectum Majestatis in Democratia. Ex operationibus necessario hoc judicandum foret, ut illis adsignemus Majestatem, qui actus Majestaticos creduntur producere. Ubi plurium sententia prævaluit, his permittes imperium: quod præsens effectus majestaticus adæquatam caussam præsupponat. & mox ubi alteri minori concioni aliqui ex antea prævalentibus associabuntur, numero vincent modò superiores, & iterum dicendi erunt subjectum imperii: ita ex utraque parte poterunt æquali numero conjungi, qui reliquos pauciores frequenti sententia premant: mox dicendi erunt possessores Majestatis. Singulis ergo comitiis, aut singulis sententiis diversum habebis subjectum Majestatis. Quod si tamen aliquid miraculosum contingeret, ut unanimi consensu decretum quoddam sanciatur ab omnibus, non poterimus tamen imperium, verum, majestaticum, attribuere multitudini, propter defectum necessarii obsequii. Nam universi illi non tenerentur sententiam paullo ante dictam perpetuo servare: & auctorum testimonio, non obligatur multitudo universa. Istud autem perpetuum signum est Majestatis, ut in universam valeat civitatem. quare pereunte obsequio, etiam imperium intercidit. Magis patescerent dubia, si singula jura Majestatis pervaderemus, & applicaremus pluribus possessoribus. qua operâ & dêmocratia, & Oligarchia, destitutæ majestatico imperio apparerent. Quamvis enim in republica Aristo-

cra-

cratica distincti sint, qui parent, & regunt: nihilominus, quia plures æquali auctoritate gubernaculo præsident, communem habere Majestatem nequeunt. Deceptores fuerint, quotquot his politiis libertatem verbotenus adscripserunt: cum tot dominos, instructos Majestate, cui ubique idem obsequium debetur, cervicibus miseri populi superinducant. Reclamat Majestatis natura, quæ participantium numerum detestatur. Examinemus imperium in caput, & reliqua jura separatim: uni saltem adhærebunt. quod secus excludantur aliqui, imperio non subditi, contra naturam Majestatis, quæ universis imperat: & sint, qui mutuo dissensu, actus alterius oligarchi irritos facere norint. Sunto decem optimates: nemini horum imperium in caput civium datum erit. quod nemo sine consensu collegæ efficaciter quid censeat, aut præcipiat inferioribus. à sociorum quippe dissensu, qui imperio non subsunt, invalidum fiet decretum. Si quinque diversum à reliquis sentirent, penes quem erit imperium? aut neutra classis valebit, aut utraque contrarium sanciet, contra ingenium ordinis, & veri imperii. Turbulentior confusio affliget publicam rem, quo in plura divortia scindentur vota procerum. Accidat nempe ut decuplex varietas sententiarum appareat: quænam frequentabitur? Superiora dubia revertuntur, quæ universam multitudinem democraticam confundebant. Si vel duos saltem ponas, alter destitutus erit vero imperio, quod impediri possit à collega. Nam qui Ro-

manos allegant, & apud hos socialia imperia, duorum, aut trium Cæsarum: non observant divisam civitatem: aut decipiuntur, collegæ assumti, & in spem futuri imperii recepti, nudo nomine. Iterum urgebunt, *universos à singulis esse discernendos.* Sed iterum respondebo, universos sine singulis non intelligi. Et singulos utique optimates in classe imperantium collocant. Si indivisim penes plures residet Majestas, per aliquam veram communicationem residebit, & necessario singuli aliquid poterunt. Debet singulis tribui aliqua particula cujuslibet juris Majestatici: quemadmodum in dominio communi, certam partem singulis dominis adscribunt. Sed illa particula summa est. unde plura summa in una republica, confusionem festinatura, si per rerum naturam ejusmodi participatio contingeret. Nempè si speciales potestates adaptemus, Legislatoriam, exempli caussa, penes universos indivisim creditur manere. quæram, num hâc singuli fruantur? si negant; nihil relinquunt universis. quod nunquã excogitatum fuerit commune & indivisum jus, de quo singuli quodammodo non participarint. Si asserunt; singuli aliquid summi in Legislatoria habebunt. quod sine summitate nulla, vel minutissima portio Majestatis intelligatur. quo admisso, nulla distinctione impedient turbas emergentes; diversis diversa, & contraria validè decernentibus. Immobile fundamentum est. duo summa imperia in civitate una, absurdè fingi. sive plenariam, seu integram capias Majestatem, si-
ve

ve operatione mentis divisa Majestatis jura. nec integra penes plures, nec secundum discerptas partes, collocabitur. quod ubique summitas penes plures, evertat naturam Majestaticam. Si singulis nomotheticæ potestatis plenariam possessionem non concedunt, propter jam commemorata obstacula, evertunt, quod verbo concesserunt. qualecunque jus Majestatis aliter, quam integrum, non habetur: quod pereat natura summitatis ob divisionem in plura ejusdem generis. Consciscat in illo procerum senatu quandam legem Titius; validumne erit decretum, propter aliquam particulam Nomothesiæ? non credo; & ipsi negant. quia solus non habet plenam & omnimodam legislationem. Censeat Mævius, Sempronius, Cajus aliquid: itidem imperfectæ erunt horum singulæ sententiæ. Itaque singuli inefficax suffragium conferent suo ordini, ex quo nunquam orietur aliquid perfecti, universis tribuendum. dum enim singulorum rejicula sententia est, & infringenda multitudine refragantium, haud surget Nomothesiæ summitas, quæ numero nec valet, nec deprimitur. Doceri etiam concuperem; num adeo laxa & lata, suique multiplicativa sint jura Majestatis, ut numerosissimæ multitudini in infinitum possint assignari. Illud quoque non est de nihilo, non esse personam in universo illo consessu procerum, quæ delinquens contra rempublicam, non possit à collegis ad supplicium rapi. atque adeo si omnes hostilia, & libertati populi adversa molirentur: à civibus pœna sumeretur.

Ubi autem singulis punitis & remotis, universi persistant cum suo imperio, ajentes respondeant. Non est Majestatis, judicari, aut condemnari.

III. Hinc sponte sequitur, cum Majestas nequeat pluribus simul in una civitate competere; nec dividi eandem posse. Nimis creduli sunt, qui sibi persuaderi patiuntur, fuisse Resp. quæ divisa jura Majestatis habuerunt. Concipimus quidem separatim jura, & mentali divisione separamus legislatoriam potestatem à jure armorum, & aliis: sed non magis hæc realiter dividi possunt & removeri à Majestate, quam intellectus aut voluntas Petri cani communicari. Ex uno enim principio ac fundamento omnia singulaq; jura dependent, imperio nimirum in caput. essentialia consequentia sunt, dominium rerum, & universi regimen. Essentiæ Majestatis intimè impressum est, ut sit summa potestas ubique. Hoc *ubique* generalem provisionem ipso nomine, ipsaque re infert, prospicientem publico, quà tali. & descendentem ex potestate in caput omnium civium. Per rerum naturam ergo fieri nequit, ut Majestas reali divisione discerpatur in suis juribus, quæ arctissimo nexu sibi colligantur, ut nullum sine fundamento subsistat. Quodcunque jus à Principe communicari dicetur subditis, amittet nativam indolem Majestatis, cujus quælibet particula est summa aliquis potestas. qualis non est facultas illa concessa, cùm sine fundamento, quod in principe manet, transferatur. Quod si fundamentum, imperium

rium in personam, Princeps dimittat; jam Majestatem amisit: & de mistione securi sumus, ubi alter nihil habet, quod communicet. Certa deinde confusio sequetur, si jura divisa concedemus. Plura summa dabuntur in Republ. quæ id tandem efficient, ut alterum alterius operationes elidat. Præcipua jura sunt, Consiliorum universalis provisio, Legumlatio, bellorum gestio, Judiciorum exsecutio. Sume quodcunque voles, & à Principe remove, aut inter alios distribue, irritos actus habebis, nisi integra Majestas concurrat. Ad directionem bellorum necessaria universalis illa dispositio de utilitate publica: quæ sine præsenti Majestatis virtute, nunquam explicabitur. Finge tamen adhæreat alicui Statuum, num sine potestate in caput, aut in bona efficax deprehendetur. Id maximum momentum facit in potestate belligerandi, quod subditus jure cogitur, ut tendat in hostem: quæ coactio ex potestate in caput profluit. Ipse nervus rerum gerendarum pecunia est, quæ sine facultate in territorium, aut subditi personam non imperatur. Similiter habendum de judiciis. nunquam puniet capitali supplicio, aut mulctam indicet propriâ auctoritate, qui dicta jura fundamentalia non possederit. Quæ omnia satis valida sunt ad excludendam divisionem Majestatis, & per hanc introductam Remp. mistam. Divide jura minoris momenti, vectigalia, tributa, similia. Nunquam hæc plenè valebunt sine dominio in publica, aut privata. dominium autem illud sine imperio in

caput nec eſt, nec ſubſiſtit. Adhæc nimis craſſius videtur error, quod miſtionem condiderunt ex diviſa Majeſtate; cum potius communicationem debuiſſent propugnare. Sola diviſio, ſi contingere poſſet, nunquam miſtionem abſolveret; quod poëtico exemplo reipublicæ, ex tribus Monarchiis natæ, & procerum, ſeparatim habentium jura quædam, cognoſcere debebant. Talis enim fictitius ſtatus diviſam haberet majeſtatem, nec tamen eſſet mixtus, quod unius ſaltem ſpeciei individua concurrant. Tres illi monarchæ, non quidem monarchiam formant, cujus naturâ unitate ſubjecti monarchici abſolvitur; ſed oligarchiam conſtituerent. Optimates, diviſim potentes, procerum regimen tenerent. Dicendum igitur fuiſſet; rempublicam miſtam, non diviſim habitis majeſtatis juribus æſtimari, ſed concurrentibus ordinibus, & participantibus majeſtatem:qui alias diſcrimen ſpecierumReipublicæ introducunt. Vulgo quippe increbuit, miſtam rempublicam ex diverſis ſpeciebus coaleſcere: id ſi verum eſt, conjungi debebant, quæ ſeparatim rerump. eſſentiam conſtituere creduntur, ordines nimirum monarchicus, oligarchicus, aut democraticus. Certum enim eſt, omne miſtum & compoſitum ex diverſis coaleſcere. Et ita promptius reſpondiſſent ſcriptores de natura civitatis, in qua rex ſine proceribus, & proceres ſine rege poſſunt nihil. qualis ſtatus fuit Scoticus, & hodieque Polonicus. Nulla hic diviſio majeſtatis. nullum jus habet populus ſeorſim validum, quod

quod regi non tribuendum ſit. Unde vacillat deſcriptio miſtæ reip. quæ diviſionem poſtulat. Quamvis nec communicatio majeſtatis procedat ob dictas rationes: ſed modus habendi ſit limitatus, cum aſſumptione procerum in conſultationem publicam. Ne quid ſine his peragat rex, pactum obſtat: ne proceres ſine rege valeant, defectus Majeſtatis. Quod genus ſi miſtum vocabis, non repugnabimus magnopere: nobis tamen aliter haud admittitur, quam ſi regnum limitatum, in cujus adminiſtrationis conſortium recipiuntur ſubditi, eo nomine intelligas, ſine divulſione ſummi imperii. Exempla miſtarum civitatum penitus inſpecta, vel ſimplicem Monarchiam, vel Politiam aliquam liberam exhibebunt. Solemne eſt, miſtionem probare, tantum non omnium rerumpublicarum hiſtoriâ. præcipuè verò adfertur regnum Laconicum, aliquibus Athenienſium reſpublica; item Romana, Regum ac Conſulum ætate: nec non Iſraëlitica, ante & poſt regium imperium. Quod ſi tamen ſpecioſiora non habebunt argumenta, iſtis non vincent. Rempublicam Iſraëliticam, ſimulac hoc nomen adepta eſt, Monarchicā cenſeo. Democratiam enim hîc nemo ſuſpicatus eſt: quod populus merè paſſivè ſe habuerit. nec Ariſtocratia commodè appellabitur, cum magni illius concilii auctoritas ſuperiorem agnoverit præſidem, nec omnibus cauſſis decidendis par fuerit. Vocanda ergo Monarchia: ſed vocabulo eximiè intellecto: quod alii per *Theocratiam*, auguſtè ſatis, eloquuntur. Moſen nun-

quam dixero Monarcham: Deus optimus maximus hunc populum sibi hæreditarium quasi destinaverat, & præsentissimo numine exsequebatur omnia jura, tractari aliàs regibus solita. Quotiescunque cum hoste confligendum erat, divino monebantur oraculo. Sacratissimas leges Deus, in flammâ præsens, cum terrore promulgabat. Jus sacrorum exquisitissima dispositione solus firmabat. Magistratum aliquem universalem Mosen, Josuam, alios creabat, & singulari spiritu instruebat: judicium ipsum per duos & septuaginta seniores disceptabat. Si qua caussa legibus determinata non esset, capitalis præsertim, ad Dominum referebatur: quod in judicio Achani, violatoris Sabbathi, & aliis observamus. Tributi & collectarum speciem præbebant, imperatum aurum, argentum, gemmæ, purpura, in Tabernaculi usum comportanda. Item natis filiis imposita capitatio, ut redimerentur certæ pecuniæ summa. quo censu habendæ primitiæ, & decimæ frugum. Monetæ argumentum exhibebit, quod passim in sacris mentio fiat sicli Sacrarii, vel Tabernaculi. In his, & reliquis juribus, si quæ Mosis ac Iudicum opera fuit, ministerium magistratuum, non imperium regnantium censeatur. Hinc postulante Israële regem, Samueli dicebat Dominus: *Non te rejecerunt, sed me.* Nulla igitur ex hac civitate probatio mistionis. Lacones & Athenienses, verissimo regno sublato, rempublicam liberam habuerunt, ignaram imperiosæ Majestatis, quæ ideò nec dividi potuit. Ista fuit Aristo-
cratia

cratia, in modum regni temperata; sed ne regi, præter nomen, aliquid regium superaret; subjecto procerum judicio, ut à bellicis expeditionibus, quarum summam directionem aliis dicitur habuisse, ab Ephoris sit revocatus, licet felicissimè rem gereret. Imo judicari, & capitis damnari, potuisse, monumenta ejus populi docent. Athenienses puram putam habuerunt Democratiam: quæ impellebatur tamen, ut fieri solet, à magnis viris, & negotiorum atque regiminis capacibus. Deerat interim constans temperamentum aristocraticum, ut viri, innocentissimis virtutibus, qualis justitia Aristidis, populari multitudini unicè exoptanda, præcellentes, exilio stolidissimè multarentur. Romanorum civitatem pro mixta non habebit, quicunque ejus instituta plenius cognoverit. Hic quicquid præ judicio Polybii sequar. Regum ætate simplicissima Monarchia fuit. Romuli institutum, Patres, instrumenta erant regis. nec inde magis confeceris mistionem, quàm si Divanum Turci in argumentum trahas divisi imperii, & temperatæ civitatis. Passus est Tullus Hostilius Horatium sororicidam provocare ad populum: non quod veram permitteret multitudini provocationem, sed ut potius reum, quem liberatum cupiebat, civium suffragio, sub aliqua specie juris condonaret; cùm non auderet ipse periculoso exemplo tantum scelus remittere. Qua prudentia verò id concessum subditis, dispiciant, qui auctoritati & dignitati Principis sui cavent. Majori circumspectione postea Dictator, provocatio-

né ad populum in preces convertit. Quicquid vero jam hujus sit, exploravit saltem voluntatem suorum Romanus Rex; quemadmodum & Romulus istum morem servavit, ut per centurias audiret civium consilia: quem Tacitus interim, prout libitum fuerit, imperitasse, scribit. Sic Alexander Magnus judicia capitalia permittebat, vetusto Macedonum consuetudine, exercitui: sed ut nunquam obscurum esset, quam sententiam vellet prolatam. Si quas leges invenit Servius, quibus Reges tenerentur: explicandæ sunt illæ de pactis, quæ sub modo habendi Majestatem supra vidimus: aut ejusmodi promissis, quæ spem faciunt subditis, regem non neglecturum proprias leges, sed secuturum earum tenorem, ut exemplo suo validius firmet suam rempublicā. Cujusmodi quid in ipsis legibus posteriorum Cæsarum apparet, qui dignam vocem majestate regnantis censebant, alligatum se legibus profiteri. quod majus imperio sit, submittere legibus principatum. Nemo tamen tum temporis Rempublicam mistam fabricavit. Ejecto Tarquinio, respublica libera introducta est, quam nec Aristocratiam dixeris, nec meram democratiam: sed cinnum, ex utraque temperatum. Cum verò per modò tradita in hoc genere civitatis non agnoscamus imperium Majestaticum: ut de divisione Majestatis inter proceres & populum, quæ nulla est, soliciti simus, ratio vetat.

IV. Nunc sine ambagibus aperienda est natura Liberæ civitatis. Credibile est, imitatos ordi-

ordinem multitudinis, à Regibus introductum, vicinos homines, qui imperium nullum patiebantur, nec regimen publicum habebant, consultasse in medium de simili vivendi ratione ineundâ, ac convenisse tandem, de præstandis illis operis & tributis, quæ à regibus imperabantur subditis, vi promissi sui exsolvendis, quantum communi rei sufficeret. Habuerint homines, destituti rege, aliquam majorem societatem, quam materialem civitatem supra vocavimus; aut segreges familiæ invicem se consociaverint demum: aliqua conventione stabiliri debebat futura cohabitatio, quoties ab una stirpe non descendebant vicini. Ut vero consequerentur publicum ordinem suæ multitudinis, qualem obtinere in principatu videbant, opus erat omnium amica conspiratione, ne gravarentur pro virili contribuere, quantum ordinationi huic communi, consilio, viribus, sumptibus inpendendum erat. Ergo, quod bene verteret omnium saluti, se quisque ac fortunas suas stabili pacto obstringere publico egregio, & promittere contentissimam operam, tranquillitati & utilitati communi conservandæ. Ubi talem in modum mutuis pactionibus se obligassent, dispiciebant instrumenta, quibus expedienda erant publicæ rei incrementa. Definiebatur singulorum consensu forma futuri operis, & publicarum operationum facies. Mox succedebant nova particularia pacta, quæ Comitiorum figuram, & suffragiorum ordinem ac vim describerent. Hic leges, secundum quas
&

& publica & privata tractarent, rogatæ ac promulgatæ: obligantes, propter consensum singulorum paciscentium. Unde recte vocantur in republica populari, Sponsio universæ civitatis. His porrò depingebatur Sacrorum conditio, & quicquid servando tuendoque populo inserviret. Instituti reditus publici, tributa, & vectigalia, ac si qua major vis ingrueret, decreta privatarum rerum occupatio. Pollicebantur cives, se armata manu ituros obviam hostibus, & quæcunque pericula aversuros à civitate. Offerebant itidem operas suas in obeundis quibusvis muneribus, consensu civium delatis. Conventum igitur est, de normâ magistratus, ut essent homines idonei, sublevantes solicitudine sua universos, ne integra comitia expedire omnia negotia haberent necessum. Prospectum insimul est privatis, determinando familiæ regimen, quousque potestas in uxorem, liberos, servos, retinenda; queę rei familiaris, & dominii quærendi modi: nec minus quæ patrum familiarum inter se contrahendi, & commercia exercendi rationes. Utque omnia tranquille agerentur, nec dissidiis locus superesset, si quæ orirentur controversiæ de bonis, aut conventionibus singulorum, inventi sunt judices, quorum sententiã se secuturos litigantes spondebant. modò pro tribunali sedens, leges civitatis intueretur. secus appellaturos ad arbitriũ universi cœtus. Postquã ita disposita fuit multitudo, integro Concilio incubuit cura cum exteris paces stabiliri, fœdera pangi. Fefellit itaque actuum similitudo plu-

plurium facilitatem, ut crederent, jura Majestatis adesse, quoties viderent similes operationes in Politia, quales in Monarchiâ noverant à Majestate processisse. Sed in his rebuspubl. ingēs discrimen est, & caussarum ejusmodi actuum civilium, & obligationis, qua cives tenentur. Monarchiam Majestas adornat; Majestatem solus Deus indulget Principi. Politiæ, & regiminis civilis una caussa est pactum commune. cujus vigor obligationem producit & metitur. In regno imperium obligationis fons est, quo subditi tenentur obsequi in omnibus, quæ contra pietatem non impingunt. In libera civitate socius tantum devincitur, in quantum pactus est. extra & supra consensum suum, non obstringitur. Ideo ad plura obligatur subditus, quam civis. nam citra conventionem in singulos minimum potest multitudo: nec in personam, nec in bona valens. Nisi pollicitus esset operas suas contra hostem, nunquam prætextu alicujus imperii educeretur. quod omnes æquales sint, & ideò nec imperent, nec subjiciantur. Similiter vectigal, & tributum ex primo consensu petitur ac confertur, contra voluntatem civium, nemo erit qui justè quicquam imperet. Quod si necessitas communis urgeat, & aliquam invasionem privatæ possessionis flagitet: occupabitur res. non vi dominii eminentis, quod in republica populari nullum est; cum essentiale consequens sit imperii Majestatici in personam subditi, qualis hic non reperitur: cum inter æquales nemo subditus sit, nemo imperium in caput, aut domini-

minium in alterius bona habeat: sed beneficio pacti, quo societatem quasi omnium bonorum iniit civis. Inde fas est reliquis sociis, sumere de bonis aliorum, quantum publica salus desiderat: sed sub lege societatis, ut compensatio fiat ei, qui detrimentum passus est, ne minimum desit. Quemadmodum ergo supra in Dominii eminentis occupatione, æquitatis saltem esse compensationem dixi: ita nunc strictissimæ justitiæ est. quod hic socius aliena usurpet: ibi dominus sua repetat. Unicum subest dubiũ, quî possit civitas capitali judicio damnare civem, destituta imperio majestatico in caput. de qua re ita habendum. Rara sunt in populari civitate judicia criminalia, & atrocissimis saltem criminibus destinata. Ubi autem exercentur, tanquam in hostem creditur animadvertere universitas. Scilicet ubi sanciuntur ultima supplicia latis legibus, nemo creditur adeo promissi negligens, ut velit contra universum cœtum peccare, nisi hostiliter animatus: quod legem communem scelesto facinore oppugnans, hostis habeatur. Nam offenderit privatum, vel civitatem. Privatus non nisi ab hoste læditur, quem pro atrocitate sceleris interficere potest. ut autem affectibus nihil detur, & quies publica sibi constet, ab ordinario exsecutore sumitur pœna, quæ debebatur læso. Ipsa verò communitas læsa, multò magis insurgere contra inimicum suum perduellem potest, & eundem tanquam hostem publicum removere.

V. Superest ut verbo indicemus differentiam

am Aristocratiæ & Politiæ. Mirum discrimen posuit Philosophus. III. *Polit.* VIII. divitias & paupertatem. *Quibus popularis potestas & paucorum imperium interse differunt, sunt paupertas & divitiæ. Ac necesse quidem est, ubi magistratus gerunt propter divitias, sive sint pauciores sive plures, hoc esse Oligarchiam: ubi vero egentes, populi potestatē seu democratiam. Sed evenit interdum, quemadmodum diximus, ut illi quidem sint pauci, hi verò multi. Abundant enim rei familiaris copiis & facultatibus pauci, libertatis autē sūt participes omnes: propter quas caussas litigant utrique de rep. administrandâ.* Verum hæc, sicut reliqua accidentia, reip. naturę nihil conferunt, & omnes tandem species rerump. confundunt. Si democratiam facit paupertas, etiam tum popularis status erit, ubi unus rex pauper imperat. Nimirum respublica libera se distribuit in duplicem speciem: dum paucioribus interdum, quos *Aristos, Oligarchos, Optimates*, aut *proceres* vocant; permittit regiminis curam; aliquando integra communio solicitudinem universæ civitatis in se recipit; quod genus regendi medio vocabulo *Democratia*, inviso *Ochlocratia*, honesto *Politia* Græcis, Latinis populare regimen vocatur. Quoties enim dicto modo universa multitudo, in comitiis publicis, quæcunque negotia, publica, privata, domestica, peregrina expedit & absolvit; officiales jurisdictioni, & reliquis muneribus publicis, pacem, bellumve concernentibus præficit ad tempus, quos elapso definito spatio, ad privatam sortem mittit, &

alios

alios in horum locum ambulatorio magiſtratu ſufficit, Politia eſt. Omnis quippe populus decernit, & producit operationes, quæ gubernaculum commune publicâ auctoritate omnium moderantur. In quam claſſem repoſuerim civitatem Athenienſium, quæ purè democratica, & nimis ochlocratica fuit; pluresque alias Grȩcarum rerumpublicarum. Ariſtocratiam puram pauciſſimȩ gentes habent. Ea eſt, quando multitudo prudentia, atque virtute aliquorum civium, qui vel divitiis, vel doctrina & rerum gerendarum peritia antecellunt, præclarè confidens, permittit iiſdem univerſale regimen, ita ut hi pauciores omnia conſilia publica in manu ſua habeant, & plena auctoritate tractent, quæ alias integra civitas ſolebat perficere: excluſis arbitriis reliquorum civium, qui vota ſua paucorum ſapientiæ creduntur permiſiſſe, adeo ut ipſa electio in locum decedentium, relinquatur ordini Procerum. Verum cùm hâc purâ Ariſtocratia, libertas ſuffragiorum tollatur; & æqualitas, liberæ civitatis anima, infringatur, ipſique oligarchumeni cives parum diſtent à ſubditis; vulgo autem inviſum ſit, omne magnum atque excellens, & quod inæqualitatem ſapiat; pauciſſima exempla meræ Oligarchiæ mihi nota ſunt. Plura ſunt, quæ inter vulgi licentiam & confuſionem, ipſumque paucorum dominatum, temperamentum repererunt, & perpetuam quandam claſſem Senatorum ex nobilioribus ordinarunt, cui interim non permiſerunt jus, aliquid proprio arbitrio con-

constituendi: sed exequendi saltem in publicis comitiis decreta. In hunc censum referam plerasque modernas respublicas. ex antiquis imprimis Romanam, post expulsos reges. Permiserat aliquid Patribus; seu Senatoribus populus; sed non absolutam administrationem: & ipse omnes leges, omnia graviora & majoris momenti negotia, in comitiis explicabat. Ubi plerumque consilium suppeditabant Patres, consensum universus populus. Inde formulæ: *Senatus auctor fuit, populus jussit.* Moderatissimum hoc Reipublicæ genus est, quoties sine ambitione & partium studio, communem utilitatem procurat.

Quod restat, Deum optimum maximum, Regem regum, & Dominum dominantium, Majestatum auctorem, & omnis civilis ordinis firmatorem ac vindicem, supplices veneramur; instruat regiis spiritibus, quos summo imperio decoravit; immittat cœleste lumen principum animis, ut agnoscentes datorem omnis potestatis, perpetuò respiciant, colant, & tanquam postulaturũ rationes regiminis, metuant; subjectamque multitudinem paternâ indulgentia regant; pietatis & omnium virtutum exemplis moveant. Adspiret omnibus rerumpublicarum præsidibus, sapientiam ac fortitudinem, ut suorum commoda providè, justè, strenuè urgeant. Subditorum quoque ac civium mentes moneat, ut superioribus reverentiam, fidem, obsequium exhibeant. Omnes denique Respublicas, quæ nomen ejus adorant, vinculo pacis, concordiæ, atque amoris

amoris invicem vinciat, ut florentem tranquillitatem amplectantur, fruanturque bonis, quas civitas polliceri habet, si rectis artibus ubique regnaretur. Donec soluta orbis structura, & imperiorum compage, benedictus Deus cœlestem auspicabitur civitatem, regnaturus in secula, in æternum & ultra: & humiles reges, promiscuæ multitudini electorum immisti, submisso cultu ingeminabunt; Sanctus, sanctus, sanctus est Deus, Dominus exercituum. Ipsi sit laus, honor, & perennis gloria.

FINIS.

SERIES CAPITUM,

Procemii

Libri Primi.

Libri Secundi.

Libri tertii.

Politicæ Tractatio est

- *Proœmialis explicans*
  - *Definitionis*
    - *verbalia*, c. I.
    - *realia quoad*
      - *Genus* c. II.
      - *differentiam ab Object.* III.
  - *Divisionis*
    - *Partes* c. 4.
      - *Conditione Ethicæ, vero Politico.* — cap. V.
    - *Consectaria de*
      - *Politica*
        - *dignitate, præceptis, auditore* — cap. V.
      - *Methodo.* c. VI.
- *Essentialis tradens*
  - *Object.* Civitatem *cujus*
    - *Materia* Societates *Lib.* I.
      - *Simplices*
        - *Nuptialis* c. I.
        - *Paterna* c. II.
        - *Herilis* c. III.
      - *Composita cap.* IV.
        - *Familia*
        - *vicus, pagus*
        - *civitas*
    - *Forma* Respublica
      - Monarchica *in qua* lib. II.
        - *Rex, habens* Majestatem Tab. II.
        - *Subditi, qui debent obsequiũ.* C. XII.
      - Libera *lib.* III.
        - *Aristocratia*
        - *Democratia*
  - *Civitatis* Regimen, *secundum normam*
    - *Iusti,* Jurisprudentia.
    - Utilis, Consultatoria.


Majestatis
Caussa efficiens, Deus l.II.c.I.
Iura
absoluta
Constituens, imperium unde cap. II.
Legislatio
Iurisdictio
Provocatio
comitia
munerum impositio
deductio in hostem
datio obsidum
deditio
Consequens
partiale respectu
Territorii, Dominium in publica c.III.
Rerum subditi, Dominium eminens IV.
universale, regimen integræ Reipublicæ.
Communicantia
Dominium priv. & Nummū. c.V.
Dignitatem nobilium
Potestatem Magistratuum
c.VII.
Utramque in Legato. c.VIII.
Modi
acquirendi c.IX.
Occupatio
Electio
Successio
Habendi c.X.
absolutus
limitatus
ubi de
Legibus fundamentalibus, Majestate reali.
Subjectum cap. XI.

Errata hunc in modum corrigenda.

Pagina 9. *linea* 4. *lege* activus. p.47.l.13. Nam frustra est, quod dicit. p.77.l.3. familiâ paternâ p.94.l.23. viderint. P.96.l.33. patres. P.150.l. 21.satiant. P.231.l.12.ille. P.263.l.8.quot. P, 266.l.29. littora maris. P.340.l.20.qui eximium emolumentum, vel damnum inferre possunt. Eidem ergo. P.354.l.1. judicant. P.397. l.33. consequeretur. P.417.l.16. fertur.P.511. l.5. dolendum.P.524. l.6. Deum. P. 537.l.2. inobedientia. 555.l.31. quàm: